Digitized by Google

STORIA DELLA RIVELAZIONE
160
L
33
BIB. NAZ. NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
160
L
33
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. GEORGII LAIRIZII

SERENISS. DVCIS VINAR. A CONCIONIBVS
PRIMARIIS CONFESSIONIBVS ATQVE CONSILIIS
SACRIS ANTISTITIS GENERALIS
ET AD DD. PP. P. P.

SYNOPSIS
HISTORIAE SACRAE
NOVI FOEDERIS

AD

NOSTRAM MEMORIAM
CONTINVATA

AB

M. IO. CHRIST. MESSERSCHMID

SENATOR. VITEMBERG. R. SOCIETATT. IENENSS. REGIOMONT. LIPSIENS. ET INSTIT. LITTERAR. ACADEM. ADSCR.

LIPSIAE

SVMTIBVS LANKISIANIS

Digitized by Google



VIRO

MAGNIFICO AC SVMME

REVERENDO

IO. GODOFREDO HERMANNO

SS. TEOL. D. SER. AC POTENT. POLON. REGIS ATQVE ELECT. SAXON. IN SENATV S. ET CONSIST. SVPREMO CONSILIARIO ET CONCIONATORI AVLICO PRIMARIO

ITEMQVE

VIRO

MAGNIFICO AC SVMME

VENERABILI

IO. IOACH. GOTTLOB AMENDE

SS. THEOL. D. SER. AC POTENT. POLON. REGIS ATQVE ELECT. SAXON. IN SENATV S. ET CONSIST. SVPREMO CONSILIARIO AD S. CRVCIS PASTORI ET DIOECES. ANTISTITI S.

Digitized by Google

VESTRA, VIRI MAGNIFICI AC SVMME REVERENDI, *nomina maxime conſpicua libello praefigere, minime audaciae temeritatisue eſt, ſed pietatis potius verecundae. Animum adhuc meum memoria ſubit, aequo, quid quod, hanc mihi ignoſcetis gloriolam, ſpe aequiore* VOS *tuliſſe animo atque accepiſſe, annis aliquot exactis quod pagellas* VOBIS *inſcripſi quasdam. Quare*

factum

factum eſt; vt magna capiar fiducia, libellum ad VOS, ferre, non meum, ſed a magni nominis viro, ad coetus diuinioris fata intelligenda, conſcriptum, et iterato iam editionis honore vulgatum, rurſus mea qualicumque recuſum cura; maiore vero, fore, qui hocce meum inceptum repetitum probetis. Et cui eiusmodi libelli ſumma prius debet conſecrari, quam tantorum virorum perſonis, in quibus purioris religionis ſalus et augenda et tuenda poſita eſt? Quae VESTRO vt floreat, vt promoueatur beneficio, VESTRISQVE conſiliis quam diutiſſime, pro incolumitate VESTRA vota facio ſupplex

NOMINVM
VESTRORVM SVMME
VENERABILIVM

Vitembergae menſe Aprili
CIƆIƆCCLX.

cultor perpetuus
IO. CHRIST. MESSERSCHMID.

PRAEFATIO PRIORI
EDITIONI PRAEMISSA.

In atrio hoc paullum, quaeſo, ſubſiſte, amice lector, et quid te morer, vel verbo cape. Ex eo ſtatim tempore, quo iuſſu Sereniſſimi Principis ac Domini, Dn. CHRISTIANI ERNESTI, Marggrauii Brandenburgenſium, Magdeburgenſium, Pruſſorum, Stetini, Pomeranorum, Caſſubiorum et Vandalorum, vt et in Sileſia, Croſſenſium et Iaegerndorfenſium Ducis, Burggrauii Noribergenſium, Principis Halberſtadenſium, Mindenſium ac Caminenſium, Domini ac Nutricii mei Clementiſſimi, hiſtoriae ſacrae et ciuilis profeſſio in illuſtri Chriſtianerneſtino collegio meis imponebatur humeris, ea mihi praecipua fuit cura, vt vtriusque hiſtoriae partes pro virili implerem,

concreditamque iuuentutem ſacra pariter et profana ſedulo imbuerem. Quo autem ſcopum hunc facilius obtinerem et felicius, de probis, quos auditoribus meis euoluerem, diſpexi, qua licuit, ſcriptoribus hiſtoriarumue concinnatoribus, praecipueque eo intendi, vt egregie conſcripta compendia, quibus plurimarum rerum haberent farraginem, commendarem, quod in quantum praeſtiterim, lectionum noſtrarum circa cuiusuis anni primordia publicati docebunt catalogi. Cum autem in eccleſiaſtica hiſtoria noui teſtamenti breue aliquod ſyſtema, quod ſtudioſae iuuentutis bono decenti ac ſuaui congeſtum ordine queat prodeſſe, hinc inde quaererem, nec tamen hactenus inuenirem, de concinnanda hac ſynopſi coepi tum quidem cogitare. Et praecipuam dedi operam, vt certa quadam per ſingula ſaecula, quantum fieri potuit, obſeruata methodo, hiſtoriae ita ſacrae N. T. notitiam redderem iucundiorem, eiusque adprehenſionem faciliorem. Hinc quodcumque ſaeculum digeſſi in IV. membra, quorum primum potiſſimum complectitur eccleſiae incrementum, quo, quid eidem acceſſerit, chriſtianaeque fidei principia hauſerit, innui. Alterum duplex eius decrementum, quo perſecutionibus extrinſecus, interius vero veram fidem impugnantibus haereſibus

bus praecipuis ac ſchiſmatibus infeſtabatur. Tertio concilia, ſynodosque potiores, et patres et doctores eccleſiae viua voce et ſcriptis heterodoxiam inclamantes itidem ex reliquis inſigniores exhibui, quibus hiſtoricos eccleſiaſticos, hinc litterarum feliciora incrementa, in academiis nouiter conditis, praeclarioraque litterati orbis lumina, inter iureconſultos, medicos, philoſophos, hiſtoricos, poetas, aliosue adnexui. Et quarto denique adieci hiſtoriae iudaicae, litterariae maxime breuiuſculam concinnationem, ex HOTTINGERO deductam, cui vltimo ſubiunxi partim gentilium ac profanorum ſcriptorum celebriorum nomina, partim vero Mahummedanorum hiſtoriam, geſta, et, ſi qui inter eos clarebant, viros eruditos. Annorum calculus ex CALVISII et HELVICI chronologia, nonnumquam etiam GV. GVALTERII chronico chronicorum margini fuit adpoſitus, inſuper hinc inde ad auctores complures alios lector beneuolus remiſſus. Ne igitur et meis deinceps in deſcribendo faceſſerem negotium, vt vitiorum praeterea ſubinde irrepentium fugerem nauſeam, ac aliis denique, quos eadem hac opella delectari intellexeram, inſeruirem, conſilio Viri Summe Reuerendi, et Praenobiliſſimi, Domini CASPARIS A LILIEN, in Waitzendorf, Conſil. Intimi, eccleſiarum praeſidis, S. Con-

S. Conſiſt. Generalis Superint. et illuſtris noſtri collegii directoris grauiſſimi, magni ſtudiorum noſtrorum promotoris, iuuentutis egregio tandem in edendam hanc Synopſin typographo conſenſi. Hederam ei nequaquam ſuſpendo, ſuſpendant illi, qui maioribus ac clarioribus ſibi ſcriptis nominis famam quaerunt. Suffecerit mihi vel paucis placuiſſe, et, ſi vel nemini, ſuffecerit tamen, hiſtoriarum cupidis et diſcentibus me hoc opuſculo prodeſſe voluiſſe. Quod ſi obtinuero, non poenitebit laboris ſuſcepti, ſimulque ad alia inflammabit. Tenuibus tenuia haec et exigua ſcripta ſunto, altiora requirant ingenia altiora. Tu interea, lector humaniſſime, quae placent, elige, quae diſplicent, relega, quae errata aduertes, corrige, ſed ne obeliſco infami notes, etiam atque etiam rogo. Vale, Baruthi e muſaeo, d. XXVII. Febr. A. O. R. CIƆIƆCCLXXVIII.

PRAEFA-

PRAEFATIO NOVA.

CLAIRIZII, V. C. hiſtoriam N. F. ſacram, tertium excuſam, non eſt quod collaudem eximie atque pluribus etiam atque etiam commendem. Diu, idque idemtidem deſiderata eſt, quamquam RECHENBERGII, SCHMIDII, IVNCKERI, MOSHEMII, TVRRETINI, IABLONSKII, aliorumque compendia in plurimorum manibus habentur; quo, ad eam typis denuo deſcribendam, bi-

bliopola

bliopola noſter commotus fuit. Ego vero quid praeſtiti, paucis monere volo. Itaque ſcias, me nihil mutaſſe, niſi addendo vnum alterumque auctorem, qui de capite quodam agere ſigillatim ſibi operam ſumſit, et ſaeculi noſtri hiſtoriam, breuiter ſtrictimque. LAIRIZIO num conſimilis factus ſim? iudicent alii: eum ſaltem imitari tentaui, minus facile imitari, optime gnarus. At meam tamen qualemcumque operam faciles eſſe inuenturam arbitros, ſpero. Dab. inter vota ardentiſſima, vt DEVS pacem, ſed honeſtam, ſed perpetuam inſtaurari patiatur.

I. N. I.

I. N. I.

SYNOPSIS HISTORIAE ECCLESIASTICAE NOVI TESTAMENTI.

SAECVLVM I.

§. 1.

Cum per MESSIAE aduentum finis veteri foederi eſſet impoſitus, (1) & redemtionis humanae opus abſolutum, propagari vndiquaque coepit per *Apoſtolos* & reliquos naſcentis *Eccleſiae Doctores* Chriſtiana Religio, quod ceſſarent complura oracula diabolica, (2) nec labor ad perdiſcenda haec ſacra myſteria requireretur, ſed ſancti ſpiritus infuſione ea plurimum traderentur. Nitebantur

A. C. 40. autem primi *Chriſtiani*, quibus a Magiſtro CHRISTO IESV *Antiochiae* illud nomen impoſitum, (3) partim libris *Veteris Teſtamenti*, partim *hiſtoriis Euangelicis* et *Apoſtolorum Epiſtolis Canonicis*, *Symbolo* denique *Apoſtolico*, quod ex doctrina *Apoſtolica* hoc ſaeculo non ab ipſis quidem *Apoſtolis*, ſed eorum ſucceſſoribus conſignatum creditur. (4) Ita audiebatur Chriſti nomen non tantum *Hieroſolymis* et in *Palaeſtina*, (5) ſed et in *Samaria*, *Syria*, *Phoenicia*, *Armenia* et plurimis *Aſiae* regionibus, quin et in *India*, (6) in *Africa* quoque et *Aegypto*, quamquam non vbique ſatis conſtanter; ipſa denique *Europa*, praecipue regiones in ea, *Italia*, *Hiſpania et Gallia* cum *Graecia* diuina veritate illuſtrabantur. (7)

(1) Merito Noui Teſtamenti initium a CHRISTO IESU, ad quem tamquam antitypum totum Vetus Teſtamentum reſpiciebat, ejusue praecurſore *Ioanne Baptiſta* conſtituitur, juxta ipſius Seruatoris effatum Matth. XI, 13. quamquam *Petrus von Hoeke* vetus Teſtamentum duraſſe vſque ad deletionem templi Hieroſolymitani, et ſublationem ſacrificiorum velit, in Comment. ad Hebr. Epiſt. p. 1. 29. 155. Contra terminum vtriusque pacti Seruatoris mortem cruentam defendit *Io. Iac. Carpovius* in diſſ. de vera notione teſtamenti V. praemiſſa Tom. III. Theolog. reuel. dogmat.

(2) Varia inter gentiles, praecipue Graecos, in ſuperſtitionem prae caeteris pronos, fuere oracula, at pleraque circa tempus Saluatoris nati conticuere, ſi non ſimul et ſemel, ſucceſſu tamen temporis, quod *de Delphico* prae caeteris nominatiſſimo ex *Cicerone* et aliis oſtendit *Sagittarius* de Oraculo Apollinis Delphico. Vid. etiam *G. Moebius* de Oraculis, *M. Io. Frid. Witzleben*, diſſ. de oraculorum circa natiuitatem Chriſti ſilentio, Lipſ. 1702. *Caſaubonus* exerc. I. ad Baron. *Anton. Bynaeus*, de natali IESV CHRISTI l. II. p. 527. ſeq. multique auctores, quos *I. A. Fabricius* in bibl. Gr. T. I. c. 17. p. 109. et in bibliogr. antiquar. p. 418. itemque *I. C. Pfaffius* in inſtitutt. H. E. p. 93 laudant.

(3) Impoſitum fuit Chriſtianorum nomen non auctore *Petro* Apoſtolo, ſed vel a fidelibus ipſis inter ſe, vel etiam a Iudaeis et gentilibus ex odio, Act. XI, 20. Conf. *Io. Baptiſtae Ottii* Anna-

Annales Eccleſ. Anti-Baron. A. 43. §. 3. ſ. ejusd. diſſ. de nomine Chriſtianorum, Tigur. 1710. *Io. Franc. Buddei* exercit. de origine, dignitate et vſu nominis Chriſtiani, Ien. 1711. *Chriſt. Aug. Heumanni* diſſ. de ortu nominis Chriſtianorum, inſerta primitiis Gottingenſibus p. 130. *Io. Chriſt. Burgmanni* diſſ. de nomine Chriſtiani eiuſque origine et notione, Roſt. 1739. D. *Io. Herm. Benneri* exercit. de Chriſtiano non achreſto Giſſ. 1747. Aliis autem nominibus praeterea dicti fuerunt, *fratres, ſancti* ſiue ὅσιοι, *credentes, fideles, Nazareni, Galilaei, Iudaei,* a profanis gentibus verae originis Chriſtiani nominis ignaris *chreſtiani*, rarius *catholici*, eccleſiaſtici, itemque ſymbolice, *piſces* et *piſciculi.*

(4) Cum neque Lucas in Actis, neque antiquiſſimi primorum temporum Patres vſque ad *Concilium Nicaenum* Symboli Apoſtolici meminerint, recte illud non ab Apoſtolis, conferentibus quibuſuis ſuam ſymbolam ſiue portiunculam, ſed ab Apoſtolorum ſucceſſoribus congeſtum creditur. Vid. *Guil. Ern. Tenzelii* Exercit. Sel. P. I. *L. Ellies du Pin* in Bibliothec. Auct. Eccleſ. T. I. p. 9. ſ. *Aegid. Strauchii* Hiſtoria Symboli Apoſtolici, Vitemb. 1668. *Voetius* Diſp. de Symb. Apoſtol *Gerard, Io. Voſſ.* Diſſ. I. de 3. Symbolis, §. 24. *Petr. Kingii* hiſtoria ſymboli apoſtolici Baſil. 1750, aliosque auctores apud *Io. Georg. Walchium* in introd. in libros eccleſ. luther. ſymbol. L. I. c. II, §. II-XXII. *Sigiſm. Iac. Baumgarten* in Erleut. der im chriſtl. Concordienbuch enthalt. ſymbol. Schriſten §. 9-12. *Iac. Wilh. Feuerlinum* in biblioth. ſymbol. euangel. luther. cl. II. ſect. I-II. III. Male autem *Sandius* in Nucleo Hiſt. Eccleſ. *Arianos* ejus autores facit. Conf. *Bebel.* Hiſt. Eccleſ. *Io. Guil. Baier.* Conc. Nicaeni primi et oeconomici auctoritas atque integritas, Ien. 1695.

(5) Ante obſidionem et excidium vrbis *Hieroſolymorum* Eccleſia diuino motu *Pellam, Peraeae* vrbem, conceſſit, ibique extra periculum habitauit. v. *Io. Guil. Baieri* diſſ. de Chriſtianorum migratione in oppidum Pellam Ien. 1694.

(6) Cum *Indorum* vox generalis multis olim fuerit tributa, de eorum diſtinctione, et quinam potiſſimum Apoſtoli et Doctores iis conuertendis operam dederint, exponit *Ludolf* in Commentario ad Hiſt. Aethiop. Scilicet *Bartholomaeum* et *Pantaenum Arabes*, poſt Saracenos colentes, *Thomam Indos* proprie dictos, in aurea Cherſoneſo habitantes, *Matthaeum* vel *Matthiam Nubaeos*, Eunuchum *Candaces* Reginae *Aethiopes* proprie dictos Aegypto conterminos CHRISTO adduxiſſe, *Framentium* Habeſſinos docuiſſe probabiliter colligit.

(7) Ipſe Seruator tempore praedicationis ſuae inter anguſtos *Palaeſtinae* limites ſe plurimum continuit, tanquam ad *Iudaeos* primo miſſus: coelum vero reuerſurus, Eccleſiae propagationem in toto terrarum orbe ab Apoſtolis fieri voluit, quem in

finem neceſſario linguarum dono, aliiſque Spiritus S. chariſmatibus extraordinariis inſtruebantur. Vid. *Centur. Magd.* l. I, 2, 2. *Arnold. Meermanni* Theatrum converſ. gent. p. 97. ſeq. *Joh. Pappi*, it. *Joh. Heinr. Hottingeri* H. E. *Sagittarii* Epiſt. Antiſchoenemanniana p. 323. ſeq.

§. 2. Toruum videns ad haec Eccleſiae in-
cunabula *Satanas* oppoſuit iis *perſecutiones* crude-
liſſimas, et peſtiferas *haereſes*. *Illarum decem*
A. C. communiter (1) numerantur. *Primam* excitavit
65. Imperator ſaeuiſſimus NERO, incendii Romani in-
famiam a ſe in Chriſtianos transferens. (2) Rapti
tum ad ſupplicium *Paulus* gladio, *Petrus* cruce,
defixo ad terram capite; (3) *Barnabas* (4) cum
A. C. pluribus aliis. *Secundae* autor fuit DOMITIANUS,
91. patri fratrique multum diſſimilis, qua *Ioannes*
Euangeliſta et Apoſtolus ex Aſia Romam perdu-
ctus, poſt varia martyria in inſulam *Pathmum* fuit
relegatus, vbi *Apocalypſin* ſcripſit: (5) *Fl. Clemens*
Caeſaris patruelis Vir Conſularis ob eius-
dem religionis profeſſionem interemptus, et com-
plures alii martyrii palmam reportarunt. (6)
Ex *haereticis* poſt *Pſeud-Apoſtolos* (7) primus
A. C. *Simon Magus* Galilaeus; (8) (cui *Petrus* impreca-
55. tus fuerat,) ſe magnam DEI virtutem, atque in-
ter Samaritanos Patrem, Iudaeos Filium, gentes-
que Spiritum Sanctum eſſe, et meretricem *Helenam*
itidem Sanctum Spiritum, diuina fundere
oracula, angeloſue condidiſſe adſeruit, cum abſur-
dis compluribus aliis. Statua illius in honorem
erecta, ipſeque Petri precibus, dum coelum vo-
latu petere videbatur, in terram deiectus dicitur.
A. C. Ex ejus ſchola prodiit *Menander* Samaritanus,
80. *ſcutum Diaboli, Magiſtro haud inferius*, qui cum
Simone

Simone Angelos mundi conditores, legisque promulgatores ſtatuiſſe, coniugium impugnaſſe, reſurrectionem negaſſe fertur. (9) *Nicolaitae* a *Nicolao Antiocheno*, e ſeptem Diaconis vno, nomen habentes, illius dicto decepti foeminarum introducebant communionem et vagam libidinem. (10) *Cerinthiani* a *Cerintho* auctore dicti ex ceteris cum *Ebionitis Ebionis* adſeclis IESVM non ex ſola *Maria* virgine, ſed et *Ioſepho* prognatum dicebant, in quem poſtea in baptiſmo CHRISTVS deſcenderit, et paſſionis tempore ab eodem receſſerit. (11) Impiam hanc doctrinam *Ioannes* Apoſtolus Epheſum ex *Pathmo* reuerſus praecipue ſcripto Euangelio refutauit. (12)

A. C. 83.

A. C. 84.

(1) Recte *communiter*, cum ſpeciales longe plures hiſtoria recenſeat perſecutiones, quamquam *Lactantius* quinque tantum Imperatores enumeret, qui Eccleſiam fuerint perſecuti, quod de funeſta morte diuinitus puniris tantum intelligit. In primis de perſecutionibus egerunt *Io. Meiſnerus* in diſſ. de perſecutionibus et martyriis Chriſtianorum veterum Vitemb. 1654. *Chriſt. Kortholt* in comment. de perſecutionibus eccleſiae primitiuae ſub imperatoribus ethnicis, Kilon. 1689. *Henr. Benckendorfius* in der kurzgefaßten Hiſtorie von den zehn Hauptverſolgungen, aliique, quos *Stollius* in der Anleit. zur Hiſtor. der theol. Gelahrh. c. III. §. 67. et *Fabricius* in ſalut. luce euang. c. 7. p. 133. ſq. laudant. De cauſis perſecutionum a Romanis contra Chriſtianos excitararum bis diſſeruit *D. E. H. D. Stoſch*, Francof. ad Viadr. 1755.

(2) In hoc incendio e quatuordecim, in quas *Roma* diuidebatur, regionibus, quatuor tantum integrae ſeruatae fuerunt. Declinans itaque *Nero* infamiam et inuidiam, *Chriſtianos* incendiarios finxit, atque ita perſecutionem in eos mouit, de qua *C. Corn. Tacitus* Annal. l. XV, 44. *Pereuntibus bis addidit ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniata canum interirent, aut crucibus adfixi, aut flammandi, atque, vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis vrerentur.* Perſecutionem illam *Nero* etiam extra vrbis pomoeria exercuit, vti in Hiſpania, qua de re egit *Io. Ern. Imman. Vualchius* in marmore Hiſpaniae antiqu. vexation. Chriſtian. Neron. inſigni documento, Ien. 1750. et in perſequut. Chriſtianor. Neron. in Hiſpania ex antiqu. moniment.

ment. probandae vber. explanat. Ien. 1753. Confer. *Dieterici* Hiſtor. Neron. *Sagittarius* de Martyrum cruciatibus.

(3) Multa hac de re lis apud Hiſtoricos, quorum nonnulli id fortiter, ad vindicandam Patrum idipſum memorantium, et *Romanae* ſedis autoritatem adfirmant: non pauci tamen fortius inficiantur, ducti prae ceteris ex Chronologia et aliunde petitis argumentis, non vſque quaque infirmis. Vid. *Ottius* exam. perpet. Annal. Baron. Ann. 69. §. 1. ſqq. Adde *Paullini* T. III. Zeitkürzender erbaul Luſt. p. 850. ſqq.

(4) *Barnabas Mediolanenſem* Eccleſiam ſub *Tiberio* fundaſſe, et in *Liguria* praedicaſſe fertur; in *Cypro* ſub *Nerone* martyrum palma decoratus.

(5) *Domitiani* perſecutionem vno anno coeptam et conſummatam haud fuiſſe, contra *Henr. Dodwelli* de paucitate Martyrum Diſſert. probat *Theod. Ruinartus* in actis primorum Martyrum. In illa perſecutione *Ioannes* Euangeliſta juxta *Tertullianum*, *Origenem*, *Hieronymum* vinctus *Romam* miſſus, in oleum igneum demerſus, saluus euaſit, nihilominus in *Pathmum* Inſulam ex *Sporadibus* vnam ad effodienda metalla relegatus fuit. Diſputarunt de hoc ſupplicii genere *Heumannus* et *Moſhemius* in biblioth. Brem. cl. III. Faſc. II. n. 5. p. 316. cl. IV. Faſc. I. n. 3. p. 34. Faſc. 5. p. 937. *Moſhemius* quae reſpondit in ſuarum diſſert. ad hiſtor. eccleſ. pertinentium Vol. I. p. 497. ſeq. recudenda curauit. Sed illum in inſulam Pathmum relegatum, negauit *M. Guil. Alex. Schwollmann* in comment. qua de Ioannis in Patmo exilio dubitatur Hal. 1757.

(6) Huc refer Caeſaris ex ſorore neptem *Flauiam Domitillam*, in Inſ *Pontiam* miſſam, cum alia *Domitilla*, *Clementis* coniuge, in Inſ. *Pandatariam* relegatam, *Antipam* Pergami Doctorem, in candentem bouem aeneum coniectum, *Timotheum*, *Oneſimum*; *Dionyſium Areopagitam*, et quam multos alios. Tandem tamen Imperator Chriſti regnum in his terris non temporale, ſed ſpirituale eſſe edoctus, promulgato edicto perſecutionem ſuſpendit, et ad tempus remiſit, minimum propitior erga Eccleſiam, quae in *Iudaea* extitit, eſſe coepit. Conf. *Eutych. Dion. Caſſ.* Niceph. *Tertull. Euſeb. Cedren. Cent. Magdeb.*

(7) *Pſeud-Apoſtoli* alio nomine *Nazaraei* vocati, Euangelii de CHRISTO cum ceremoniis legis *Moſaicae* ad ſalutem neceſſarium nexum vrgebant.

(8) De *Simone* Mago haereticorum omnium patre *Mich. Siricius* inſigni et prolixa diſputatione Giſſ. 1664. habita egit, ejus ἑτεροδοξίας adferens, et quomodo malum Deum huius vniverſi conditorem blaſphematus fuerit, angelos colendos, Prophetas parui faciendos docuerit, reſurrectionem negauerit, omnes corporis libidines pro licitis habuerit, cum aliis recenſens. Conf. et *Ottius* in Anti-Baron. A. 51. §. 2. *Heur. Horbius* de vltima haereſeos Sim. Magi Origine, in *Vogtii* bibl. hiſtor. haere-

haereſiologicae T. I. p. 508. *Io. Andr.* Helwigii diſſ. de Simone mago primo N. T. haereſiarcha Act. IIX. 9 Vit 1693. *Th. Ittigii* diſſ. de haereſiarch p. 23. Eius ſectatores non adeo multo tempore Eccleſiam Domini inquietarunt. Hunc Simonem ab Simone haereſiarcha diſtinxit quidem *Vitringa* Obſeruatt. S. L. V. c. 12. p. 159. refutatus ab *Moſhemia* in diſſ. de vno Simone mago, inſerta vol. II. diſſertat. ad H. E. pertinent. p. 55. Caeterum quae ad Simonem pertinent, enarrauit idem in inſtitutt. H. E. maior. ſaec. I. p. 389. ſeq.

(9) *Menander* Chriſtum verum hominem negauit, ſe vero deſtinatum mundi ſeruatorem maligno ore euomuit, coelo ad ſalutem hominum demiſſum. Vid. *Euſeb. l. III, 26. Iuſtin. Irenaeus, Origenes.*

(10) Dixerat Ni*colaus*, carne abuti oportere, quo ipſo voluit, carni haud quaquam indulgendum, ſed eam perdomandam, et aſſidua virtutis exercitatione frenandam. Sed quidam male hoc interpretati, carne ad varia flagitia, contra *Nicalai* mentem, abutebantur. Specioſo *Gnoſticarum* nomini ſe poſtea ſic inuoluerunt. Conf. *Eberh. Rud. Rathii* Diſſ. de Nicolaitis, in Apoc. II, 15. delineatis Ien. 1679. *Th. Ittigii* de haereſiarchis aeui apoſt. diſſ. c. IX. ſect. I. it. *Taylor* de Nicolait. Doctrina. Praeterea Nicolaitarum ſectam vere exſtitiſſe, negarunt *Io. Guil. Ianus* in diſſ. de Nicolaitis ex haereticorum catalogo expungendis. Vit. 1723. itemque *Ioach. Langius* in ogdoade diſſ. de haereſiologia ſaec. I. et II. p. 26. quibus tamen *Moſhemius* demonſtrationem ſectae Nicolaitarum in bibl. Brem. cl. I. faſc. IIII. p. 381. atque Vol. I. diſſ. ad H. E. pertinent. p. 396. ſqq. oppoſuit. Contra *Chriſt. Fried. Rederus* Nicolaum diaconum haereſeos Nicolaitarum auctorem fuiſſe in comment. Lipſ. 1736. edita, negat.

(11) *Cerinthus* natione Iudaeus Chriſtianos circumcidendos et angelos adorandos eſſe contendit, Chiliaſticoque errori adhaeſit, poſt reſurrectionem Regnum Chriſti terrenum, in quo homines mille annis carnis voluptatibus dediti, hilaria acturi ſint, *Irenaeo, Euſebio et aliis teſtantibus.* Quae de *Cerintho* balnei ruina oppreſſo vulgo traduntur, apud nullum ſcriptorum veterum leguntur. Vid. *L. Ittigii* de Haereſiarchis, p. 50. *Eſdr. Henr. Edzardi* diſſ. de Iohanne Cerinthi praeſentiam fugiente, Witteb. 1723. *D. P. E. Iablonſki* diſſ. II. de regno millenario Cerinthi, Francof. ad Viadr. 1744. *Ebion* autem ſolo *Matthaei* Euangelio vtebatur, *Paullum* tanquam apoſtatam reiiciebat, adſeclae *Ebionis* legis *Moſaicae* tenaces, carnibus abſtinebant, opes contemnebant, in S. Coena panem azymum et aquam adhibebant, denique cum *Cerinthianis Chiliaſmum* profitebantur. Plura vide apud *Mich. Siricium* in ὑπομνήματι de Ebione et Ebionitis, Giſſ. 1668 alia apud *Jurium* in Syſtem. de Eccleſ. et analog. fidei c. XV. *Richard. Simon.* Hiſt. Critic. N. T. c. 8. apud

 Th.

Th. Ittigium in diſſ. de haereſiarch. p. 59. apud *Moſhemium* in diſſ. qua oſtenditur, certo hodie et explorate conſtitui non poſſe, vtrum Ebion quidam nouae ſectae extiterit auctor olim inter Chriſtianos nec ne? in vol. I. diſſ. ad H. E. pertinent. p. 552. apud *Mich. Lequien* cuius diſſ. *Io. Vogtius* biblioth. haereſiol. hiſtor. T. II. faſc. I. n. 1. inſeruit.

(12) Vid. *Gabr. Prateolus*, epit. veterum recentiorumque Haereticorum. *Cent. Magdeb.* l. I, 2. 5. *Pappi* et *Hottingeri* H. E. et alii. Id quod aduerſus *Lampium* defendit G. *L. Oederus* in libro de ſcopo euang. Ioan. apoſt. certiſſime haereſi Cerinthi et Ebionis oppoſiti Lipſ 1732, 8. v. *Ioach. Oporini* clauis euangelii Iohannis, quae patefacit, illud totum nihil aliud eſſe, quam demonſtrationem Anticerinthianam de Ieſu θεανθρωπῳ Gotting. 1743.

§. 3. Exortae inter *Paullum* Apoſtolum et alios de operum meritis et legis Cerem. impletione controuerſiae reiecta deciſio fuerat ad Eccleſiam *Hieroſolymitanam*, quae *primum* ibidem habuit *Concilium*, quo ceremoniali lege abrogata noui teſtamenti fideles aeque ac in veteri per IESV CHRISTI gratiam ſaluari decretum. (1)

A. C. 48.

Habuit de cetero *hoc ſaeculo* Eccleſia praeter ipſum ſalutis noſtrae magiſtrum CHRISTVM IESVM, cuius hiſtoriam ex Euangeliſtis complures alii deſcripſerunt, (2) *Apoſtolos*, (3) quoque, *Euangeliſtas* et *Apoſtolicos viros*. In *Apoſtolorum* numero cenſentur [1] *Simon Petrus*, (4) a ſaluatore initio vocatus, docuit in *Oriente* et *Antiochiae*, in *Occidente* quoque *Romae*, vbi tamen per XXV. annos Epiſcopatui praefuiſſe haud potuit. (5) Sub Nerone eum ſupplicio vltimo adfectum Patres teſtantur. [2] *Andreas* ejus frater *Scythiam*, *Sogdianos et interiores Aethiopes* adiiſſe, *Thraciae* porro, *Macedoniae*, aliisue *Aſiae* regionibus verbum CHRISTI nunciaſſe, tandem vero cruci decuſſatim adfixus obiiſſe ſcribitur, (6) [3] *Iacobus*

Iacobus Major, in *Iudaea* et *Samaria* fidem praedicauit, tandem ab *Herode Agrippa* in Iudaeorum gratiam percuſſus gladio. (7) [4] *Iohannes Euangeliſta* et ante *Domitianum* et poſt eum *Epheſo* Chriſtum adnunciauit, ſub illo varia paſſus, aetate reliquos ſuperauit Apoſtolos, morte tandem naturali ſolutus. (8) [5] *Philippus Aſiam, Phrygiam* et *Scythiam* ad CHRISTVM vocare adniſus crucis ſupplicium ſubiit. (9) [6] *Bartholomaeus*, quem Regio ſanguine cretum nonnulli volunt, in *Lycaonia*, *Armenia* et *India* Chriſti ſparſit doctrinam, miſere tandem excoriatus. (10) [7] *Thomas* praedicato apud *Parthos*, *Medos*, *Hircanos et Indos* Euangelio, ſagittis vltimo confoſſus obiit. (11) [8] *Matthaeus* (12) Chriſti religionem in *Ponto* et *Aſia*, *Aethiopia et Abyſſinia* adferuit, tandem prope altare interemptus [9] *Iacobus Minor* (13) primus Hieroſol. Epiſcopus a furibundis hoſtibus de templi pinna deturbatus, lapidibusque obrutus ſcribitur. [10] *Iudas Thaddaeus* (14) in *Galilaea*, *Idumaea*, *Arabia*, *Syria*, *Meſopotamia* et *Perſia CHRISTVM* edocuit, a *Perſarum* Sacerdotibus confoſſus. [11] *Simon Zelotes* (15) in *Aegypto*, *Africa* et *Libya* Euangelium propugnauit, tandemque *Hieroſolymis Iacobo* fratri in regenda ſucceſſit Eccleſia, cruci vltimo adfixus. [12] *Matthias* (16) in proditoris *Iudae* locum ſorte ſuffectus, *Macedoniam*, *Aethiopiam* et *Anthropophagos* peragrauit, *Hieroſolymisque* lapidatus fuit. Quibus [13] *Paulus* (17) merito adnumeratur, gentium Doctor, qui peragrata *Aſia*, *Graecia*, *Macedonia*, *Hiſpania*, *Gallia* et *Italia*,

A.C. 100.

Neronis iuſſu capitis ſupplicio adfectus. *Euangeliſtae* praeter *Matthaeum* (18) et *Iohannem* Apoſtolos nominantur *Marcus*, *Pauli* fidelis in conuertendis gentibus initio comes, et primus *Alexandrinus* Epiſcopus, tandem per vrbem raptus interiit; (19) *Lucas* item, quem *Medicum* multi, *pictorem* alii fuiſſe credunt, *Chriſti* et *Apoſtolorum* ſcripſit hiſtoriam, idiomate cum ceteris communi Graeco. (20) Inter *Viros Apoſtolicos* celebriores LXX. illi a CHRISTO vocati diſcipuli, (21) *Timotheus* item *Epheſiorum*, (22) *Titus Cretenſium* Epiſcopi. (23) Floruerunt quoque hac aetate *Silas Corinthiorum* Praeſul, (24) *Creſcens Chalc. antiſtes*, (25) *Barnabas, Mediolan*, (26) *Hermes in Dalmatia*, (27) *Aquila*, *Priſca*, (28) *Clemens Romanus*, (29) *Oneſimus*, (30) *Dionyſius Areopagita*, (31) *Athen. Epiſcopus*, et plures alii. (32)

(1) *Concilium* hoc *Hieroſolymitanum* falſo a Pontificiis pro ſtabiliendo *Petri* primatu in Eccleſia adducitur, cum contrarium potius, et quod primas partes *Petrus* in eodem haud habuerit, ex ipſa ſacri textus Act. XV. litera pateat. Vid. prolixe *Ottius* ad A. 51. Diuiſionem hic Apoſtolos regionum orbis, in quibus quilibet DEI verbum adnunciaret, ſorte feciſſe, aeque ſapit fabulam.

(2) *Matthaeſius*, *B. Dilherrus* in Schola Chriſti et Apoſtolorum, *Cent. Magd.* l. 2, 10. aliiue complures. Ceterum ipſum Seruatorem libris 27. ſuam doctrinam complexum fuiſſe, eoſdemque reliquiſſe, quod ſaxum aliquod *Sinenſe* tradit, fabula eſt, niſi de libris Noui Teſt. Canonicis, quorum 27. omnino ſunt, intellectum velis. *L. Ittig.* diſſ. de Patribus Apoſtolicis. *Io. Georg. Hagemanni* Nachr. von den Schriften des alten und neuen Teſtaments p. 552.

(3) *Apoſtoli* prima & praecipua Eccleſiae membra a CHRISTO conſtituta, vt verbum voce pariter et ſtylo toti mundo adnunciarent. *Euangeliſtae* euangelii initia, et CHRISTI in his terris geſta ſcribebant. *Apoſtolici viri* ex ipſius Chriſti et Apoſtolorum diſcipulis, adjutores et ſucceſſores Apoſtolorum fuerunt in

in tradenda Chriſti doctrina. Dicebantur autem *viri Apoſtolici* omnes Patres *Ante-Nicaeni*, teſte *Parkero* tr. de deſcenſu Chriſti ad inf. p. 12. De *Apoſtolis*, *Euangeliſtis* et aliis N. foederis miniſtris primis vid. *Fr. Burmannus* in exercit. Academ. P. II, p. 95. ſqq. *Will. Caue* Antiquitt. Apoſtol. oder Leben, Thaten und Märtyrtod der heil. Apoſtel, Leipz. 1710. Ejusd. ſcriptor. eccleſ. H. litteraria, *Gottl. Stolle* in den aufricht. Nachr. von dem Leben, Schriften und Lehren der Kirchenväter der erſten vier Jahrh. nach der Geburt unſers Heil. Jeſ. 1733. *Chph. Aug. Heumanni* diſp. de Septuaginta Chriſti legatis Gotting. 1743.

(4) Primatum ordinis *Petro* ratione vocationis et aetatis, non ratione poteſtatis, lubentes concedimus, contra quam Pontificii volunt, eum CHRISTI in terris vicarium et Eccleſiae Monarcham conſtitutum nugantes. Praeterea euoluatur *D. Chriſt. Kortholdi* diff. de Simone Petro primo apoſtolorum et vltimo Gotting. 1748. *Phil. Iac. Hartmannus* de Petri primatu, in ejusd. comment. de rebus geſtis Chriſtian. ſub apoſtolis p. 76.

(5) *Petrum Romam* veniſſe, ibique docuiſſe, ex Patribus multi memorant, quamquam ſcriptura ea de re plane ſileat, vnde confuſus et incertus adeo peregrinationum *Petrinarum* ordo emergit, vt non pauci, *Petrum Romam* nunquam veniſſe, ſtatuere malint, *Papiamque* fabularum multarum conſutorem primum haec finxiſſe, communique poſt errore Patres decepiſſe tradant. Vid. *Veleni* Diſſ. Petrum Romam non veniſſe: adde *Nicandri e Hoheneeg* hiſtor. Papatus periodo I. *Fried. Spanhem* Diſſert. de temere credita Petri in vrbem Romanam profectione Lugd. Bat. 1677. *Salmaſ.* de primatu Papae. *Petr. Franc. Fogginii* exercit. hiſt. crit. de Romano diui Petri itinere, Florent. 1741. Contrarium tamen defendunt *Wilh. Caue* in hiſt. Sanctorum Apoſtolorum, nec non *Jo. Pearſon* Epiſcopus *Ceſtrienſis* in operibus poſthumis cum aliis. Et dabimus Patrum autoritati, *Romae* eum fuiſſe; quod autem per 25. annos Epiſcopus ibidem *Petrus* haud fuerit, ex ſacris abunde colligi poteſt. Conf. *Ottium* A. 44. ſeq. Ceterum de *Petri et Pauli* peregrinationibus et Epiſtolis vid. *Lud. Cappelli* hiſtor. Apoſtolica, Tom. VII. Critic. ſacr. p. 3131. ſeq. De primorum porro Pontificum Romanorum ſanctionibus magna inter Hiſtoricos lis eſt, quibusdam *Linum*, *Cletum*, *Clementem*, *Anacletum*; aliis *Linum*, *Anacletum*; rurſum aliis *Clementem*, *Anacletum*, vel *Linum*, *Clementem*, *Cletum*, *Anacletum* numerantibus. Vid. *L. Ittig.* Diſſ. de Patribus Apoſtolicis, p. 105. ſeq. *Io. Pearſonius* in Oper. Poſthumis. *Io. Phil. Baratieri* diſquiſ. chronol. de ſucceſſione antiqu. epiſcopor. Roman. inde a Petro vſque ad Victorem, Vltraj. 1740.

(6) Vti de ceteris Apoſtolis, eorumque itineribus incerta extra ſcripturam omnia, ita de *Andrea* plane dubia traduntur. *Ruſſi* et

et Moſconitae ſe ab eodem religionem Chriſti accepiſſe nugantur. Conf. *Paullini* Zeitkürzende erbaul. Luſt. T. III. p. 84. *Graecorum et Byzantinorum* Epiſcopus *Nicephoro* fingitur. *Patris in Achaia* crucifixus, tres dies viuus permanſiſſe et concionatus fuiſſe ſcribitur. *Paſſio Andreae et Liturgia* inter ſcripta ſpuria merito refertur. Conf. *Coci* Cenſur. Patr. pag. 102. *L. Ittig.* Diſſ. de Patr. Apoſtol. p. 56 ſeq. *Sagittar.* Epiſt. Anti-Schoenemann. p. 72. *God. Hanckii* diſſ. de Sancto Andrea Apoſtolo, Lipſ. 1698. *Chph. Lemmii* memoria Andreae Apoſtoli, Witteb. 1705. *Car. Chriſt. Woogii* presbyterorum et diaconor. Achaiae de martyrio St. Andreae Apoſtoli epiſtola encyclica, Lipſ. 1749.

(7) Nugantur de *Iacobo Maiore* Mythologi, *Hiſpaniae* eum et Occidentalium locorum populis Euangelium praedicaſſe, ac tandem Hieroſolymas reuerſum capitis ſupplicium ſubiiſſe. Vid. de eius legenda *Vſſerius Armachanus* in Antiquit. Britann. c. 1. adde *Natal. Alexandr.* et alios. Confirmare tamen eius aduentum in *Hiſpaniam* nititur *Card. de Agnirra* in collectione Concil. Hiſpan. et noui orbis Diſſ. IX. p. 137. ſeq.

(8) Quo id anno praeciſe factum, variant Auctores. Vid. *Ottius* ad A. 101. §. 3. Eum adhuc in orbe ſuperſtitem quipiam fingunt. Conf. *Mitternachti* progr. de hac materia. Euangelium eius propria manu litteris aureis ſcriptum *Toloſae* hodiernum adſeruari rectius fingitur, quam adſeritur. *Henr. Dodwellus* eidem Euangelium tantum et primam epiſtolam, alii autem *Ioanni* recentiori presbytero Apocalypſin, cum ſecunda et tertia epiſtola tribuit.

(9) Factum id ſcribitur A. C. 54. quo apud *Hierapolin Aſiae* ciuitatem cruci adfixus et lapidibus obrutus, glorioſo fine, (ab aliis tamen morte placida et naturali) obiiſſe fertur.

(10) Contigiſſe id ferunt iuſſu *Aſtyagis Indiarum* Regis, at fide admodum dubia. Vid. *Sagittarius* de cruciatibus Martyrum. *Nathanaelem* hunc alias nominatum nonnulli adſerunt. Conf. *Wilh. Cave* in antiqnit. Apoſtolicis, *Io. Nic. Nahrii* diſſ. de Nathanaele a Bartholomaeo non diuerſo, Lipſ. 1740.

(11) *Didymus* ſiue *geminus* alias dictus, lanceis vltimo confoſſus a plerisque, ab aliis vero gladio percuſſus traditur. Omnem hunc fere percurriſſe orbem narrant nonnulli. De *Chriſtianis Thomanis in India Orientali*, et B. *Thomae* martyrio conf. *Er. Franciſci* Oſt- und Weſtindianiſcher Luſt- und Staatsgarten p. 1551 ſeq. De *Pſeud-Euangelio* eius conf. *L. Ittigii* diſſ. de Patribus Apoſtol. pag. 16. ſeq.

(12) *Matthaeo Iudaeam* et *Macedoniam* praedicationis loca multi adſignant, eumque martyrium ſubiiſſe in ciuitate *Beſchperi* ſiue *Naddaver* tradunt, vbi lapidibus obrutus, aut capite truncatus, aut clauis in terram defixus ſcribitur. Alii, quod *Iphigeniae Aethiopum* Regis filiae matrimonium cum *Hirtaco* gentili diſſuade-

ſuadetet, ad aram ob hoc obtruncatum volunt. Vid. *Anton. Marſil. Columna* de vita, translatione et miraculis S. Matthaei.

(13) Circa hunc quoque variant Autores, vtrum primus Hieroſolymorum Epiſcopus fuerit, quem quidam fratrem Domini, alii *Alphaeum* item *Iuſtum* vocant: hi primum, iſti tertium faciunt, imo nec inter Apoſtolos, ſed inter Diſcipulos eum numerant. Vid. *Sagittarius* de Martyrum cruciatibus.

(14) Alias *Lebbaeus* frater *Iacobi* et *Simonis*, *Cleophae* filius fuiſſe perhibetur: Circa martyrium eius intricata et perplexa omnia.

(15) *Simon* hic *Canites*, non *Cananites* adpellatur. Adſignantur quoque ipſi regiones *ad Occidentalem Oceanum*, & Inſulae *Britannicae*, quas verbo DEI impleuerit. *Hieroſolymis* demum Anno aetatis 120. cruci adfixus traditur. Vid *Ado Vienn.* p. 111.

(16) Aut *Giſcalae* in *Galilaea*, poſt habitam cum *Anano* Pontifice diſputationem, quam mendax *Abdias Babylonicus* hiſtoriae certaminis Apoſtolici p. 128. ſeq. inſeruit, de quo *Abdia* conf. *L. Ittig.* de Patribus Apoſtol. p. 66.

(17) Ex *Saulo Paullus*, ex perſecutore fidelis Chriſti praeco et magnus gentium Doctor factus, praedicato vbique IESV nomine, tandem *Romae* paſſus fuiſſe communiter traditur. Fingunt hic fabularum ſcriptores, caput a vertice gladio reſectum ter exiliiſſe, et toties IESV nomen exclamaſſe, illicque locorum tres fontes erupiſſe. Vitam eius plures conſignauerunt, recentiſſime *Wilh. Cave*, *Io. Pearſonius* in operibus poſthumis, et ſtylo Germanico G. *F. Graeter*, quos enarrauit plutibus *Gottl. Frid. Gudius* in ſpec. biblioth. diſput. et obſeruat. de ſelect. H. E. capitibus p. 38. ſqq

(18) *Hebraice* ſuum hunc Euangelium ſcripſiſſe, ſed ſine omni fundamento, quipiam, quos inter *P. Richardus Simonius* in hiſt. Brit. Novi Teſt. eſt et *Anton. Bynaeus* de natali IESV CHRISTI, volunt. Vid. *Kortholt* de variis S. Scripturae editionibus c. VII. *Waltheri* officina Biblica, p. 72. ſeq. *Siricius* de Ebione et Ebionitis, *L. Ittig.* de Haereſiarchis, *Ern. Chriſt Schroedteri* diſſ. de lingua Matthaei authentica Witt. 1701. *Andr. Gottl. Maſch* Abhandl. von der Grundſpr. des Evangel Matthäi, Halle 1755.

(19) *Marcum* Euangeliſtam *Ioannem* quoque cognominatum quidam autumant, alii diſtinguunt; Vid. *Ittigius* de Pp. Apoſtol. p. 42. Euangelium ſuum *Romae* ſermone Latio ſcripſiſſe ferunt nonnulli, quamquam abſque omni ratione. Conf. *Waltheri* Offic. Bibl. p. 78. ſ. *Ern. Chriſt. Schroedteri* diſſ. de Marci lingua authentica, Witt. 1702. *Veneti* ſe hodienum αὐτογραφον *Graecum* poſſidere gloriantur, quod tamen ſigillo obſignatum cuſtodiunt, ne in rei veritatem facile inquiri poſſit *L. Ittigii* Diſſ. de Pp Apoſtol. *Io. Petr. von Ludewig* unerkannte Umſtände des von dem Evangel. Marco eigenhändig geſchriebenen und zu Prag und Venedig verwahrten Evangelii, in deſſelben gel. Anzeige Tom. III. p. 452. ſ. quem quidem refutanit

S. I.

S. I. Baumgarten in Epiſt. diſſert. de vindiciis textus graeci contra Harduinum adnexa, atque in opuſc. lat. faſc. II. epiſt. 39. Porro de eius *Liturgia*, item Eccleſiae *Alexandrinae* fundatione conſ. eund. l. c. *Dorotheus Marcum* ſub *Traiano* Imp. rudente collo iniecta, a loco, cui *Boculus* nomen eſt, vsque ad locum, qui *Angelorum* dicitur, tractum, igne crematum, et in *Boculo* ſepultum fuiſſe narrat. Corpus eius *Venetias* translatum, vel in *Augia divite* quieſcere tradunt nonnulli. *Dorſch.*

(20) *Lucam Hieronymus* et *Theophylactus* Medicum *Antiochenum* fuiſſe dicunt, pictorem *Nicephorus* adfirmat, ſed caret fundamento. Vid. *Reiskius* de imagin. IESV CHRISTI, exerc. V. *Chriſt. Ludou. Schlichter* de Luca non pictore, Hal. 1734. *Io. Dieter. Vuinckleri* diſp. de Luca medico, Lipſ. 1736. *D. Bened. Gottlob Clauſwitz* de Luca Euangeliſta medico, Hal. 1740. Eo *Paulus* in itineribus ſuis comite fuit vſus. *Epiphanius* autor eſt, docuiſſe in *Gallia*, *Macedonia*, et *Dalmatia*: de morte illius variant. *Hieronymus* in *Bithynia* occiſum, *Dorotheus Epheſi* mortuum, *Nicephorus* denique ex fructiferae oleae arbore ſuſpenſum adfirmat. Non tam rerum a CHRISTO geſtarum omnium αὐτόπτης fuiſſe *Lucas* videtur, quam ex aliorum relationibus, diuino adflatu, ſuam hiſtoriam contexuiſſe.

(21) Horum nomina forſan haud omnia ad veritatis amuſſim deſignata, adferre hic opus haud eſt. Videat, qui velit, in *Cent. Magd.* it. *Ottii* exam. Annal. Baron. A. 33. §. 33. ſeqq. *Mich. Vran.* de LXX. diſcipulis.

(22) *Timotheus Epheſi* a Paullo relictus, eidemque Epiſcopus ſiue presbyter datus (illo enim tempore inter Epiſcopum et Presbyterum nulla omnino fuit realis differentia. Conf. *Salmaſium* de primatu Papae, M. *Anton. de Dominis* de Rep. Eccleſ. Auctoris Römiſch. Pabſts Thron, et multos alios) cum in feſto *Dianae* cultus idololatricos acerbe taxaret, lapidibus fuit obrutus.

(23) *Titum* ſunt qui in *Dalmatia* quoque docuiſſe tradunt. Vid. *Io. Georg. Vualchii* diſp. de Tito, viro apoſtolico, Ien. 1741. Addendi his *VII. Diaconi*, ab Apoſtolis et Eccleſia pro curis pauperum conſtituti, de quibus *Dan. Guil. Mollerus* in pec. diſſ. Altd. 1696. diſſerunt. Fuerunt hi *Stephanus* Protomartyr, lapidibus obrutus, *Philippus*, qui in *Samaria* verbi ſementem fecit, *Prochorus*, quem *Stephani* conſobrinum fuiſſe tradunt, ſub cuius nomine *circuitus Ioannis* extat, ſed longe recentiori aeuo ſcriptum ſe prodit. *Nicomediae* docuiſſe traditur. Vid. *Ittigii* diſſ. de Patribus Apoſtol. p. 44. *Nicanor*, Timon, *Parmenas* et *Nicolaus*, de quo ſuperius n. 10.

(24) Hunc *Silam Syluanum* alias dictum *Hieronymus* adſerit.

(25) A quo *Viennenſes in Gallia* et *Moguntini* ſe primum inſtitutos putant, imo *Galli* et *Galatae* verbum accepiſſe tradunt.

(26) De *Barnaba* eiusue ſcriptis, quae ipſi vulgo adſignantur, prae aliis vid. *L. Ittigium* p. 170. ſeq. *Mediolanenſis* Eccleſiae

ac

ac circumiacentium fundatorem *Baronius*, ſed ſine fundamento, tradit: alii *Brixiae* docuiſſe volunt. Conf. *P. Allixium* in annotat. ſuper hiſtor. Pedemont. et *Honorium Stellam*, it. *Stephanum le Moyne* in variis ſacris.

(27) *Hermas* vel *Hermes* falſo Epiſcopi Romani *Pii* frater fuiſſe ſtatuitur: eius *Paſtor*, qui circumfertur, merito inter ſcripta ſpuria refertur, quanquam contra *Blondellum*, *Scultetum* et *Rivetum* defendere nitatur *Georg. Bullus*, presbyter *Anglicanus*. Adde *Coci* Cenſ. Patrum, *Meelführerum* coron. Cent. Patr. *L. Ittig* p. 184. ſeq.

(28) *Aquilae a Dorotheo Heraclea*, *Priſcae* vel *Priſcillae* illius vxori *Colophon* locus praedicationis tribuitur, qua fide, haud conſtat.

(29) Teſte *Irenaeo* Epiſcopatum ab Apoſtolis accepit, et adhuc ante oculos habuit inſonantem Apoſtolorum praedicationem. Scripta illius, quae hodie circumferuntur, *Canones* item *Apoſtolici*, fidem omnimodam neutiquam merentur. *Romanae* Eccleſiae tamquam Epiſcopus praefuiſſe, et A. 92. martyrii laura coronatus fuiſſe ſcribitur. Diſſeruit de eodem erudite, vt ſolet, *L. Ittigius* Diſſ. de Patribus Apoſtol. p. 206. ſeq. it. *Paul. Colomeſius*, *Io. Gottl. Freudenberger* in hiſtor. recent. controu. de Clementis R. epiſtolis, Lipſ. 1755. atque de conſtitutionibus apoſtolicis M. *Gottl. Wernsdorf*, Witt. 1739. *Io. Frider. Cotta*, Tubing. 1746. *Io. Guil. Ianus*, *Car. Frider. Pezoldus*, Lipſ. 1698. Canones vero apoſtolicos cum ſcholiis edidit *Io. Balth. Bernholdi* Alt. 1733.

(30) *Byzantinus* Epiſcopus fuiſſe fingitur *Oneſimus*.

(31) Hic a B. *Paulo Athenis* conuerſus, primus ſtatuitur *Athenienſium*, poſt in *Gallias* ablegatus *Pariſinus* Epiſcopus, quamquam circa hoc temporis ratio plane diſcordet. Vltimo martyrii corona decoratum et decollatum, caput ſuis manibus ad fanum *S. Dionyſii* detuliſſe nugantur. *Iac. Sirmondus* et *Io. Launoius* hunc *Areopagitam a Dionyſio Pariſ.* Epiſcopo diuerſum plane faciunt. Vnum autem conſtituunt *Germ. Milletus*, *Io. Samblacatus*, *Hugo Menardus*, *Petrus Halloix*, *Nat. Alexander* cum aliis. Scripta eius, quae extant, adulterina ſunt, vel certe ita corrupta, vt a genuinis diſcerni vix queant. Conf. *Dallaeus* de ſcriptis Dionyſ. Areopag. *Meelführerus*, *Ottius*, *Sagittarius*, *Cocus*, it. *Reiſerus* in Anti-Bellarm. p. 765 ſequ. *Io. Frid. Mayerus* in diſſ. de Dionyſio Areopagita eiusque ſcriptis ſuppoſititiis, Gryph. 1708. cum *L. Ittig.* in diſſ. de Patribus Apoſtol. p. 125. ſequ. adde *Emanuel a Schelſtraten* in diſciplina arcani, libros genuinos adferentem, et *Tenzelium* eund. in epiſtola ad amicum examinantem.

(32) Adnumerari his poſſunt *Ioſephus Arimath. Britannorum* vulgo creditus Apoſtolus, *Nicodemus*, cui Pſeud-Euangelium adſcribitur, *Lazarus*, quem inter primos *Galliae* praecones recenſent, *Linus Petri* in Rom. Epiſcopatu ſucceſſor, cui *de paſſione Petri*

Petri et Pauli libri falſo adſignantur: *Martialis Lemouicenſis*, cuius epiſtolae ſpuriae ſunt; de quibus aliisue pluribus agit multoties memoratus *L. Ittig.* l. c. *Ariſtobulus*, qui in *Britannia*, *Phlegon Marcthone*, *Iaſon Tarſi*, *Epaphroditus Adrianae*, *Evodius Antiochiae*, *Philemon Gazae*, alii alibi docuiſſe feruntur. Sed et haec incerta pleraque. Vid. *Dilherri* Schola Chriſti et Apoſtol. *Cent. Magd.* et alii.

A.C. 70. §. 4. Anno LXX. huius ſaeculi (1) euerſa fuit *Iudaeorum* Respubl. et Metropolis, perieruntque tum vndecies centena nonaginta ſeptem Iudaeorum millia. Claruerunt autem apud illos circa haec tempora *Gamaliel*, (2) *Pauli* Praeceptor, *Hillel*, (3) *Philo*, Iudaeorum apud *Caligulam* Orator, (4) *Onkelos*, (5) quem *Titi Veſpaſiani* ex ſorore nepotem nonnulli faciunt, qui in *Pentateuchum*, et *Ionathan*, qui in *Prophetas Paraphraſin* ſcripſerunt. (6) *Fl. Ioſephus* denique *Antiquitatum Iudaicarum et de bello Iudaico* ſcriptor. dexterrimus. (7).

Romanorum Scriptorum hoc ſaeculo, quo *Monarchiam* ex *Ariſtocratia* vel *Anarchia* formauit
A.C. 10. Caeſar *AVGVSTVS* fuerunt *Dion. Halicarnaſſaeus*, (8) *Titus Liuius Patauinus*, (9) *P. Velleius Paterculus*, (10) *Hiſtoriae Romanae conditores;*
A.C. 30. *M. Tullius Cicero*, *Conſul et Orator Romanus;* (11) *Seneca*, (12) *Fabius Quinctilianus* (13) *Rhe-*
A.C. 90. *tor*, *Pompeius Trogus*, *Hiſtoricus vniuerſalis*, (14) *Plutarchus Moralium et Hiſtoriarum conſignator*, (15) *Cornelius Nepos*, *ſcriptor vitarum*, (16) *A. Gellius*, *Noctium Atticarum conditor*, (17) *C. Corn. Tacitus Romanae Hiſtoriae conſignator* conſummatiſſimus, (16) et vterque *Plinius*, *Maior*, qui *Hiſtoriam naturalem*, et *Minor*, qui *Panegyricum* et *Epiſtolas* orbi literato reliquit; (19) Por-

(19) Porro *Epictetus Philoſophus* (20) *P.* denique *Virgilius Maro*, (21) *Q. Horatius Flaccus*, (22) *P. Ouidius Naſo*, (23) *A. Perſius* (24) *et Iuuenalis* (25) *Satyrici; Lucanus* (26) *belli Pharſalici conditor*, *Publ. Papinius Statius* (27) vixerunt *Poëtae* cum nonnullis aliis. (28)

(1) *Scaliger*, *Caluiſius*, *Heluicus*, et alii ponunt Annum Chriſti ſeptuagelimum excidio *Hieroſolymorum*; *Baronius* autem annum ſecundum poſt ſeptuageſimum. Ad majorem horum et anteriorum temporum noticiam in rebus Iudaicis faciet *Lud. Cappellus* Compend. Hiſtor. Iud. T. VII. Crit. Sacr. p. 3190. ſeq. Templum *Hieroſolymitanum*, inuito licet *Tito*, menſe *Auguſto* ſuccenſum, vrbs vero *Septembri* penitus capta et ſolo aequata fuit.

(2) *Phariſaeus*, in Concilio *Iudaeorum* Apoſtolorum cauſam fuit tuitus, maximaeque inter ſuos famae: a nonnullis Chriſtianis acceſſiſſe creditur, aliis contrarium probantibus.

(3) De quo conf. *Hottingeri* Theſaur. Philol. p. 42. ſeq. *Gothofr. Engelh. Geigeri* diſp. de Hillele et Schammai antiquis iudaicar. ſectar. conditoribus, Alt. 1707.

(4) De *Philone* notandum, eum a quibuſdam inter Chriſtianos memorari, atque a quam multis auctorem *libri ſapientiae haberi. Platonicae* doctrinae aemulus, hiſtorias ab O. C. eruditis ſcriptis variis illuſtrauit. *Voſſ.* l. 1. u. de Idololatr.

(5) Floruiſſe ante Chriſtum hic a nonnullis creditur. Vid. *Torniell.* P. Galat.

(6) Alii inter Iudaeos docti hoc aeuo fuerunt *R. Schammai* et *R. Ionathan Ben-Vziel*, *R. Schimeon Hillelis* F. cuius Lucas c. II. Euangelii mentionem feciſſe creditur, *R. Iochanan Ben-Zaccai; Theudas ſ. Theodas* ſeditioſus, *R. Simeon II*, *R. Gamaliel II. R. Eleazar* M. *R. Akiſa* proſelytus, *R. Iſmael*, qui 13. modos interpretandae legis oſtendit, pluresue alii.

(7) De Ioſephi teſtimonio, quod Chriſto exhibuit, vid. *Io. Andr. Boſius* peculiari diſſ. quam eiuſdem introductioni in notitiam ſcriptorum eccleſiaſt. adiecit *Walchius* p. 657. ſeqq. *Iuſt. Chph. Ditmarus* in diſſ. in *Fl. Ioſephi* teſtimonium de Chriſto, Francof. 1715. Martins crit. Beweiß, daß das Zeugniß Joſephi von J. C. nicht untergeſchoben ſey, aus dem Franzöſiſchen überſetzt von *.* S. Halle 1752. Jul. Serenii geſamml. Zeugniſſe der Heyden und vornämlich des Fl Joſephus von Jeſu, Götting. 1758, aliique. Cur hic auctor caedem infantum Bethlehemitarum tacuerit? expoſuerunt *D. C. G. Hofmanus*, Witteb 1741. *Io. Tidalkius* Gedan. 1738; verum eius vaticinium de Veſpaſianis ad ſummum imperium faſtigium euehendis

hendis *Godofr. Olearius*, Lipſ. 1699. M. *Theod. Ambroſ. Strobbach*, ib. 1748. In genere de *Ioſepho I. G. Furſtenau* in diſſ. de ſcriptis Fl. Ioſephi et fide, Rint. 1754. Scripſit autem libros 20. *Antiquit. Iud.* et 7. *de bello Iudaico*. Alter *Ioſippus* ſiue *Ioſephus Ben-Gorion*, tanquam fabularum Iudaicarum Oceanus, rectius ad fabuloſa tempora reiicitur.

(8) Natione Graecus ſub *Auguſto* Imp. *Romam* venit, linguamque *Latinam* didicit. Viginti *Antiquitatum Romanarum* libros *graece* conſignauit, quos *Photius* adhuc omnes legiſſe teſtatur, a *Troia* capta, vſque ad bellum primum *Punicum*; hodie vndecim tantum exſtant, quibus peruenit vſque ad ſublatum decemuiratum. Vid. *Voſſ.* de hiſtoricis graecis.

(9) Continuam hic annorum 746. hiſtoriam ab V. C. ad 36. annum *Auguſti*. Imp. ſcripſit, ſed ex 14. tres tantum decades, I. III. IV. cum parte V. dimidia ſuperſunt. Reliquarum extant epitomae, et ſupplementa edidit *Freinshemius*. Integrum opus *Liuianum Byzantii* in Bibliotheca Imp. *Turcici* adſeruari creditum eſt, ſed neminem eius inſpiciendi auidum, licet magna argenti vi oblata, voti hactenus mactatum, refert *Iac. Sponius* in itiner. P. I. pag. 253. Lacteo eloquentiae fonte manauit, ad eumque audiendum nonnulli ex vltimis *Hiſpaniae* et *Galliarum* finibus *Romam* venerunt, cuius de ſuſpecta fide Lipſ. 1743. et lactea vbertate ib. 1746. *Ioh. Henr. Parreidt* diſſeruit.

(10) Sub *Tiberio* Imp. *Velleius*, patria *Neapolitanus*, praefectus equitum, quaeſtor ac tandem legatus in *Germ.* et *Pannonia* fuit. Scripſit *Epitomen hiſtoriae Romanae*, libris duobus, vſque ad *Tiberii* Imp. annum 16. puriſſimo ac dulciſſimo orationis genere, in quo tamen multa hodie deſiderantur, temporum iniuria deperdita. *Auguſti* tamen partibus nimium facit, ac *Tiberium* et *Seianum* immodice laudauit, quod non fruſtra in eo reprehenditur. Vid. *D. Guil. Molleri* diſp. de Velleio Paterculo Alt. 1685

(11) Orator omnium Romanorum celeberrimus, idemque Philoſophus egregius, per omnium honorum gradus tandem ad Conſulatum adſcendit; tandem in proſcriptione *Antoniana* gladio *Popilii*, cui vitam ſeruauerat, periit. Vid. *Vell. Pat. Seneca* l. I. *Suaſor*. alii. Eius opera *Philoſophica* et *Oratoria* extant.

(12) Duo huius nominis et aeui ſunt: Vnus *L. Annaeus Seneca Cordubenſis*, Philoſophus iuuenis ob ſuſpicionem adulterii cum *Domitii* vxore in Inſulam *Corſicam* relegatus, poſt ab *Agrippina* reuocatus, *Neronis* educationi admotus fuit, qui hoc praeceptore optime profecit, vsque in ſequius ab aliis traheretur. Cum autem *Seneca* eius vitia liberius reprehenderet, et *Piſonianae* coniurationis conſcius fuiſſe putaretur, mortis optione ſibi oblata, venis ſectis obiit. Per Apoſtolum *Paullum* ad Chriſtianiſmum traductus fingitur, vnde mutuae inter vtrumque epiſtolae circumferuntur, ſed neutrius genium redolentes. Conf. *Strauchius* de Senecae Chriſtianiſmo, *Coci* cenſur. Patr. *Siberi*

de

de ſalute Chriſtiana et Philoſophica, *Ittigius* de Patr. Apoſtol. *Paulini* Tomo III. Zeitkürzende erbaul. Luſt p. 703. 905. ſeq. Alter fuit *M. Seneca* Rhetor et Comicus, cuius decem tragoedias habemus: in vtroque multa eloquentiae myſteria latent.

(13) *Hiſpanus* initio *Domitiani* Principis nepotes erudiit, poſt ludum *Romae* aperuit, primusque e fiſco ſalarium tulit, quo diues euaſit. Extant ſub eius nomine *Inſtitutiones* et *Declamationes*, ſed hae avi illius fuiſſe putantur: Vid. *Politian.* praefatio Fabii inſtitutionibus praefixa.

(14) Scripſit opus libris 44. at epitome *Iuſtini* in cauſa fuit, cur ipſum opus amiſſum. Vid. *Voſſ.* de Hiſtor. Lat. l. I. 19. et *Molleri* diſp. de Iuſtino.

(15) *Chaeronenſis*, apud *Traianum* Imp. in magna vixit gratia, ab eodem Conſulari poteſtate miſſus in *Illyricum*; eius *Moralia et de vitis Impp. graece* extant.

(16) *Ciceronis, Caeſarisque* tempore vſque ad A. *Auguſti* ſextum vixit. Plurimum Imperatorum et ſcriptorum vitas condit, quarum tamen pauciſſimae ſuperſunt. Vid. *Voſſ.* de Hiſtor. Lat. l. I, 14. atque *D. Guil. Molleri* diſſ.

(17) Vixit Seculo ſeq. inchoante, et hoc primo terminante *Athenis:* opus eius ſyntagma ingenioſum eſt variarum rerum, Criticam imprimis Auctorum ſpectantium.

(18) Itidem ſub initio ſequentis ſaeculi inclaruit; aeſus eſt hiſtoriam ab exceſſu *Auguſti vſque ad Traianum* Imp. oratione latina, preſſa et arguta, crebrisque ſententiis ornata; Libros eius, Annalium pariter et hiſtoriarum, mutilos habemus, plurimique deſiderantur. Addidit libellum concinnum *de moribus Germanorum*; it. de vita *Iul.* Agricolae soceri. Vid. *Voſſius* de hiſt. Lat. l. I, 30. atque *D. G. Molleri* diſput.

(19) Ille incendio *Veſuuiano* periit, hic Chriſtianorum quaſi apologeta factus eſt, dum *Bithyniae* praefecturam gereret. v. *Dan. Guil. Molleri* diſſ. de C. Plinio Sec. Alt. 1688. Accenſeri poſſunt hiſtoricis *C. Iulius Caeſar*, de bello gallico et ciuili ſcriptor accuratus, mutationi Reip. *Romanae* ſuſceptae, at non perfectae, immortuus; Vid. eiusd. *Molleri* diſſ. de C. Iulio Caeſare Alt. 1687. *C. Salluſtius Criſpus*, de bello Iugurthino, Catilinario et aliis ſcripſit, archaiſmis tamen pluribus referius, et Ciceroni infenſus; Vid. eiusd. *Molleri* diſſ. *C. Iulius* Hyginus libertus *Auguſti*, multa quidem ſcripta condidit, quae tamen aetas plurima ſuſtulit. *Voſſ.* l. I. 20. de Hiſt. Lat. *Q. Curtius Rufus*, geſtorum *Alexandri M.* conſignator egregius. Vid. eiusd. *Molleri* diſſ. II. de Q. Curtio Rufo atque eius aetate. *L. Annaeus Florus*, quem tamen in ſequens ſaeculum alii reiiciunt, epitomator quaſi *Liuii*; vid. *Molleri* diſp. *Strabo* Philoſ. *Stoicae* addictus, *Geographiae* libros 17. reliquit, et Commentarios hiſtoricos, ſed hi perierunt; *Pomponius Mela*, Hiſpanus, inſigni opere de ſitu orbis clariſſimus.

(20) *Stoicae* ſectae adhaeſit, *Epaphrodito Neronis* familiari inſeruiit, et ad Imp. *Martii Antonini* tempora peruenit: magno apud omnes in pretio fuit habitus, vnde *Lucianus Syrus* lucernam eius fictilem tribus drachmarum millibus ſuam fecit: enchiridion ſcripſit, multa ſcientia refertum.

(21) *Mantuanus*, poëtarum Latinorum facile princeps, patre figulo natus, *Augusto* et *Mecaenati* charus: eclogas ad *Theocriti*, *Georgica* ad *Heſiodi* et Aeneida ad *Homeri* imitationem impoſuit, inque vltimo opere II. annos inſumſit. Vid. *Voſſius*, *Scaliger* et alii

(22) Poëta *Venuſinus*, Lipicorum et Satyrarum ſcriptor, qui moriens *Augustum* Imp. reliquit haeredem, maxima pompa in Exquiliis apud *Mecaenatem* ſepultus.

(23) Patria *Sulmonenſis*, familia equeſtri natus, ad poëſin omnino natus, ſcripſit complurima, ex quibus haud pauca, *Halieutica*, *Medea*, ſex *Faſtorum* libri poſteriores perierunt: Cum poſtea *Auguſtum* imprudenter offendiſſet, ad *Scythas* fuit relegatus, partim, quod libros *de arte amandi* ſcripſiſſet, partim quod alium in Auguſtum errorem commiſerit, qui, qualis fuerit, ignoratur.

(24) *Volaterris* in *Hetruria* natus ſub *Neronis* imperio vixit, acutus Satyrarum conditor.

(25) *Decius Iunius Iuuenalis*, ex *Aquino* oriundus, ad mediam fere aetatem declamationibus operam dedit, poſt vitiis infenſus, ſcribendis ſatyris, ſed quod potentem in aula virum offendiſſet, iam octogenarius, ſpecie tamen honoris, cohorti in extima *Aegypto* fuit praefectus, eaque ſub ſpecie quaſi in exilium pulſus. Vid *Voſſius* de Poëtis Lat.

(26) *Marcus Annaeus Lucanus*, *Cordubenſis*, poëta egregius, ſub *Nerone* vixit, eiusque odium ingenii ſui felicitate concitavit, auctum, quod in *Piſoniana* coniuratione eſſet deprehenſus, vnde brachium ad ſecandas venas medico praebuit. Ex variis eius ſcriptis nihil amplius reliquum, praeter poëma *de bello ciuili*.

(27) Sub *Domitiano* Imp. vixit, reliquitque varia ſub *Syluarum*, *Thebaidos*, *Achilleidos* nominibus poëmata: dramata eius deperdita fuerunt. Diſtinguendus ab alio *Statio Poëta* et Rhetore *Surculo* vel *Vrſulo* cognominato.

(28) Accenſe his *Phaedrum* poëtam Latinum, *Auguſti* libertum, gente *Thracem*, qui Aeſopi fabulas carmine expoſuit: atque de quo *Chriſtium* Lipſienſem inter ac *Funccium* Rintelenſem lis orta eſt. *Silium* item *Italicum*, poëtam praeſtantiſſimum, Virgilii aemulatorem, cuius natalem quotannis celebrauit; ſibi ipſi iam ſeptuagenarius ex dolore claui incurabilis manus intulit violentas, de quo mortis genere *Laurent. Heiſteri* epiſtola proſtat Helmſt. 1734.

SAECV-

SAECVLVM II.

§. 1.

Hoc Saeculo ad *Britannos*, (1) *Scotos*, *Indos* (2) et *Barbaras* etiam nationes proceſſit Chriſtiana Religio. *Germani* (3) praecipue *Rhenum* accolentes, hanc quoque fidem ſuſceperunt; recte proin *Iuſtinus Martyr ad Tryph.* *Ne vnum quidem*, ait, *genus eſt mortalium, ſiue barbarorum, ſiue Graecorum, ſeu etiam aliorum, quocunque veniant nomine, ne eorum quidem, qui pro domibus plauſtris vtuntur, ac in tentoriis agunt paſtoriciam, inter quos per nomen crucifixi IESV ſupplicationes et gratiarum actiones patri et fabricatori rerum omnium non fiant.* Ceſſabant tamen ſubinde miracula, (4) quia diuina veritas viua tot Doctorum voce iam ſatis erat confirmata, et labor ad perdiſcenda haec ſacra myſteria requirebatur.

(1) *Britannis* non modo ſub Imp. *Antonino Pio* Euangelium fuit praedicatum, ſed et per *Lucium* Regem (per vitae integritatem et miracula Chriſtianorum conuerſum,) vbique propagatum, (quamquam iam *Ioſephus Arimathaeus* ſaeculo ſuperiori ſemina ibidem ſparſiſſe dicatur,) acceptis ab *Eleutherio* R. P. doctoribus, quamquam et hic non vna ſe offerat diſcrepantia. Hunc *Lucium* demum, poſita corona, in *Germaniam* ad praedicandum verbum conceſſiſſe, *Curiae* Rhaetorum Epiſcopum factum, ibique a gentilibus lapidibus obrutum fuiſſe, contendunt, quamquam *Angli* in *Britannia* defunctum, et ſepultum coniectent. *Wilh. Lloyd*, Epiſcopus *Aſſaphopolitanus*, *in relatione hiſtorica de regimine Eccleſiaſtico* M. *Britanniae* et *Hiberniae*, primo omnem verbi praedicationem admiſiſſe ſcribit *Britannos* illos, qui Rom. Imperio tum ſuberant, idque vel ope Apoſtolorum, vel virorum Apoſtolicorum: hos ſecutos Pictos Meridionales in *Scotia Britannis* propinqua habitantes, inde in *Hiberniam* verbi ſonum penetraſſe,

(2) Hi, praecipue *Brachmanes*, Philoſophi *Indorum* celebres, a *Demetrio* Epiſcopo *Alexandrino*, eruditum ac pium Euangelii Doctorem petierunt, et *Pantaenum*, praecipuum illius eccleſiae Doctorem, Philoſophum ſectae Stoicae et Catecheten celebrem impetrarunt, a quo ad Chriſtum magna portio illius gentis fuit ducta.

(3) *Irenaeus* de eccleſiis in *Germania* ita: *Nec enim, quae in Germaniis ſitae ſunt, eccleſiae aliter crediderunt aut tradiderunt, neque quae in Hiberis, neque quae in Celtis.* Et *Tertullianus* fatetur, in *Germanis* Chriſti nomen regnare. Et quidem in *Saxonica Epiſtius*, Apoſtolorum diſcipulus, oues Chriſto collectas paſcebat, *Maternus et Creſcens* in aliis *Germaniae* partibus: *Seuerinus Coloniae, Pontulus Auguſtae Rauracorum*, *Fridolinus Argentinae*, alii alibi.

(4) Non quaſi ſimul omnia miracula ſaeculo hoc ceſſauerint, ſed quod id factum fuerit ſubinde, vt non adeo frequentia amplius fuerint, atque ſaeculo ſuperiore.

§. 2. *Primam* hoc ſaeculo, at ordine ad ceteras relato *tertiam perſecutionem* mouit Imperator ceteroquin laudatiſſimus *TRAIANVS*, (1) qui Epiſcopum Antiochenum *Ignatium* beſtiis obiecit, (2) decem Chriſtianorum militum millia in *Armeniam* relegauit (3); Praeterea ſupplicio adfecti *Oneſimus*, Paulli diſcipulus, lapidibus obrutus (4), *Clemens* Romanus (5), *Creſcens* et alii: Tandem a *Plinio iuniore* de Chriſtianorum monitus innocentia (6) *non* quidem *conquirendos eſſe, ſed ſi deferantur et arguantur, puniendos* voluit. *ADRIANVS* Auguſtus *quartam* inſtituit, perſecutionem, tanto rigore, vt Chriſtiani ſe ante tribunalia obtulerint, et ſibi quoque martyrium haud ingratum fore ſignificauerint; reſponſum contra illis fuerit: O *miſeri, ſi cupitis perire, habetis reſtes et praecipitia:* ſed per *Apologias Quadrati Athen. Epiſcopi, Ariſtidis Philoſophi Athenienſis, et Sereni Granii Aſiae Proconſulis* aliquantiſper fuit mitigatus. (7) Sub *ANTONINI PII* initio

A. C. 102. (beside "tor ceteroquin laudatiſſimus …" / "qui Epiſcopum …")

A. C. 124. (beside "*ADRIANVS* Auguſtus …" / "tionem, tanto rigore …")

initio equidem vndique exturbabantur, cum autem *Iuſtinus Martyr exhibita Apologia* Chriſtianorum innocentiam declararet, (8) publico edicto eam inhibuit, voluitque, *vt ſi quiſpiam cuiquam Chriſtiano, quia Chriſtianus ſit, pergat moleſtiae quicquam aut criminis inferre, ille cui crimen illatum fuerit, etiamſi re ipſa Chriſtianus deprehenſus fuerit, abſoluatur; qui autem illum accuſauerit, iuſtum debitumque ſupplicium ſubeat.* (9) *Sed M.* A. C.
AVRELIVS ANTONINVS Philoſophus quintam 168.
excitauit, calumniis Philoſophorum motus, (10) qua perierunt *Iuſtinus Martyr*, virgis caeſus et ſecuri percuſſus; *Polycarpus Smirnenſis Epiſcopus et Ioannis Euangeliſtae et Apoſtoli diſcipulus*, rogo impoſitus, ab igne tamen haud laeſus, ferro fuit traiectus, cum innumeris aliis. (11) Obtulerant quidem *Apologias Iuſtinus Martyr, Melito Sardenſis* (12) *et Apollonius Hierapolitanus*, (13) ſiſtere tamen haud poterant: Tandem ea in bello *Marcomannico* ob inſigne beneficium *Caeſari* a A. C.
legione Chriſtiana exhibitum, quae *fulminatrix* 175.
et κεραυνοβόλος dicta, (14) remiſit (15); majori tamen poſtea vi in Gallia et alibi reſuſcitata. (16) *Commodo imperium gubernante, Chriſtianorum Religio ad pacatum et tranquillum ſtatum fuit traducta, et pax, diuina gratia largiente, omnes Eccleſias in toto terrarum orbe occupauit* (17).

Simonis Magi peſtiferum dogma hoc *ſaeculo* reduxerunt *Saturninus Antiochenus* (18), et *Ba-* A. C.
ſilides Alexandrinus (19), qui CHRISTVM etiam 118. ſq.
putatiuum tantum hominem dixerunt. *Carpo-* A. C.
crates eundem ex Ioſepho purum hominem ſta- 129.

tuit natum (20); horum ſectatores *Gnoſticos*, quaſi omnigena, quam ſibi tribuebant, ſapientia praeditos, ſe adpellabant, duos adſerentes, bonum
A. C. malumque Deos; (21) quod idem *Valentiniani*
150. quoque ſtatuerunt, a *Valentino* quodam nomen ſortiti, qui cum Epiſcopatu ſperato excidiſſet, incidit in virulentam hanc haereſin, qua duo rerum principia, *profundum* et *ſilentium* et *30. aeonas* ſiue Deos minores ſomniauit, quibus etiam creationis opus adſcripſit, praeterea CHRISTVM verum a Maria corpus adſumſiſſe inficiatus, illud de coelo detuliſſe voluit (22). *Valentini* huius adſeclae fuerunt *Secundiani* (23), *Ptolomaeitae* (24), *Heracleonitae* (25), *Marcitae* (26), *Colorbaſiani* (27), *Floriani* (28), *Sethiani* (29), *Cainiani* (30), et
A. C. complures alii. *Cerdoniani* bonum malumque
144. Deum, et legem iniuſtam adſerebant, Chriſtum autem verum fuiſſe hominem et redemptionis noſtrae opus vere impleuiſſe inficiabantur (31).
A. C. Ex horum ſectatoribus fuerunt *Marcionitae* (32)
155. a *Marcione Pontico* dicti; quem *Polycarpus primogenitum Satanae* adpellauit, praeter alia diuinae eſſentiae vnitatem impugnarunt, coniugium
A. C. damnarunt, et reſurrectionem negarunt. *Encra-*
178. *titae* (33), qui ab Autore etiam *Tatiani* audiunt, continentiam vitae ſimulabant, hinc carnis et vini vſu abſtinebant, nuptias improbabant, protoplaſtos noſtros aeternae damnationi adſerebant, et in S. Euchariſtia calicis loco aquam porrigebant, vnde et *Aquarii* dicti ſunt. *Ophitae* ſerpentem colebant, Chriſtumque in ſerpentis forma Protoplaſtis mandati diuini transgreſſionem ſuaſiſſe nugaban-

gabantur. (34) *Montaniſtae*, qui et *Pepuziani* A. C.
(35) ac *Cataphryges* indigitantur, a *Montano* 181.
Phryge nomen gerentes, *Montanum* Spiritum S.
eſſe aiebant, *Priſcam* et *Maximillam* meretrices
diuina reſponſa edere docebant, ieiunio nimium,
coniugio parum tribuentes, ſecundas vero nuptias plane improbantes, panemque in Sacra Coena
humano ſanguine perfundentes (36). Ab his
Tertullianus Afer fuit ſeductus. *Artotyritae* caſeum cum pane in S. *Eucbariſtia* adhibebant (37). A. C.
Adamiani nudi incedebant, et ſuas lectiones ſa- 194.
craque viri foeminaeque mixtim ita peragebant (38).

(1) Redigi iuſſit in ſeruitutem *Traianus* Chriſtianos, quibus ex ipſius ſententia nulla eſſet religio, nulla lex. Sed alia edoctus, eſſe ſcilicet illis religionem firmam, legemque bonam, ſeruos fieri amplius prohibuit. Multi hac perſecutione abrepti, nec pauci metu cruciatuum defecere, idolis ſacrificantes.

(2) *Ignatium* in infantia a CHRISTO in vlnis geſtatum fabulantur quipiam: Hic quod *Antiochiae Traiano* fortiter reſtitiſſet, *Romam* miſſus, in Theatro a leonibus diſcerptus fuit, eius autem cor integrum repertum, illique literis aureis IESV nomen inſcriptum fuiſſe, legendae nugantur. *Vid. Sagittarius* de cruciat. Mart. L. *Ittigius* diſſ. de Patribus Apoſtol. *Tenzelius* Exerc. ſel. 3. *Chriſt. Beyerus* in diſſ. II de Ignatio veritatis confeſſore, Lipſ. 1722. *Marth. Lubath* de Ignatii martyrio in eiuſd. diſſ. de antiquitate martyrologica c. I.

(3) Vbi in monte *Ararat* crucibus adfixa finguntur. Conf. *Kortholt* de perſec. p. 100. *Sagittarius* de cruciat. Mart.

(4) *Oneſimus* fuiſſe dicitur *Eccleſiae Epheſinae* poſt *Timotheum* Epiſcopus, qui vinctus *Romam* perductus, ibique pro fide Chriſti lapidatus fertur.

(5) *Clemens* in *Cherſoneſum* relegatus, atque adligata ad collum anchora in mare praecipitatus fuiſſe ſcribitur.

(6) Vid. *Plin. Iun.* ep. 97. et 98. l. X in quas vide commentantes *Conr. Rittershuſium*, *Fr. Balduinum*, *G. Io. Voſſium*, *Kortholdt*, *Iuſt. Henning. Boehmerum*, *Frid. Andr. Hallbauerum*. Sunt etiam, qui *Plinium* hunc *Secundum* a *Tito Pauli* Diſcipulo, et *Cretenſium* Apoſtolo ad fidem Chriſti conuer-

 ſum,

ſum, quamquam ſine fide, nugantur; v. *Boxhornii* ac *Sacy* iudicium editioni epiſtolarum Gottſchlingianae praemiſſum. Non aliter alii *Traianum* Imp. interceſſione *Gregorii* M. Pont. ex orco liberatum, et coelitibus adſcriptum fuiſſe fabulantur. *L. Ittigii* diſſ. de Patr. Apoſtol. ac *Paul Preuſeri* diſſ. de Traiano imp. precibus Gregor. M. ex inferno liberato Lipſ. 1710.

(7) *Quadratus et Ariſtides*, vterque *Athenienſis*, Imperatori, cum *Athenis* eſſet, libros pro Chriſtiana religione obtulerunt: Ille inſuper Orationem coram Imperatore habuit, qua tantum perfecit, vt tempeſtatem grauiſſimam ſedauerit. Vtriusque autem Apologiae interciderunt. Nec minus legatus Imp. *Serenus Grannius* vel *Granianus* ad Imp ſcripſit, iniquiſſimum eſſe, clamoribus vulgi innocentium Chriſtianorum ſanguinem concedi, et ſine vllo crimine nominis tantum et ſectae reos fieri, quibus motus Imperator reſcripſit *Sereni* ſucceſſori *Minutio Fundano*, ſine objectu criminum aut probatione Chriſtianos non eſſe condemnandos. Conf. *Ad. Rechenbergi* exercit. de apologiis doctorum veter. eccleſ. chriſtian. in vol. exercitat. p. 305.

(8) Fuit *Iuſtinus* gente *Syrus*, a pueritia in Philoſophicis literis informatus, ſenis cuiusdam hortatu, Chriſtianorum item conſtantia et martyriis conuerſus, diſputando et ſcribendo aduerſus gentes et Iudaeos religionem defendit. Duplicem Apologiam pro Chriſtianis ſcripſit, vnamque *Antonino Pio*, ſenatui alteram dedicauit, et poſteriorem quidem ſub Imp. *M. Aurelio Philoſopho*, quamquam *Io. Pearſonius* in Oper. Poſthumis ſub *Antonino Pio* eum martyrii palmam reportaſſe velit.

(9) De hoc edicto Vid *Iuſtin. Mart.* T. I. Lat. p. 200.

(10) *Creſcens Philoſophus Cynicus* erat praecipuus, qui pios traducebat, quod eſſent Deorum contemtores, Reipubl. ſub praetextu Philoſophiae perturbatores, familiarum ſub caſtitatis ſpecie ſciſſores.

(11) Extat *Polycarpi ad Philippenſes* epiſtola, de qua tamen, vtrum genuina ſit, a multis dubitatur. Vid. *L. Ittigii* diſſ. de Patribus Apoſtol. Conf. Martyrologia paſſim, quibus adde *Tenzelii* exercit ſelect. IV. *Gabr. Groddecki* diſſ. de anno et die paſſionis Polycarpi Gedan. 1704. De columna, quae ex eiusdem cinere et rogo euolaſſe dicitur, *Heumannus* in biblioth. Bremenſ. cl. III. faſc. 3. p. 429. diſputauit. Perierunt hac perſecutione *Photinus ſiue Pothenus Lugd. Diac. Vienneuſis*, *Attalus Pergamenus*, *Alexander Medicus*, *Bandina virgo*.

(12) Vid. *Hieron. Euſeb. et Valeſ.* ad Euſeb. l. V, 1. De Melitone Sardium in Aſia epiſcopo bis commentatus eſt *Car. Chriſt. Woog* Lipſ. 1744. 1751.

(13) Rectius *Apollinaris*, de quo *Euſeb. et Hieron.*

(14) *Fulminatricis* nomen legioni Romanae iam ante erat impoſitum. Conf. *Korthold* de perſec. *Dilherrus* Diſpp. Philol. T. I. *Rupertus* ad Beſold, *Io. Laurent. Moſhemius*, qui de miraculo, quod

quod legio fulminatrix olim feciſſe dicitur diſceptationem inter *Guil. Moylium* et *Petrum Kingium* aliquot epiſtolis comprehenſam ex anglico latine vertit, obſeruationibus illuſtrauit, ac curauit recudendam in ſyntagm. differtt. ad ſanctiores diſciplinas pertinent. p. 623. *S. I. Baumgartenius* in III. diſputatt. Hal. 1740. 1741. habitis. Plures qui noſſe cupit, euoluat *I. A. Fabricii* ſalut. lucem eu. ep. 38. *Conr. Frid. Ern. Bierlingi* diſſ. de legione fulminea ſub M. Antonino Philoſ. Rintel. 1746.

(15) Literas Imperatoris ad Senatum Romanum, quibus teſtatur, victoriae Romanorum contra Barbaros Chriſtianos cauſam extitiſſe, vide in operibus *Iuſtin. Mart.* T. I. p. 100. ſeq. Quamquam et hae ipſae conſictae et ſpuriae videantur, genuinis dudum deperditis. Vid. Imp. libri ad ſe ipſum, cum praefatione *Dacerii et vxoris*, Pariſ. 1691. atque ex edit. *Chph. Wollii* Lipſ. 1739. qui etiam de eius ἀδεισιδαιμονίας Lipſ. 1730, vti *Ad. Henr. Luckmannus* de cognomine philoſophi Antoniniano Kilon. 1750.

(16) Quod maleuolorum mendaciis obruerentur, quaſi malefici eſſent, et vt tales, ad ſupplicia raperentur. Cauſa haec fuit, vt Philoſophus *Athenienſis Athenagoras* ad Imp. pro Chriſtianis legationem ſuſciperet, et Apologiam Imperatori exhiberet.

(17) Quod *Marcia*, pellex Imperatoris chriſtiana ab eo multa chriſtianis beneficia impetrauit. Vid. *Euſeb.* I. W. H. E. *Cent. Magd.* II, 3. *Hottingerus* H. E. c. II. Sect. 2. p. 52. ſeq.

(18) Ab aliis *Saturuilus* quoque dicitur. DEVM Iudaeorum vnum ex angelis fuiſſe, et Chriſtum veniſſe, vt eum deſtrueret; finxit: vxores porro ducere et liberos procreare a Satana eſſe pronunciauit.

(19) *Baſilidis* deliramenta Vid. apud *Prateol.* it. *Kortholdt.* in H. E. p. 48. Initio hic per Aegyptum ſuam diſſeminauit haereſin. Eius ſectatores alios quoſcumque indignos habebant, quibus de fide ſua rationem redderent, quos ſues potius vel canes blaſphemabant.

(20) Praeterea turpiſſima quaeque *Carpocratiani* perpetrabant, ſine quibus ad perfectionem myſteriorum ſiue flagitiorum potius perueniri poſſe negabant. Conf. eoſdem Auctores et *Io. Frid. Hebenſtreit* diſſ. de haereſi Carpocratianorum, Witteb. 1712.

(21) *Gnoſticorum* nomen multis primi aeui haereticis tributum, cum omnes peculiarem ſibi fingerent ſcientiam. Hi alio ſe nomine *Borboritas* adpellabant, variarumque impuritatum luto totos ſe immergebant. *Sam. Mareſ.* de Gnoſticis.

(22) Homines hic in tres claſſes, *Choicorum, Pſychicorum et Pneumaticorum* diſtribuit. *Pneumaticos* ſe et contribules ſtatuit, quos perfectam DEI agnitionem habere, nec vlli peccato obnoxios eſſe, nec vita aeterna excidere poſſe tradebat: *Pſychicos* indigere Saluatore, et per bonam conuerſationem intrare debere

ad

ad ſalutem nugabatur: *Choicos* autem boni expertes, naturaliter perire, nec beatitatis ſempiternae capaces eſſe fingebat. Vid. *Iren.* de haeret. et *Io. Franc. Buddei* diſſ. de haereſi Valentiniana, adnexa eius introd. ad hiſtor. philoſophicam Ebraeorum.

(23) A *Secundo*, primario *Valentini* diſcipulo nomen ſortiti, inter alia docebant, mulierem totam opus eſſe Diaboli, virique inferiores partes ab eodem eſſe autore, inde coniugio vtentes adferebant Satanae opus implere.

(24) A *Ptolomaeo* dicti, quatuor eſſe aeonas, et inſuper alios quatuor fingebant.

(25) Hi vnum principium, de quo natum aliud, et de his multorum generationem adſerebant cum Doctore *Heracleone*. Morientes diſcipulos aqua, oleo et balſamo vngebant, vt ab aeterna vindicarent morte.

(26) Autore *Marco Valentini* diſcipulo, qui nobiles in *Galliis* foeminas magicis ſeduxit artibus, vinumque album in calice vitreo in rubicundum mutauit, atque ita transſubſtantiationi praeluſit.

(27) A *Baſſo* quodam vel *Colarbaſo* nuncupati, rerum omnium perfectionem in 24. literis et 7. aſtris conſiſtere ajebant. *Philaſtr.*

(28) *Carpocratis* nugas nouis interpolarunt.

(29) E libris quibusdam apocryphis, praecipue 7. libris *Sethi*, ſua firmabant deliria.

(30) Siue *Cajani Marcionis* propago *Caiunm* tanquam virtutis fortiſſimae virum, *Iudam* item proditorem, alioſue damnatos coluiſſe perhibentur.

(31) Hi *Cerdonem* autorem habuere, *Marcionis* praeceptorem, qui *Romae* virus ſuum ſparſit, fictam autem poenitentiam ſaepius ſimulauit, et aliquoties publicam exomologeſin fecit.

(32) *Marcion Synope* oriundus, Epiſcopi filius, Cerdonis diſcipulos, propter ſtuprum virgini illatum, communione Eccleſiae eiectus, μετεμψύχωσιν, animas damnatorum tandem ſalvari, et baptiſmum toties repetendum, quoties quis lapſus eſſet, docuit: DEVM alium eſſe voluit bonum, genuinorum Chriſtianorum DEVM, Euangelii; iuſtum Iudaeorum DEVM legisque autorem denique malum, qui gentibus praeſit, hinc a duplici DEO Duitae dicti. Solum Lucae Euangelium, idque truncatum, vel certe reliquos N. T. libros non niſi expunctis locis, quibus de veritate carnis Chriſti teſtimonia habentur, admiſit. Coelibatum immodice extulit. Vid. *Spizel.* in felice literato p. 208, 803. Adde ex antiquis Patribus *Iuſtinum Mart. Dionyſ. Corinth. Theophil. Antioch.* quae tamen ſcripta omnia hodie deſiderantur: item *Tertullianum* adhuc exſtantem. *Io. Godofr. Leſchnerti* diſſ. de baptiſmate vicario Marcionitarum, Vit. 1716.

(33) A

(33) A continentia nomen ſortiti, *Tatianum* auctorem habuere, hominem literis excultiſſimum, *Iuſtini Martyris* diſcipulum, poſt cuius obitum praeſumtione Magiſterii inflatus et elatus, vino et nuptiis vtentes, meros habuit peccatores et improbos. Eidem quoque tribuitur *Adamum* eum in damnatorum numerum retuliſſe. Vid. *Paul.* zeitkürzende Luſt. T. III. p. 69. ſeq. et *Lud. de Four, de Longueri* diſſ. in Vogtii biblioth. haereſiol. T. II. faſc. II. n. 1.

(34) Hi, *Auguſtino* teſte, ſerpentem quendam viuum nutriebant, quem per incantationes e ſpelunca euocabant ad lambendas oblationes Euchariſticas. *Philaſtrius* hos ante Chriſti aduentum ponit. Vid. *Io. Vogtii* diſſ. in biblioth. hiſt. haereſiol. T. II. faſc. II. p. 37. *I. L. Moſhemi* Verſuch einer unpart. u. gründl. Ketzergeſch. Helmſt. 1746.

(35) A deſerto quodam *Phrygiae* loco, vbi *Pepuza* quondam oppidum fuit, adpellati, quem prae ceteris ſacrum habuerunt.

(36) Porro Eccleſiae denegarunt poteſtatem remittendi delicta grauiora, poenitentiam non abſolutionem concedentes: fugam in perſecutione omnem damnarunt. De his montaniſtis conf. *Gottl. Werntdorfi* diſp. I. de Montaniſtis ſpeciatim de eorum vaticiniis Ged. 1746. diſſ. II. de Montaniſtis ſpeciatim de grauitate errorum, ib. 1751. de Montaniſtis ſaeculi II. haereticis comment. hiſtorico-crit. qua eorum vaticinia, opiniones verae et diſciplina proponuntur, et a falſis criminationibus liberantur, ib. 1751. *D. Nicol. Nonnen* diſp. de Luciano ſiue quisquis ſit author Dialogi Philopatris Montaniſtas traducente Brem. 1743. *Io. Ioach. Zentgrauii* exercit. de lapſu Q. Sept. Florentis Tertulliani ad Montaniſtas Argent. 1706. *Io. Guil. Hofmanni* diſſ. Q. Sept. Florentis Tertulliani quae ſuperſunt omnia in Montaniſmo ſcripta videri Vitemb. 1738. *Io. Aug. Noeſſelt* diſſ. II. de vera aetate ſcriptorum quae ſuperſunt Q. Sept. Florentis Tertulliani. Hal. 1757.

(37) *Philaſtrius* haereſ. 24.

(38) De cetero *Adamiani* continentiam prae ſe ferebant. Adiici poſſunt haereticis memoratis *Lucianiſtae*, a *Luciano*, *Apelliani* a praeceptore Apelle vocati, cum *Philumena* Prophetiſſa docebant, DEVM eſſe vnum, reliquorum Deorum principium, Chriſto quidem verum corpus tribuebant, quod tamen poſt adſcenſionem depoſuerit. Fuere hi *Marcionitarum* progenies. *Docitae* phantaſticum Chriſto corpus tribuerunt, nec vere, ſed ſola viſione adparuiſſe dixerunt. *Bardeſanes Syrus*, vir initio orthodoxus et doctiſſimus qui pro veritate religionis multa ſcripſit, ac grandia pro fide ſuſtinuit certamina, tandem in *Valentini* caſtra tranſiens, defecit; humana omnia fato adſcribi voluit; v. *Fried. Strunzii* hiſtoria Bardeſanis et Bardeſaniſtarum, Vit. 1710. *Archontici* poteſtates velut Deos quoſdam ſecundarios et Angelorum ipſorum Patres ſtatuebant. *Taſcodrugitae* inter orandum indicem manus naſo indebant, vt animi triſti-

triſtitiam et adfectatam quandam ſanctitatem prae ſe ferrent. Diuerſi ab his fuerunt *Aſcodragitae*, qui vtrem ſiue pellem hircinam vino refertam et opertam ſuo inferebant coetui, quam deinde ſupplicantes circumibant, inſanis indulgentes potibus et abutentes illo Chriſti apud Luc. V, 37. ſeq. Conf. *Cent. Magdeb. Pappus* et alii.

§. 3. Illuſtrarunt hoc Saeculum *Quadratus*, (1) Epiſcopus et *Ariſtides*, Philoſophus apud Athenienſes, *Papias Chiliaſtarum* Autor, qui Millenarium Chriſti in his terris regnum olim futurum ſomniabant; (2) *Iuſtinus* Martyr, (3) et circa finem ſeculi inclareſcens *Q Sept. Flor. Tertullianus Carthaginenſis*, qui in *Montani* tandem caſtra tranſiit, (4) *Melito Sardenſis*, (5) *Apollinaris Hierapolitanus*, (6) *et Athenagoras*; fere hi omnes *Apologiis* pro Chriſtianis ſcriptis inclaruerunt; (7) item *Ignatius Antiochus*, (8) *Titus Flavius Clemens Epiſcopus Alexandrinus*, (9) *Dionyſius Corinthius*, (10) *Irenaeus Lugdunenſis*, (11) *Theophilus Antiochenus*, (12) *Philippus Gortynenſis*, (13) *Pinytus Cretenſis*, (14) *Pantaenus*, (15) *Rhodon*, (16) *et Serapion Antiochenus*; (17) *Egeſippus* quoque ex Iudaiſmo conuerſus Chriſtianus de *vita Chriſti* libros quoſdam ſcripſit, ſed perdidit eos antiquitas: Circumferuntur equidem eius ſub nomine alii de *excidio Hieroſolymitano* et *bello Iudaico*, de quorum tamen genuina veritate haud pauci dubitant. (18)

(1) Quadrati hiſtoriam breuiter exhibet *L. Ittig.* Diſſ. de Pp. Apoſt. p. 166 atque *Henr. Ludolph. Benthemius* in der Vorſtell. und Betracht. der alten Kirchenlehrer von der Wahrh. und Göttlichk. chriſtl. Rel. p. 41. 51.

(2) Fuit *Papias Hierapolitanus Epiſcopus*, *Ioh. Euangeliſtae*, vt quidam volunt, vel vt alii rectius, *Iohannis* cuiusdam presbyteri auditor, eloquentiſſimus, at judicii exigui, fabuloſus, et qui er-

rore

rore ſuo *de Millenario Chriſti regno* plures ex Patribus, *Iuſtinum Apollinarium, Nepotem Aeg. Tertullianum, Lactantium* in conſortium traxit. Vid. *El. du Piu.* T. I. Bibl. Eccleſ. Chiliaſticum hoc dogma primus publicis ſcriptis defendit, cum alii iam idem oretenus tradidiſſent. Ex *Cerinthi* Schola prodiiſſe videtur, honeſtis tamen et ſpiritualibus voluptatibus in millenario illo locum futurum crediderunt, et credunt etiamnum non pauci, praecipue cum noſtris his temporibus eadem opinio multorum animis firmiter inſideat. Vid. Saec. XVII. De ipſo *Papia* ac ſcriptis eius legatur *L. Ittig.* Diſſ. de Patribus Apoſtol. pag. 165. Anglus Diſſ. in *Irenaeum*, it. *Henr. Dodwellus.*

(3) *Romae* Profeſſorem Philoſophiae, a gentiliſmo ad Chriſtianiſmum conuerſus egit. Scripta eius varia, non tamen pari gradu fidem merentur. Chiliaſtico errori fauit, *Platonis* doctrinam cum Chriſtiana ſtare poſſe adſeruit, libertati voluntatis humanae in ſpiritualibus nimium tribuit, *Socratem* ex parte agnouiſſe CHRISTVM adſeuerauit. Vide de aliis eius naeuis et ſcriptis *Bebel.* in Antiqu. Eccleſ. Saec. II. *Ottium, Meelfuhr. Cocum. Ioach. Iuſt. Rau* diatr. de philoſophia Iuſtini martyris Ien. 1753. *Car. Chriſt. Gerckeni* commentr. de Iuſtini mart. ad religionem chriſtianam conuerſione admodum memorabili Lipſ. 1753. pluresque.

(4) Initio hic ICtus fuit *Carthagine* in patria, deinde presbyter *Romae* factus, poſtquam ad *Montaniſtas* deſciuiſſet, functione motus, Carthaginem rediit, ibique diem obiit ſupremum. Fuit acerrimi iudicii, et ſummae eruditionis, vt proinde mirandum, quomodo in tam diram haereſin fuerit prolapſus, cuius rationes exponunt varii varias, ſcilicet, quod aegre ferret, *Victorem* popularem ſibi praelatum in ſede Romana; vel quod *Carthagine* Epiſcopus fieri nequiuerit, vel quod ipſe inuidia Cleri Romani ob eruditionem et eloquentiam laborauerit. *Spizel.* felic. lib. pag. 448. ſeq. De eius ſcriptis et naeuis confer. *Gerb.* in Patrol. *Coc. Bebel. Ottius* et alii, vt *Io. Ioach. Zentgrauii* exercit. de lapſu Q. Sept. Flor. Tertulliani ad Montaniſtas Argent. 1706. *Io Guil. Hofmanni* diſſ Q. S. F. Tertull. quae ſuperſunt omnia in Montaniſmo ſcripta videri, Vit. 1738. *Io. Aug. Noeſſelt* diſſ II. de vera aetate ſcriptorum quae ſuperſunt Q. S. F. Tertull. Hal. 1757.

(5) *Tranſitus Mariae*, qui ſub eius nomine vulgo circumfertur, merito inter Pſeudographa numeratur; de quo bis commentatus eſt *Car. Chriſt. Woog*, Lipſ. 1744. 1751.

(6) Vel *Hieroſolymitanus*, alius ab *Apollinario Laodiceno* ſaeculi IV. Patre. Pleraque illius ſcripta naufragium paſſa fuerunt.

(7) *Athenagoras* mirabili DEI virtute *Saulis* inſtar conuerſus, cum Scripturam S. animo Chriſtianos impugnandi perluſtraſſet; primus Scholae *Alexandrinae* praefuiſſe dicitur. Vid. *Henr. Dodwel-*

Dodwelli Angli Diſſert. ad Irenaeum, et *Andr. Polyc. Leyſeri* diſſ. de Athenagora athenienſi, Lipſ. 1736. Eius *Apologiam* praeter alios *L. Rechenberg* edidit, de qua diſſeruit *I. L. Moſhemius* in vol. I. diſſert. ad H. E. pertinentium p. 272. et *Iau. Diacon. Hortenſius de Villa Noua* in collect. II. ſymbol. litterar. ad incrementum ſcientiar. omne genus p. 163. *Apollonius* quoque Senator Rom. proditus a ſeruo, quod Chriſtianus eſſet, edita fruſtra inſigni apologia, in Senatu lecta, capite diminutus eſt. Alius eiusdem nominis ſcripſit aduerſus *Montanum* haereticum.

(8) Exſtant huius Epiſtolae XII, vel XV, *ad Epheſios, Magneſianos, Trallianos, Romanos, Philaldelphienſes, Smyrnaeos, Polycarpum, Tarſenſes, Antiochenos, Heronem, Philippenſes, Mariam* Zarbenſem *ſeu Caſtabalitidem, Mariam* Deiparam *et duae ad D. Iohannem Euangeliſtam*, at non omnes eiusdem autoritatis, cum ſuppoſititias multas eſſe certiſſimum ſit. Conf. *Coc. Sagitt. Dallaeus, Gerh. Vſſer. Iſ. Voſſius*, prae reliquis *L. Ittig.* in Diſſ. de Patribus Apoſtolicis, et alii.

(9) Circumferuntur quoque ſub huius nomine ſcripta plurima, e. g. *libri VIII. Stromatωn*, ob varietatem argumenti ita dicti, *L. III. paedagogi, oratio exhortatoria ad gentes* et alia. Sed quid de iis ſit ſentiendum, videſis apud Autores jam citatos. Naeuos eius oſtenderunt *Meelfuhrer, Gerhardus* et alii. Praeterea vid. *I. G. Vualchii* de Clemente Alexandrino eiuſque erroribus, Ien. 1737. *Io. Tribbechouii* diſp. de vita et ſcriptis C. A. Hal. 1706. Eiuſd. diſſ. in C. A. eaque de philoſophiae definit. et diuiſ. Hal. eod. Eiuſd. diſſ., de philoſophiae fine, mediis, et vſu ad ductum C. A. ib. eod.

(10) Hic variis epiſtolis non ſuae tantum ciuitatis et prouinciae populos, ſed et aliarum Epiſcopos erudiuit. Omnia tamen eius ſcripta interitum ſenſerunt. Vid. *Dallaeus* de pattibus pag. 5.

(11) De quo vide SAEC. III. §. 2. Sunt, qui *Latine* eum ſcripſiſſe tradunt, alii tamen *Graece*, qui forſan rectius.

(12) Non ille fuit *Theophilus*, ad quem *Lucas* Euangelium et Acta ſcripſit, ſed diuerſus ab eodem. Ex eius ſcriptis *libri Inſtit. ad Autolycum ſuperſunt*, reliqui deſiderantur, et dubiae ſunt fidei. Naeuos eius notant *Bebel. Meelfuhr.*

(13) *Gortynae* hic in *Creta Epiſcopus* aduerſus *Marcionem ſcripſit.*

(14) *Gnoſii* in *Creta Pinytum* Epiſcopum ſeruandae continentiae onus fratribus imponere molitum, *Dionyſius Corinthiorum* Epiſcopus dehortatus fuit. Scriptis eius hodie caremus.

(15) *Indis* a *Demetrio Alexandrino* Epiſcopo datus Apoſtolus, inde *Alexandriam* redux *Matthaei* Euangelium *Hebraice* a *Bartholomaeo* deſcriptum attuliſſe fertur.

(16) Hunc inter *Tatiani* diſcipulos nonnulli referunt, multaque ſcripſiſſe, quae iam perierint, tradunt.

(17) Ex

(17) Ex Anachoreta factus Epiſcopus, variis ſcriptis contra Iudaeos et haereticos tum inclaruit, quorum tamen nullum hodie proſtat. Alius eiusdem nominis memoratur Saec. IV. De Pontificum Rom. hujus Saec. Epiſtolis, quae circumferuntur, obſervandum, eas ſi non omnes, plurimas tamen ex Iſidori *Mercatoris* officina emiſſas ſpurias eſſe, quicquid contra *Fr. Tucrianus*, oggauniat, cui *Dau. Blondellus*, ſe oppoſuit. *L. Ittigius* Diſſ. de Patribus Apoſtolorum.

(18) Meminit *Egeſippus* vel *Hegeſippus*, qui hodie extat, *Conſtantinopoleos*, dudum poſt conditae et nominatae, eoque ipſo prodit fallaciam. Recte *Bellarminus* Cardinalis ait, eius hiſtoriam Eccleſiaſticam non extare, *libros vero de excidio Hieroſolymitano* aut alterius *Egeſippi* recentioris, aut ſuppoſititios eſſe. Conf. *Coc. Ott. Gerhard. Arndii* Antiqu. aliosque. Vide etiam praeter *Cent. Magd. D. Bebelii* Antiqu. Eccleſ.

§. 4. *Romanorum* excutere iugum laborabant *Iudaei*, hinc ſub *TRAIANO* et *ADRIANO* Auguſtis graues excitarunt tumultus, ſeuere ab iiſdem caſtigati, (1) maxime, cum *Bencocab* (2) A.134.
ſeu ſtellae filius ſe Meſſiam venditaſſet, quem Adrianus oppreſſit, extinctis cum eo *quinquies centenis hominum millibus et vicis mille* minimum exuſtis: Ipſa quoque *Hieroſolymarum* vrbs denuo euerſa, et ab *ADRIANO* reaedificata *Aeliae* nomen accepit, gentibus ad habitandum conceſſa, excluſis penitus apellis (3)

Ceterum illorum hoc Saeculo ſtudia quam maxime in conſcribendis et vindicandis traditionibus erant occupata, hinc Rabbi *Iehuda*, cognomine *Sanctus* ſub *ANTONINO Pio* משנה ſiue *legem iteratam* conſcripſit. (4).

Ex *gentilibus* ingenii ſui monumentis nominis celebritatem meruerunt *C. Suetonius Tranquil-* A. C.
lus, Caeſari *ADRIANO* ab Epiſtolis, qui XII. 110,
Caeſares deſcripſit; *Lucianus Samoſatenſis*, Philo- A. C.
ſophus ἄθεος; (5) *Phlegon* Trallianus, Olym- 112. A.130.

piadum conditor; (6) *Arrianus Nicomed. Alexandri M.* hiſtoriam conſignauit; *Cl. Ptolomaeus* celeberrimus Geographus, *Pauſanias* Chorogra-
A.140. phiam dedit Graeciae, (7) *Cl. Galenus* Pergamenſis, notiſſimae famae Medicus, *Diogenes Laertius*
A.160. vitas celebrium Philoſophorum edidit; *Iuſtinus*
A.180. Hiſtoricus, Trogi Pompei epitomator. *Aelianus* Hiſtoriae animalium conditor, *Appianus* Alexandrinus Hiſtoricus, *Iulius Pollux* ſcripto Onomaſtico clarus, et *Maximus Tyrius* Philoſophus cum quibusdam aliis. (8)

(1) Sub *Trajano* in *Aegypto* rebellantes Iudaei vltra ducenta millia, reliquis occiſorum carnibus veſci coactis, et in *Cypro* ad ducenta et quadraginta millia trucidarunt. At per *L. Quietum* Imp. *Trajani* legatum in *Cypro* internecione deleti, lexque lata, vt Iudaeo capitale eſſet, in *Cyprum* veniſſe; ſic et in Aegypto magna ſtrage ſuperati fuerunt.

(2) *Barcocab* vnctus et coronatus fuit in ciuitate *Bitter*, in tribu *Benjamin*, ſed poſtea non *ſtellae filius* ex *Num. XXIV*; ſed *Barcozba* mendacii filius fuit adpellatus. De quo, vt et reliquis Pſeudo-Meſſiis conferri poteſt Diſſ. *Ioann. a Lent*, Prof. Herborn. De *Iudaeorum Pſeudo Meſſiis*.

(3) Porcum quippe marmoreum portae *Bethlehemum* verſus impoſuit, et a ſequentibus Imperatoribus vix ingentis pretio licentiam quotannis X. Auguſti Hieroſolymam intrandi et templum deflendi impetrarunt. Chriſtianis tamen hic quoque habitare conceſſit Imp. qui primum ex gentibus Epiſcopum natum *Marcum* nomine acceperunt. V. D. *Chriſt. Erdm. Deylingii* diſſ. de Aeliae Capitolinae hiſtoria et origine parti V. obſeruatt. S. patris adnexa.

(4) Ne ſcilicet cum diſperſione Iudaeorum lex Iudaeorum oralis interiret. Sex partibus diſtinctum opus textum Talmudis conſtituit, reliqua vero Talmudis *Gemara* dicuntur. Argumentum ſex illorum tractatuum hoc verſu comprehenditur.

Semina, feſta, vxor, nocumentum,
victima, munda.

Vid. *Hotting.* H. E. c. II. ſect. 3. Praeterea inclaruit hoc tempore *Aquila Ponticus*, quem Iudaei Imp. Hadriani adfinem fingunt,

fingunt, qui praefectus vrbi Aeliae exſtruendae, a Chriſtianis conuerſus, poſt excommunicatus, ob nimium Aſtrologiae ſtudium ad Iudaeos abiit, et nouam V. T. verſionem adornauit, quam tamen in locis, de Meſſia agentibus, non parum corrupit. R. *Simeon* et alii nonnulli.

(5) Tandem Lucianus a canibus laceratus dicitur. Operibus eius multa eruditio et eloquentia ineſt.

(6) Fuit hic Adriani Imp. libertus.

(7) In qua antiquitatis Graecae theſaurus reconditus.

(8) *Vtpote Palladio, de re ruſtica. Sexto Empirico Philoſopho, Apulejo, Philoſtrato, Dione Chryſoſtomo Pruſaeenſi, Oratore, Valerio Probo, Polyaeno, Athenaeo, denique Statio Papinio, Iuuenali et Martiali Poetis.*

SAECVLVM III.

§. I.

Saeculo hoc latius extendebatur CHRISTI nomen, quod in *Arabiam* per *Origenem* Alexandrinum, (1) *Barbariam* et *Mauritaniam* ante illic obliteratum denuo penetrauit; *Scotia* quoque relictis, quos coluerat, Diis fictitiis, (2) *Helvetia*, (3) et *Libya CHRISTI* fidem colere coeperunt. Ipſi certe *Romani Imperatores* nonnulli, *ALEXANDER* maxume *Seuerus*, (4) et *Philippus Arabs* non adeo iniqui *Chriſtianis*, eorum Sacra tolerarunt, et poſterior ipſe fidei huic acceſſiſſe a nonnullis creditur. (5) Quanquam autem rariora tum eſſent Sacri Spiritus chariſmata, vberiora tamen erant ſanctorum Patrum praeconia, quibus Euangelii ſplendor vndiquaque magis diffundebatur.

(1) Vid. Euſebium l. VI. H. E. c. 20.

(2) Rex *Donaldus* ad fidem CHRISTI ſe primus inter Scotos conuertit.

(3) *Per Felicem et Regulam* conuerſa dicitur *Heluetia*.

 (4) Ma-

(4) Matris *Mammeae*, ab Origene ad CHRISTVM conuerſae conſiliis fauentem ſe Chriſtianis exhibuit, Chriſtoque templum paraſſet, ni a Senatu fuiſſet prohibitus. Abrahami tamen Chriſtique imagines priuatim in larario ſuo habuit, quamquam id contra illius aeui Chriſtianorum morem fuiſſe referat *Dallaeus* l. de Imaginibus, *C. H. Zeibich* diſſ. hiſtorico crit. de imagine Chriſti, in larario Aurelii Alexandri Seueri conſpicua in Miſcell. Lipſ. N. Vol. III. P. I.

(5) Quamquam de *Philippo* id *Euſebius et Hieronymus* memorent, multa tamen id faciunt dubium. Vid. *Rupert.* ad Hiſtor. Beſold. p. 356. *Boſii* de Pontif. Max. Impp. Rom. c. 5. *I. G. Neumann* diſſ. de Philippo Arabe, primo, vt putatur, Chriſtianorum Imperatore in primit. acad. p. 80. *Hottinger.* H. E. p. 109. *Io. G. Walchi* diſſ. de imperatorum ante Conſtantinum erga Chriſtianos fauore, p. 52. *H. O. Sebbelow* de Philippi Arabis auguſti chriſtianiſmo Hafn. 1706.

§. 2. Omnia tentabat *Satanas* ad eradicandam Chriſti religionem, atque Idolomaniam confirmandam, quia ruinam gentiliſmo inſtare ſentiebat. Inde adhibebantur primo *blanditiae*, omniaque CHRISTI cultoribus honores, diuitiae, ſplendor et autoritas offerebantur, ſi Chriſto relicto Iouem colerent, ſed fruſtra: Sequebantur *calumniae* grauiſſimae, quaſi Chriſtiani omnium in Imperio calamitatum eſſent cauſa, (1) ἄθεοι Deos contemnerent, (2) caput Aſini colerent, (3) quod etiam crimen *Iudaeis* adfingebant gentes, ſolem adorarent, cum ex illius aeui more preces fundentes Orientem verſus conſiſterent, (4) infantes necarent, (5) inceſtus illicitosque concubitus patrarent, (6) in Caeſares irreligioſi, (7) hoſtes item publici et exitioſi exiſterent, (8) aliaque plura ipſis adfricabantur; (9) demum neque his a ſua conſtantia moti infinitis *ſuppliciis* adficiebantur; (10) quibus quidam victi thure accenſo Diis ſacrificarunt, vnde *Thurificati* et *ſacrificati* dicti;

(11)

(11) alii *libellis* certo numerato pretio ſecurita-
tem contra inquiſitores redemerunt, hinc *Libel-
latici* adpellati; (12) alii in denſiſſimas ſyluas ſe
occultarunt, ex quibus *Paullus Thebanus et Anto-
nius Aegyptius* vitam *eremiticam* condiderunt;
(13) infiniti tamen ſanguine ſuo *Chriſti* fidem
confirmarunt et obſignarunt. *Sexta* igitur per-
ſecutio a *Septimio Seuero* tanto feruore fuit exci-
tata, vt ipſum *Anti-Chriſti* aduentum adpropin- A. C.
quaſſe haud pauci crederent, (14) qua perierunt 203.
Philippus Aegypti Praeſes, cum filia *Eugenia*,
(15) *Irenaeus* Epiſcopus *Lugdunenſis* in Gallia,
(16) *Leonidas* pater *Origenis*, quem in martyrio
comitatus fuiſſet filius, ni vi a matre retractus,
(17) *Clemens Alexandrinus* (18) *Origenis* prae-
ceptor, *Potamiaena* virgo aliique plures. (19)
Huic Imperatori *Tertullianus apologiam* obtulit.
Quia autem *ALEXANDER Seuerus* ſe *Chriſtia-
nis* ſatis exhibuerat aequum, ex inuidia, qua in
illum flagrabat, eius ſucceſſor *MAXIMINVS* 235.
Thrax ſeptimam concitauit, contra Doctores prae-
cipue Eccleſiae ſaeuientem, quibus ſublatis omnem
facile de Chriſto doctrinam hominum animis
euelli poſſe perſuaſus erat. (20) Eadem in an-
teceſſorem inuidia inſtigante, *DECIVS Octauae* 250.
autor fuit, qui omnibus probris, contumeliis et
cruciatibus adficere juſſit eos, qui Chriſti nomen
adorarent; Hac necati *Fabianus et Cornelius* Ro-
manorum, *Alexander*, Hieroſol. *Babylas* Antioch.
Epiſcopi, *Quinta* matrona, *Apollonia* virgo cum
aliis. (21) *Nona* Perſecutio ſub *VALERIANO*
crudeliter in *Chriſtianos* ſaeuiit, qui fautor initio

illorum, a Mago poſtea *Aegyptiaco* ad furorem hunc incitatus eſt, (22) quo *Cyprianus Carthaginenſis*, (23) Epiſcopus capitis ſupplicium ſubiit, *Sixtus Romanus* cruci adfixus, *Laurentius* Diaconus crate toſtus, (24) aliique plures abrepti; haud parum vero Filius *GALLIENVS* ab iſthac ſaeuitia parentis (25) tragico permotus exitu remiſit; recruduit quidem ſub *AVRELIANO*, (26) qui diriſſimis eos poenis ſubdere iuſſit, ſed ſingulari miraculo perſecutor mentem mutaſſe fertur, quippe cum decreto vellet ſubſcribere, manus ipſi exaruiſſe, vel certe ante cogitationum ſuarum omnimodam executionem interfectus fuiſſe dicitur: (27) Omnium tandem perſecutionum grauiſſima
297. fuit *decima* et vltima, a *DIOCLETIANO et MAXIMIANO* mota, qui omnem de *CHRISTO* doctrinam funditus eradicare ſunt adgreſſi. Tantum ibi ſanguinis fuſum, vt in Aegypto centena quadraginta quatuor millia occiſa, ſeptingenta millia vero in exilium eiecta fuerint. (28) Tandem miſera ſua morte, quam parum valeant in Deum tyranni, edidicerunt. *Diocletianus* enim a vermibus fuit corroſus, vel certe venenum hauſit; (29) *Maximianus* ſtrangulatus; *Galerius* ſummo foetore vitam finiit; et *Maxentius* denique in Tiberi merſus fuit. At *Conſtantinus Chlorus* in *Gallia, Hiſpania, Britannia et Germania* Chriſtianis pacate viuere permiſit, cuius proin Filio ac nepotibus Imperatorium diadema impoſuit Numen benigiſſimum.

201. *Haereſin* hoc ſaeculo fouerunt *Angelici*, qui Angelos, vt mundi creatores, adorabant; (30) *Orige-*

Origeniani hauriebant ex *Origenis* ſcriptis abſurda 207.
nonnulla dogmata, qui *Filium Patre* minorem,
et vtroque Spiritum S. inferiorem adſerebant, fa-
tali circulo cuncta creata inuoluebant, Diabolo-
rum poenas aeternas fore negabant, et reſurrectu-
ras olim omnes corporis partes dubitabant, (31)
Arabici in *Arabia* animas cum corporibus inter-
ire, et cum iisdem olim reſuſcitandas ſomnia-
bant. (32) *Theodotiani* a *Theodoto Byzantino* 221.
dicti, qui CHRISTVM in perſecutione negaue-
rat, humanam tantum naturam huic tribuebant:
(33) *Elceſaitae Ebionitarum* dogma reuocabant, 230.
Chriſtique abnegationem perſecutionum tempore
peccatum haud cenſebant; (34) Contra vero 250.
Nouatiani, cum in *Decii* praecipue perſecutione
complures eſſent lapſi, atque in Eccleſiam facile
per *Martyrum* et *Confeſſorum* interceſſiones reci-
perentur, autoribus *Nouato* et *Nouatiano* lapſos
poſt baptiſmum in Eccleſiam non amplius recipi-
endos eſſe adſeuerabant, quamquam lapſus ſui re-
miſſionem a DEO impetrari poſſe haud deſpera-
rent; nuptiarum item reiterationem improbabant,
et impia alia fouebant dogmata. (35) Hi *a pu-
ritate* vitae *Catharos* ſe dicebant, vnde *Germani-
cum* Ketzer ortum. (36) *Noëtiani* vnam Trini- 259.
tatis perſonam, diuerſis tamen nominibus adpel-
latam, patrem quoque paſſum, et *Noëtum* ſectae
huius autorem *Moſen* fingebant. *Noëti* diſcipu- 260.
lus fuit *Sabellius Pentapolitanus*, isque *Sabellia-
nis* nomen dedit, qui nuda in Trinitate nomina,
vnamque Patris, Filii et Spiritus Sancti perſonam
ajebant; (37) quemadmodum *Samoſateniani*, *a*

 Paullo

273. *Paullo Samoſateno* dicti, CHRISTVM iuſtum hominem, non tamen Deum verum docebant; (38) Vlterius *Manichaei* non a *Manete*, quidem nouiter inuentae, ſed reuocatae hæreſi adhaerentes, duos bonum malumque Deos adſtruebant, Chriſti corpus fuiſſe phantaſticum euomebant, peccatum ipſam hominis ſubſtantiam ſomniabant, atque poſt alia corporum reſurrectionem impugnabant. (39) Denique *Paterniani et Patriciani* cum *Symmachianis* vel carnem hominis a diabolo factam, vel inferiores humanis corporis partes eodem autore conditas aiebant, omnemque impuritatem licitam dicebant. (40)

(1) *Origenes* lib. contra Celſum pleraque, ſi non omnia calumniarum genera collegit, et ſolide abſterſit. Ex recentioribus conferri poteſt *D. Chriſt. Kortholt* libris tribus de pagano obtrectatore ſiue de calumniis gentilium in veteres Chriſtianos. Reſponderunt quoque primae huic calumniae, quaſi Chriſtiani publicarum calamitatum cauſae ſint, remouendo et retorquendo. *Cyprian.* adu. Demetr. *Tertull.* c 40. Apolog. *Arnobius* l. I. adu. gentes.

(2) Vid. *Iuſtin.* in Apolog. Tertull. *Orig.* *Arnob.* *Zimmermannus* ad illud: Fiunt, non naſcuntur Chriſtiani, p. 72. ſeq. *Rechenberg* de atheiſmo olim a gentilibus Chriſtianis obiecto, in vol. exercit. p. 287.

(3) *Aſinicolas*, item *Aſinarios* inde vocabant gentiles, Chriſtumque nebulo depingebat aſininis auribus, altero pede vngulatum, librum geſtantem et togatum, cum epigraphe: *DEVS Chriſtianorum Ononychites.* *Appion Alexandrinus Iudaeis idem crimen impegit.* Vid. *Plut.* *Tacitus* H. V. 42. *Zimmerm.* p. 86. ſeq. *Wilh. Caue* de Chriſtianiſmo primitiuo pag. 119. Adde *Ch. Wagenſeil.* in diſſ. Epiſtol. ad Ioh. Fechtium, qui Iudaeis ortum huius calumniae tribuit; it. *Paullini* T. II. Zeitkürzende erbaul. Luſt. p. 783.

(4) Cauſas, cur id facerent Chriſtiani, expoſuit *Iac. Thomaſius* diſſert. de ritu precandi verſus Orient. it. *Paullini* l. c. p. 880. ſeq.

(5) Refutationem huius calumniae vide apud *Iuſtin. Mart.* *Orig.* *Euſeb.* *Saluian.* *Theophilum*, *Tertullian.* *Minutium Felicem.*

(6) Re-

(6) Refutata a *Tertull. Min. Felic. Iuſtino, Euſ. Orig.* et aliis.

(7) Crimen hoc quoque diluit *Tertullianus* Apol. c. 30. et alibi. Detrectarunt quidem Chriſtiani, Imperatores adpellare Dominos, at non ex obſequii denegatione, ſed quia credebant, nomen id Imperatoribus tribui, cum ſumma veri DEI ignominia, qui ſolus eſſet Dominus. V. *Io. Frid. Gruneri* exerc. de odio humani generis Chriſtianis olim ab Romanis obiecto Cob. 1755.

(8) Vnde nocturnos eorum conuentus ſeditioſorum conuenticula dicebant; Vid. *Tert.* Apol. c. 37. ſeq. *Min. Felix* in Octau.

(9) Vocabantur porro *ſarmentitii* vel *ſemiſſii* Chriſtiani, aut *ſemaxii*, quia ad ſtipitem dimidii aſſis reuincti ſarmentorum ambitu exurebantur: item *biothanati, Sibylliſtae, creduli beſtiarii, parabolani* cet.

(10) Diuerſa ſuppliciorum et tormentorum genera, contra Chriſtianos huius Saec. expedita, alphabetico ordine exhibuit *D. Dorſcheus* praef. admirand. mortis CHRISTI. Vid. *Ant. Gallonium* de martyrum cruciatibus Antw. 1668. *Caſpar Sagittarium* de martyrum crucialibus 1673. et de natalitiis martyrum 1678. alioſque apud *I. A. Fabricium* in ſalutari luce euang. c. VII. p. 133.

(11) Nomen illud maxime in *Deciana* perſecutione ortum, dictique *Thurificati*, qui ſummis digitis aliquot thuris grana in ignem injeciſſent, atque ita coram Diis gentilium ſacrificaſſent.

(12) *Arnd.* in antiqu. Eccleſ. tria *libellaticorum* facit genera. (1) Qui libellos obtulerant, quibus rogabant, ne ad immolandum cogerentur, cum Chriſtiani eſſent. (2) Qui numerata pecunia libellum, quo a ſacrificiis ſe exemerant, impetrarunt. (3) Qui abnegata religione libellum a praeſidibus acceperant, ne publice cogerentur Diis ſacrificare. Vid. *Rothii* diſſ. de Libellaticis, it. *Paullini* T. III. Zeitkürzende erbaul. Luſt them. 115. p. 722. ſeq. *Sebaſt. Niemanni* diſſ. de libellaticis Ien. 1669. *Conr. Dan. Frickii* diſſ. de libellaticis in eccleſia veteri Lipſ. 1694. *Ant. Ern. Klauſingii* comment. de crimine libellaticorum non leui putando Lipſ. 1747. *Traditores* vocabantur, qui tradebant et prodebant perſecutoribus ſacros codices ad exurendum, v. *Alb. Frickii* diſpp. II. de traditoribus Lipſ. 1737. 1738. Opponebantur his *Martyres*, ſanguinem et vitam pro Chriſto fundentes, aut tormentorum ſaeuitiam conſtanter ſuperantes, licet in vita manſiſſent. *Confeſſores*, qui fidem Chriſti conſtanter profeſſi, carceres et plagas, non tamen ipſam mortem perpetiebantur. *Extorres*, qui aut eiecti a tyrannis, aut ipſi ad euitandum malum in ſpontaneum abierant exilium. *Profeſſores* vero, qui ſponte ſe ad martyria offerebant, v.

 Sam.

Sam. Flor. Rinini diſſ. de profeſſoribus veteris eccleſiae martyribus Lipſ. 1739.

(13) *Paullus Thebanus* anno aet. 23. ſeceſſum in eremum quaeſivit, ibique ad vitae vſque finem ſubſtitit. Eius vitam deſcripſit *Hieron.* in vitis Patrum. *Antonius* ſecundus poſt *Paullum* ann. aet. 105. diem ſuum clauſit. Hi neceſſitate adacti hanc vitae ſtationem fuerunt ingreſſi, ſine voti vinculo, qui, ſi perſecutionis furor remiſiſſet, ad ſua rediiſſent. *Athanaſius* vitam *Antonini* ſcripſit, hodie tamen haud amplius extantem. Vid. *Scultet.* in Medulla Patrum. *Io. Erh. Kappii* diſſ. de Antonianis ſeu fratribus S. Antonii, Lipſ. 1731. *Antonius* ſocios et comites habuit *Macarium et Amatham*, de quibus, vt et alio *Macario* conf. *P. Paſſini* Soc. Ieſ. theſaurum aſceticum.

(14) Occaſionem perſecutioni dediſſe ſcribitur, quod ab oſoribus Chriſtiani delati fuerint, quaſi in reditu Imperatoris victoris in vrbem, ipſi ſoli publicae laetitiae officia praetermiſerint. Vid. *Euſeb.* VI, 6. *Korth.* de perſec p. 247.

(15) Legenda patris et filiae vide apud *Baron.* An. 204.

(16) Cum omni fere grege ſuo interemtus. *Sagitt.* de cruc. Mart.

(17) Veſtibus eius clam ſubtractis Patrem filiolus ad conſtantiam roborabat, miſſa epiſtola, in qua inter alia haec: *caue tibi, ne propter nos aliud quid cogites.*

(18) Reticent tamen huius martyrium *Hieronymus* et pleraque martyrologia.

(19) Quos inter *Victorem* Epiſcopum Rom. numerare poteris, qui primus potentiam in reliquos exercere auſus fuit Epiſcopos, dum Eccleſias Orientales, quod Paſchatos feſtum 14. luna celebrarent, *Quartadecimanos* adpellauit, et excommunicauit, eoſque ſuo arbitrio adigere voluit, vt cum Occidentalibus die Dominico poſt 14. lunam Paſcha agerent, quo a Iudaeis ſe eo magis ſepararent. V. *Io. Schmidii* diſſ. de quartadecimanis Lipſ. 1685. Sed non modo *Polycrates Epheſiorum*, verum etiam *Irenaeus Lugdunenſium* Epiſcopi Victori ſe oppoſuerunt, et quam inique cum Orientalibus ageret, charitatis Chriſtianae vinculum rumpendo, demonſtrarunt. Conf. *Rom.* Röm. Pabſtthron l. I, 4. n. 4. ſeq. *Victor* hic martyrio tandem ſublatus fuit. *Felicianus Fulginatenſis* miris cruciatibus enectus.

(20) Martyrum ſub hac perſecutione hiſtoria, incerta valde eſt et confuſa, praecipue, quae de *S. Vrſula* et 11000. virginibus narrantur, fabuloſa ex librariorum vitio irrepſiſſe videntur. Interim ex *Euſebio et Ruffino* conſtat, integro triennio perſecutionem hanc duraſſe.

(21) Huc referunt legenda 7. aulicos ſiue ſatellites Decii, quos *ſeptem dormientes* vulgo vocant, qui de fide periclitantes in antro quodam montis Celii ſe abdiderint, et poſt longam annorum

rum

rum ſeriem excitati redierint, quamquam alii eos in ſpelunca conſummaſſe martyrium tradant. Vid. *Chriſt. Reineccii* diſp. de ſeptem dormientibus Lipſ. 1702. Referuntur et hic inter martyres *Cheraemon Nilopolitanus, Alexander Hieroſolymitanus, Terentius et Africanus*, cum infinitis aliis. Nec cum *Decio* furor perſecutionis ceſſauit, ſed ſub *Gallo* continuatus fuit.

(22) Vid. *Euſeb* l. VII, 10.

(23) *Cypriani martyrii acta vid. apud Palmelium.* Conf. *Sagittar.* de Cruciat. Mart.

(24) Vid. eund. *Sagittarium* l. c. c. X.

(25) A Perſis ſcilicet capti, et ſcabelli loco adhibiti, demum excoriati.

(26) Initio quidem ſub *Claudio*, qui ob incrementum Chriſtianorum, quod ſub *Gallieno* fecerant, perſequi *Romae* eos cepit. Continuauit magna ſaeuitia *Aurelianus*, vnde *n nae* perſecutionis auctor a nonnullis numeratur.

(27) A furore in Chriſtianos *Aurelianum* diuino numine deterritum memorant *Euſebius et Nicephorus*; *Lactantius* quoque ſcribit, *Aureliano* non licuiſſe perficere, quae cogitaverat.

(28) Vltimus hic erat hoſtis infernalis conatus, vnde *Diocletianus* cum ſociis plus ſanguinis Chriſtiani effudit, quam praedeceſſores eius omnes coniunctim ſumti, et poſteriores regiminis eius anni magis, quam priores ſanguine maduerunt. Credebat ſcilicet, imperium in priſtinum florem reſtitui non poſſe, ni prius differentia religionum et contemtus Deorum tollatur. Nemini permittebatur quicquam vel emere vel vendere, imo nec molere, nec aquas haurire, niſi prius idolis libaſſet: atque ita vnico menſe 17 000. Chriſtianorum occidit. Durauit perſecutio per annos plurimos: quorum quipiam 10, alii 20. numerant. Κατ' ἐξοχὴν haec *turbo* dicebatur. Interemta dicitur cum duce ſuo *Mauritio legio Thebaea*, item innumeri alii. *Diocletianus Serenam* coniugem ob Chriſtianiſmum *necaſſe*: *Maximinianus* vno tempore vltra 20000 Chriſtianorum in templo cremaſſe dicuntur. *Io. Ern. Imman. Walchi* comment. de perſecutione chriſtianorum ſub Diocletiano in Hiſpania Ien. 1751.

(29) Vid. *Oſiandri* Cent. IV. l. I, 32. prolixe.

(30) Vel ideo ita dicti, quod ſe ipſos, vitam agere angelicam jactabant.

(31) Vid. *Dallaeus* de vſu Patrum a pag. 264. *Huet.* l. II, 2 ſeq. Notandum autem, quod vno plures *Origenes* a nonnullis ſtatuantur, quorum confuſio magnam pariat incertitudinem. Vide *Meiſn.* de Origene et Origenianis Vitemb. 1665. et *Horbii* hiſtoriam Origenianam Francof. 1670. Ipſe *Origenes* ab *Epiphanio pater et fons Arianorum* dictus fuit.

(32) Quis

(32) Quis horum Dux et Auctor fuerit, ignoratur: *Origenes* inter reliquos praecipue eos impugnauit.

(33) *Theodatus* coriarius, adprime tamen doctus, redargutus, quod in perſecutione ſacrificaſſet, impie reſpondit: *Ego DEVM non negaui, ſed nudum hominem.* *Byzanto* relicta, *Romam* venit, ibique in Synodo damnatus fuit.

(34) Ab Auctore *Elxai* vel *Helxaeo* dicti, item et *Sampſaei.* Librum quendam circumferebant, quem dicebant de coelo lapſum, cuius verba ſi quis audiſſet, delictorum veniam praeter illam, quam CHRISTVS exhibuit, conſequeretur. Lingua iidem incognita orabant, cuius interpretationem nemo quaerere deberet. Vid. *Arnd.* ant. Eccleſ. p. 461. ſeq. *C. T. Seideli* comment. II. von der Secte der Elceſaiten Helmſt. 1749.

(35) Dicti fuere non tam a *Nouato Carthag.* quam a *Nouatiano Romano:* vtriusque tamen vna fuit haereſis ad quam ille occaſionem variis dedit criminibus, praecipue ambitione. *Spizel.* felic. liter. pag. 803. *Africa* pulſus, *Romamque* veniens, *Nouatiano* preſbytero contra *Cornelium* Papam ſacrificatis communicantem adſtitit, mouitque, vt Anti-Papa crearetur. Baptiſmum plane haud reſpuerunt *Nouatiani,* ſed catholicorum tantum baptiſmum pro irrito et inutili habuerunt, eosue, qui a Catholicis ad eos tranſibant, rebaptizarunt. Haereſis haec tam altas radices egit, vt nec multis Saeculis quauis arte conuelli valuerit, varioſque propagauerit ſurculos. Interim *Nouatus Feliciſſimum* promouit ad Diaconi munus, diuerſa longe a *Nouatiano* et Catholicis ſentientem, quippe, qui frena omnia poenitentiae laxabat, ſtatimque ſine vlla poenitentiae mora omnes eos recipiebat, quotquot poſt lapſum a Martyribus vel Confeſſoribus veniae libellos impetraſſent.

(36) Vid. *de Nouatianis Meier, Kenkel,* Argent. 1651. *P. Muſaeus,* Helmſt. 1665. a *Lilien, Arndius et alii.*

(37) Dicti quoque *Patripaſſiani,* quia DEVM in vna perſona ſubſiſtentem, vt Patrem legem tuliſſe, vt filium in cruce obiiſſe, vt Spiritum Sanctum ſuper Apoſtolos veniſſe dicebant. *Vnionitae* itidem et *Monarchici* adpellati, DEVM tanquam vnum mundi Monarcham inducebant, perſonis haud diſtinctum.

(38) *Paullus* ille a patria *Samoſatis, Syriae* vrbe dictus, obſcuris natalibus, mortuo *Demetriano* Epiſcopo *Antiocheno* eius ſucceſſor factus, auaritia, faſtu et luxuria notabilis: duas mulieres forma conſpicuas ſecum duxit, quas συνεισάκτους, *ſubintroductas vel extraneas* adpellauit, quae neque vxores, neque concubinae ſed tertii generis erant mulieres, quas pietatis ſtudio vel praetextu fouebat. Vid. *Fabrott.* ad Balſam. p. 1390. In gratiam *Zenobiae* reginae Iudaicae, in errorem illum demerſus fuit, Chriſtum verum DEVM negando. Praeter hunc errorem vnam tantum diuinitatis perſonam ſtatuit *Paullus,* Verbo et Spiritu

Spiritu S. propria ſubſiſtentia carentibus, (vnde adſeclae illius ἀνυπέςατοι dicti,) in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti baptizari noluit. Conf. *Io. Gail. Baier*, diſſert. de P. Samoſateno, Ien. 1680. *Io. Gottl. Ehrlich* diſſ. de erroribus Paulli Samoſateni, Lipſ. 1745. *D. Iac. Gust. Feuerlini* diſſ. de haereſi Paulli Samoſateni e ſolis fragmentis ſcriptorum ipſius et teſtimoniis patrum antiochenor. Gotting. 1741. *Paul Ern. Iablonſki* diſſ. exhibens genuinam Paulli Samoſateni, epiſcopi Antiocheni doctrinam, Francof. 1736. *Ostium* An. 272. Tandem ab Epiſcopis *Samoſatenus*, accedente *Aureliani* Imp. autoritate et adiutu, officio motus et communione priuatus fuit. Eius adſecla fuit *Beryllus Boſtrenſis*.

(39) *Manes* ſeruus viduae *Perſicae*, poſt huius obitum, magnis diuitiis dotatus, ex libris *Scythiani et Therebinthi* haereſin hauſit, vel potius ex *Zoroaſtris* et Magorum Perſicorum lacunis, Perſicis imbutus diſciplinis. Eum diſcipuli in Graecia, vitantes *maniae* nomen, *Mannichaeum*, quaſi manna fundentem, dixerunt. A *Perſarum* Rege *Sapore*, cuius filium ipſe infelix medicus extinxerat, viuus excoriatus, corpusque eius beſtiis deuorandum obiectum, pellis paleis farta, ante ciuitatis portas adpenſa fuit. Inter reliqua falſa dogmata vinum, tanquam fel principis tenebrarum abominabantur *Manichaei*, coniugium et generationem execrabantur, baptiſmum reiiciebant, legem et Prophetas reſpuebant, libros N. T. corrumpebant, et ſpuria ſcripta ſubſtituebant: pani item Euchariſtico humanum ſemen commiſcebant, et quas inſulſi alii eorum fuerunt errores. Vid. *Strauchii* diſſ. de Manichaeiſmo, Vit. 1656. *Iſ. de Beauſobre* hiſtoire critique de Manichee et du Manicheiſme Amſt. 1734.

(40) Erant hi progenies *Manichaeorum*, carni infeſtorum. *Venuſtiani* quoque a *Venere* dicti ſunt, cui quaſi ſacra peragebant. Addi poſſunt recenſitis haereticis *Artemonitae*, ab *Artemone* adpellati, *Chriſtum* nudum hominem tradebant; quibus expunctio loci 1 Iohann. V, 7. adſcribitur. Vid. *L. Ittig.* de haereſiarchis aeui Apoſtolici et Apoſtolico proximi, · *Io. Erh. Kappi* diſſ. de Artemone et Artemonitis Lipſ. 1737. *Io. Phil. Baratierii* antiartemonius. Sectarii *Valeſii* a *Valente* quodam *Arabe* dicti, qui ſub pietatis ſpecie ſeipſos caſtrabant, et hoſpites ſuos, ſalutem obtineri non poſſe rati, niſi membra, quae offenſioni ſunt, et in quibus regnat concupiſcentia, abiicerentur. Praeterea turpia alia docuiſſe tradit *Epiphanius*.

§. 3. Impugnarunt dictos haereticos varia *Concilia*, *Doctoresque* complures. Namque Origenes habitis ad *Philadelphiam* et alibi Synodis *Berylli* *Samoſatenianos* errores et *Arabicos*

maſcule

maſcule refutauit. (1) *Nouatianos* damnarunt Synodi *Carthaginenſis*, *Romanae*, *Antiochena.* (2)
252. *Carthagine* de haereticorum rebaptizatione decretum; (3)
270. *Antiochena Samoſateni* haereſin reiecit: (4) et
300. *Seſſuana* de Epiſcopi Romani *Marcellini* abnegatione cognouit. (5) Strenue quoque haereticis ſe *Patres* oppoſuerunt. Praeter
200. *Tertullianum* et *Clementem Alexandrinum* ex ſuperiori adhuc reſiduos (6) floruerunt hoc
230. *Polycrates Epheſiorum;* (7) *Theophilus Caeſarienſis*, *Pantaenus*, (8) *Ammonius Alexandrinus*, qui *Harmoniam Euangeliſtarum* ſeu *Canones Euangelicos* conſcripſit, (9) cuius diſcipulus (10) *Origenes Doctor Alexandrinus* ob continua ſtudia *Adamantius* adpellatus, incongruis quibusdam locutionibus anſam falſis dedit opinionibus. Scripſit autem inter alia quam plurima ſummam doctrinae Chriſtianae libro περὶ ἀρχῶν, (11) *Minutius Felix* Cauſidicus *Romanus*, Dialogi, quo Chriſtianus cum Ethnico differens introducitur, Auctor; (12)
240. *Gregorius* Magnus, *Thaumaturgus* adpellatus, *Neo-Caeſareae in Ponto*, (13) *Caecilius Cyprianus Car-*
270. *thaginis*, (14) *Dionyſius Alexandriae;* (15) *Victo-*
300. *rinus Pictauii*, *Epiſcopi:* (16) *Arnobius Afer*, *Presbyter*, (17) *et L. Caelius Lactantius Firmianus.* (18)(19)

(1) Nota, non ipſum *Samoſatenum*, ſed eius in haereſi praeambulonem Beryllum refutaſſe *Origenem*, qui per eundem ad meliorem frugem rediit. A. 249. *Arabica* Synodus *Alberae* habita, *Arabicos* refutauit. A. 263. *Romana* ſub Papa *Dionyſio* monuit *Dionyſium Alexandrinum* de locutionibus quibusdam *Sabellio* fauentibus, qui tamen ſe ſtrenue purgauit

(2) Contra *Nouatum* et eius adſeclas habitas Synodi *Africanae IV*. *Romanae II*. *Antiochena I*. Annis 253. et ſeq.

(3) Ha-

(3) Habitum circa An. 217. Conc. *Africanum* ab *Agrippino Carthaginenſium* Epiſcopo, communi Patrum praeſentium calculo rebaptizationem haereticorum decreuit, quod Spiritum Sanctum dare non poſſint, qui illum non habeant. A. 257. *Cyprianus Carthagine* Concilium inſtituit, quo decretum, infantes ante diem octauum in caſu neceſſitatis baptizandos. Anno vero ſeq. tres in cauſa de rebaptizatione ibidem habuit Synodos, quibus ſententia de rebaptizatione haereticorum ad veram Eccleſiam redeuntium contra Papam *Stephanum* confirmabatur. Vltimum illud in Tomis Conciliorum ab Apoſtolis primum reperitur.

(4) A. 266. primum conuenere Epiſcopi *Antiochiae* in cauſa Samoſateni, et cum ab errore deſiſtere nollet, A. 272. in eadem cauſa ibidem Concilium habitum, *Samoſatenus* damnatus et Eccleſia eiectus fuit.

(5) *Marcellinus* Rom. Papa, quod Ioui thura incenderat, a Synodo *Sueſſuana* accuſatus, ſed, quod ſeriam ageret poenitentiam, in gratiam receptus, et in functione ſeruatus fuit, Chriſtique fidem tandem martyrio ſignauit. In cauſa *Origenis Antiochiae* et alibi habitae Synodi plures eum modo accuſarunt et damnarunt, modo excuſarunt et abſoluerunt. Sic propter depoſitos in *Hiſpania Baſilidem* et *Martialem* Epiſcopos habitum *Carthagine* Concilium praeſide *Cypriano* ſtatuit, libellaticos ad poenitentiam quidam agendam poſſe admitti, ab honore ſacerdotii vero et dignitate Epiſcopali prohibendos eſſe.

(6) De quibus vide ad ſuperius Saec. §. 3. n. 4. et 9.

(7) *Victori* Rom. ſe animoſe hic in controuerſia Paſchali oppoſuit.

(8) *Pantaenus*. Philoſophus Stoicus, et Scholae *Alexandrinae* Doctor praecipuus.

(9) Philoſophus Chriſtianus vir valde eruditus auditorem habuit per annos XI. *Plotinum*, gentilem. Scripſit *Commentarium de Moſis et IESV conſonantia et canones ſiue Harmoniam Euangelicam*, quae cum *Diateſſaro Tatiani* non confundenda.

(10) In dubium quidem vocant *Bellarminus* et *Gerhardus*, quomodo *Origenes Ammonio* aetate fere ſuppar, eius diſcipulus fuiſſe potuerit. At illis temporibus grandes natu viri huius Scholas frequentarunt. Ceterum *Origenes* Iuuenis *Grammaticam* profeſſus, poſt Catecheta conſtitutus, Presbyterque factus, a Paullo haeretico veneni quid ſuxiſſe dicitur; adoleſcens, male intellecto loco Chriſti Matth. 19, 12. ſe euirauit, vel ferro, exectis genitalibus, vel, quod probabilius, medicamentis. Inde illuſtrare S. Scripturam orſus fuit, impellente quodam *Ambroſio*, quem conuerterat, qui ſumtus liberaliter ſuppeditabat: notarios ad manus plus ſeptem habuit, qui dicta ex ore loquentis excipe-

exciperent, rotidem librarios, cum puellis, quae properanter ſcripta nitidius exararent. Interim accuſatus variorum errorum a *Demetrio Alexandrino* fuit excommunicatus, vnde *Alexandria* ſecedens, *Caeſareae* ſe defendit, *Tyri* porro Commentarios in Sacram Scripturam pertexuit, et verſiones S. literarum contulit, in *Tetraplis Aquilae, Symmachi, LXX.* et *Theodotionis* verſiones per 4. columnas diſtributas, vno volumine: in *Hexaplis textum Ebraeum* literis *Ebraicis et Graecis* addidit; in *Octaplis* vero alias duas verſiones Graecas *Hierichunte et Nicopoli* inventas adiecit; quamquam *Iſ. Voſſius Origenem Octapla* ſcripſiſſe plane perneget *libro variarum obſervationum*. Laboris fuit indefeſſi, et quamquam *Hieronymus* de numero librorum dubitet, teſtatur tamen de eo, tot et tanta ſcripſiſſe, quanto nemo poſſit legere. Quae de thurificatione et aethiope traduntur, ſuo relinquuntur loco, ab haereſi tamen excuſari vix poterit. De ſcriptis eius vid. *Gerb. Coc. Rivet. Huetius, Meelfuhr. et alii.* Hoc quorundam de iis eſt iudicium, vbi Origenes bene ſcripſit, neminem eo melius, vbi male, neminem peius ſcripſiſſe. Conf. prolixe *P. Halloix* in Origene defenſo Leod. 1648. *Ottius* A. 256. *Io. Henr. Maii* diſſ. de eunuchiſmo Origenis Adamantii Giſſ. 1708. *Io. Andr. Schmidii* diſſ. de lapſu Origenis Helmſt. 1704. *Io. G. Walchii* diſſ. de vindiciis Origenis in doctrina de diuinitate Chriſti Ien. 1727. *Io. Aug. Erneſti* diſp. de Origene interpretationis librorum S. S. Grammaticae auctore Lipſ. 1756. Obiiſſe ſcribitur A. 256.

(11) De quo libro vide *Hieronymum et Rivetum.*

(12) Inſcribit eum *Octauium* ſiue *Octauianum*, quia in eo Chriſtianus *Octauii* nomine et Ethnicus *Caecilius* colloquuntur. Vid. *Ott.* A. 209. *Io. Chriſt. Breithaupti* diſſ. de Sulpitii Seueri ſtilo Hal. 1713, et *Dan. Guil. Molleri* diſſ. de Sulpitio, Alt. 1686.

(13) *Theodorus* antea dictus, poſt informationem ab *Origene* hauſtam admodum adoleſcens Epiſcopus in patria conſtitutus, multa patraſſe miracula ſcribitur a *Nicephoro*, non ſine doli ſuſpicione. Vid. *Henr. Dodwellus* diſſ. in Irenaeum diſſ II. De operibus eius paucis admodum vid. *Meehlfuhr. et Gerb.* it. *Fr. Caſim. Oudin.* Preſb. in ſupplem. ſcripp. Eccl.

(14) Adprime doctus et eloquens *Cyprianus*, vt genere clarus, diues, ac Senatorii ordinis vir, *Tertulliani* diſcipulus, quem Magiſtrum communiter, indigitauit, ex Rhetore, hinc Preſbytero, in locum defuncti *Agrippini* electus Epiſcopus, A. 250. imperterritum Chriſti adſertorem ſe praebuit, ſed in *Deciana* perſecutione ad martyrium quaeſitus, prudenter ſe ad tempus ſubduxit, et e latebris varias ad varios dedit epiſtolas, quibus eos in fide confirmauit, et, quid circa lapſos ad Eccleſiam reduces, faciendum ſit, monuit; reuerſus *Carthaginem*, *Nouatum* impugnauit, ſed ab haereticis redeuntes rebaptizandos eſſe

eſſe decreuit: Apologiam pro Chriſtianis ad *Voluſianum* ſcripſit, tandem ſub *Valeriano* in exilium iniuſto miſſus, poſt capite truncatus eſt A 261. Vitam eius *Pontius* Diaconus ſcripſit. De ſcriptis eius genuinis pariter et ſuppoſititiis vid. *Rivet. Coc. Gerb. Bebel.* et alii. Ceterum de eo dicere poſſumus euenisse *Cypriano*, quod plerumque magnis viris, quibus etiam ſua adhaerent vitia, de quibus *Meelfuhr.* cum aliis.

(15) Magnae inter Epiſcopos illius aeui autoritatis fuit, diſcipulus *Origenis*, non tamen eius errorum ſectator. *Nouatianos et Sabellium* ſtrenue impugnauit, ſeque Apologia a ſuſpicione errorum liberauit. In coniugio vixit, teſte *Euſebio*, vt alii plures eius aeui Epiſcopi: multa propter Chriſtum paſſus, tandem quiete obiit circa A. 266. Vid. *Cent. Magd. III*, 10. *Melſf.* pag. 50. ſeq.

(16) Rectius *Petauionenſis* vel *Pitabionenſis* in *Pannonia* Super. teſte *Launoio* lib. peculiari.

(17) Rhetor initio gentilis, inde Chriſtianus factus circa A. C. 250. Vixit tamen fere, vſque ad Saeculi IV. initia Scripſit apolog. aduerſus ethnicorum religionem libris 6. reliqua ſuppoſititia videntur. Conf. *Caſaub.* exerc. 16. *Gerb. Coc.*

(18) *L. Caelius* proprio nomine, *Lactantius* a lacteo dicendi genere, et a *Firmio Piceni* oppido *Firmianus* dictus, *Arnobii* diſcipulus, praeceptorem orationis dulcedine ſuperauit. Floruit circa finem huius Saeculi; tandem *Criſpi*, Imp. *Conſtantini* M. filii informator factus. De eius ſcriptis et erroribus videſis *Rivet.* c. 9. *Coc. Gerb. Melſf* *Ioach. Iuſt. Rau* diatr de philoſophia L. Caecil. Lactantii Firmiani Jen. 1733 *I. G. Geret* variorum de Lactantio eiuſque theologia iudicia Vitemb. 1721, ei. ſpecimen examinis theologiae Lactantianae, ib. 1723. *D. Io. Dietr. Winkleri* philologemata Lactantiana S. Brunſu. 1754.

(19) Dictis his Patribus accenſeri poſſunt *Anatolius Laodicenus*, ſacra et profana literatura tinctus, de Paſchate ſcripſit. *Archelaus* Epiſcopus in *Meſopotamia*, *Manetem* diſputando confudit. *Hippolytus* martyr, variorum ſcriptorum chronologicorum aliorumue auctor. *Heraclas*, poſt *Demetrium* Epiſcopus *Alexandrinus*; *Iulius Africanus*, Chronologus Chriſtianus, cuius tamen pleraque interciderunt. *Meletius*, *Ponti* Epiſcopus, ob natiuam facundiam *Mel Atticae* appellatus, et inſigni vitae ſanctimonia clarus. *Methodius Tyri* Epiſcopus, ſanctitate, doctrina et eloquentia notabilis; multa ſcripſit, de quibus tamen pauca ſuperſunt. *Picrius* Preſbyter *Alexandrinus* et quipiam alii. De Pontificum autem Romanorum huius et ſuperioris Saeculi Decretalibus et Epiſtolis monent Autores, eas pleraſque ſuppoſititias eſſe et ad ſtabiliendum Papalem dominatum confictas.

§. 4. *Iudaei* ſub *Septimio Seuero* denuo rebelles, denuoque victi, (1) niſu maximo continuarunt ſtudium *Talmudicum*, inde R. *Iochanan*
260. abſoluit *Talmud Hieroſolymitanum*, (2) cuius tamen minor ſemper fuit inter Iudaeos autoritas.
230. Scholae quoque eorum ex Palaeſtina in *Babyloniam* migrarunt. (3)

210. Inter *Gentiles* claruerunt L. Annaeus *Florus*
220. rerum Romanarum, (4) *Herodianus* vitarum Imperatorum a *Commodo* ad *Gordianum*; (5) *Dio*
230. *Caſſius Cocceius*, hiſtoriae *Romanae*, (6) *Arianus*,
250.
290. Imperatorum quorundam, *Aelius Lampridius*, *Aelius Spartianus*, (7) *Iulius Capitolinus*, (8) *Fl. Vopiſcus*, (9) *et Vulcatius*, (10) itidem Imperatorum nonnullorum ſcriptores, et *Io. Stobaeus* inſignium ſententiarum collector; *Aemilius Paullus Papinianus*, (11) *Domitius Vlpianus*, (12) *Herennius Modeſtinus*, *Hermogenes et Hermogenianus* ICti: *Oppianus Cilix*, (13) *M. Aurelius Olympius Afer*, *et Titus Calphurnius* Poetae. Denique *L.* *Apuleius Afer*, (14) *Plotinus* alter *Plato*, *Modeſtus* (15) *et Porphyrius* Philoſophi (16).

(1) Quod Claudio latrone duce ſeditionem mouiſſent, prohibuit *Septimius* poſt deuictos apellas ſub graui poena, ne liceret cuiquam Iudaeum aut Chriſtianum fieri.

(2) Vid. *Pfeiffer.* et alii, qui de Talmude ſcripſerunt.

(3) Vid. *Hottinger. H. E.* c. III. ſect. III. p. 128. ſeq.

(4) Ponitur *Florus* ab aliis in *Saeculum I.* Scripſit ſtylo Latio libros IV. rerum Rom. Vid. Diſſ. *Molleri* de Floro, Alt. 1684.

(5) Graece hic ſcripſit 8 libb. Principum Rom. prudenter et dextre. Conf. *eund.*

(6) Vtiliſſimus hic et diligentiſſimus eſt Hiſtoricus Graecus, cuius tamen haud omnia extant.

(7) *Lampridium et Spartianum*, vtut vulgo diſtinguant, vnum tamen eundemque fuiſſe docet *Mollerus* diſſ. de eodem.

(8) Vi-

(8) Vide eundem.

(9) Patria *Syracuſanus Aureliani* et ſeqq. Impp. ac tyrannorum vitas dedit.

(10) Antiqui *Volcatium* dicunt, cum adiecto *Gallicani* nomine.

(11) A *Caracalla* occiſus, quod fratricidium in *Geta* commiſſum excuſare nollet.

(12) Qui cum *Pomponio et Hermogene Papiniani* Diſcipulis ceterum Chriſtianis infenſiſſimus, DIO vindice, a praetoriano tandem milite confoſſus fuit, v. *D. Adr. Stegeri* diſſ. de Domitio Vlpiano ICto, Lipſ. 1725. pluresque alii, qui nominantur P. VI. der häliſchen Beyträge zur juriſtiſchen gelehrten Hiſtorie.

(13) Poëta Graecus perdoctus, v. *P. Iac. Foertſch* comment. de Oppiano poeta Cilice, Lipſ. 1749.

(14) Philoſophus *Platonicus*, in quo profunda latet eruditio.

(15) Scripſit *de vocabulis rei militaris*.

(16) Fuit *Porphyrius* inter omnes Chriſtianorum hoſtes ſubtilitate praecipuus, Theologiae gentilis peritiſſimus at ſimul blaſphemus. Vid. *Launoius Gallus*. Adde his *Philoſtratum* Graecum, ſub cuius nomine ſcripta erudita proſtant, nec infacunda, quamquam non ipſius ſolius. *Alexandrum Aphrodiſaeum*, *Cenſorinum* de die natali, et quoſpiam alios.

SAECVLVM IV.

§. 1.

Saeculum poſt CHRISTVM natum *Quartum* magna *Magni CONSTANTINI* reformatione illuſtre eſt. Ille enim deuictis Chriſtianorum hoſtibus, et de victoria contra *Maxentium* crucis ſigno in nube conſpicuae certior redditus, (1) Religionem Chriſtianam recepit, libereque eam cuilibet exercere permiſit; (2) ſequentes vero Imperatores ſancitis pluribus edictis claudi gentilium templa iuſſerunt, ſacrificia prohibuerunt, atque ita proſcriptis illis ſacris ſuperſtitionem hanc ex Imperio eliminarunt. (3) Templa porro Diis gentilitiis ſacra Chriſtianis ritibus, et ſacer-

dotum profanorum reditus Chriſto dicatis ſacrarunt. (4) Tandem vero refractarios, atque a fide hac alienos, in pagos exulare juſſerunt, vnde *paganorum* nomen omnibus gentilibus fuit impoſitum. (5) Dilatabatur igitur hac aetate Chriſti regnum per *Perſas*, (6) *Indos*, (7) *Iberos*, (8) *Armeniae citerioris populos*, (9) ad *Pontum Euxinum* habitantes, *Saracenos* (10) item et *Gothos*, (11) *Burgundos* [12] denique, *Hunnos* atque *Auares*. [13] [14]

(1) Quale illud ſignum, quod *Conſtantino* in nube adparuerit, fuerit, de eo inter doctos multum certatur. Sunt non pauci, qui Graecas literas X et P in ſe mutuo inflexas ita XP. fuiſſe dicunt. Vide inter complures alios *Hekelium* diſſert. de nummo Conſtant. M. argenteo, it. *Baringium* de crucis ſigno a Conſt. M. conſpecto. Adſcriptum hoc lemma fuiſſe dicitur: *In hoc vinces*. Qui de Conſtantino M. expoſuerunt, haud exiguo numero recenſet *Io. Alb. Fabricius* in luce ſalutari euang. p. 255. *Io. Vogtius* in hiſtor. litter. Conſtantini M. plus 125. rerum Conſtantinianarum ſcriptores ſiſtens Hamb. 1720. et in *Gudii* Biblioth. p. 1?4. His adde *Matthaei Iacutii* Syntagma, quo apparentis M. Conſtantino crucis hiſtoria complexa eſt vniverſa, ac ſuis ita ab omnibus non priſcis modo, quam nuperrimis oſoribus vindicata, tempori ſuo et loco reſtituta ceteris tandem rei geſtae monumentis illuſtratur Rom. 1755. 4. *Io. Mich. Lorenzii* diſſ. de tranſitu Conſtantini M. ad caſtra Chriſtianorum, Argent. 1757. *Matth. Fuhrmanni* hiſtoria S. de baptiſmo Conſtantini M. P. I. Rom. 1742. P. II. Vienn. 1746.

(2) Secutus exemplum parentis *Conſtantii*, qui in *Gallia* Chriſtianis poteſtatem dedit ex ſuae religionis praeſcriptis vivendi.

(3) Varias ea de re Impp. ſanctiones videſis in *Codice*.

(4) Vid. *Euſeb.* l. X, 3. *Socrat.* I, 14. *Sozom.* I, 8.

(5) Confer Lexicon *Martinii* ſub hac voce. *Calixt.* de verit. Rel. Chriſt *Dilherr.* in elect. *Korthold.* alioſue.

(6) Qui prope *Euxinum* habitantes a Chriſtiana quadam captiua in Chriſtianiſmi principiis imbuti, Epiſcopos a *Conſtantino* petierunt et impetrarunt.

(7) Interiores per Frumentium et Aedeſium itidem captiuos eruditos. *Frumentius* certe *Habeſſinis* Chriſti noticiam Saeculo hoc implantauit.

(8) Re-

(8) Rege *Baturio* a foemina Chriſtiana captiua informatos.

(9) *Tiridates Armeniorum* Rex motus miraculo, quod domi ſuae contigerat, religionem Chriſtianam illic obliteratam reduxit.

(10) Moſes eremita primus illorum fuiſſe Epiſcopus fertur ſub Regina *Mania*.

(11) Sub Imp. *Valentiniano* I. ab *Vlphila* in Chriſtiana fide fuerunt inſtituti, poſt tamen auctore *Valente* in Arianiſmum ignorantia potius quam malitia prolapſi.

(12) Quos ab *Hunnis* ſedibus pulſo, in *Galliae* confinibus conſidentes, Epiſcopi Galli in fide Chriſtiana erudierunt.

(13) *Hunni et Auares* e *Caſpiis* montibus in Europaeas regiones erumpentes, multa dirae crudelitatis exempla dederunt; tandem vero Chriſtianorum manſuetudine deliniti, miraculiſque permoti, in CHRISTI nomen *tranſierunt*.

(14) Addi his poſſunt *Marcomanni*, quorum Regina *Fritigildis* Chriſtianam fidem amplexata, ab *Ambroſio* pietatis capita ſibi praeſcribi petiit, vnde *Hieronymus* laudat, quod ipſa *Germania* Spiritus Sancti elogia ſcrutetur; teſtaturque per barbaros in vna *Moguntiae* Eccleſia aliquot millia hominum trucidata fuiſſe. Vid. *Meerman.* theatr. conu. gent. et *Hotting*. H. E. c. IV. ſeq.

§. 2. At nondum in Eccleſia omnia erant tuta. Praeter ſaeuiſſimam enim, quae tum adhuc feruebat, *DIOCLETIANI* perſecutionem, *MAXENTIVS* Romae, *SEVERVS* et *GALERIVS* in Oriente, [1] et *IVLIANVS* Imperator, a Chriſtianae Religionis defectione *Apoſtata* (2) dictus ad ſubuertendum Chriſti cultum omnem mouerunt lapidem, qui quidem poſtremus exquiſitis ſuppliciis et confictis variis artibus tollere hoc nomen ſedulo adlaborauit: (3) Idem tentabant *Symmachus* vrbis praefectus, qui ſacra gentilia recipi in vrbe petiit; (4) *Eugenius* et *Arbogaſtes*, qui gentiliſmum reducere vnice ſtuduerunt; (5) *Perſarum* tandem Reges, *Sapor* praecipue, qui vno *Paraſceues* die ſedecim piorum millia variis tor-

mentis ſuſtulit; (6) vna cum *Philoſophis* eadem
quoque ſacra inſectantibus. (7)
A.C. *Hereſes* hoc Saeculo praecipue fuerunt
315. *Ariana*, ab *Ario Alexandrino* Preſbytero inchoata,
qui cum ad vrbis *Alexandrinae* Epiſcopatum ad-
ſpiraret, eoque poſtea excideret, in amentiam
hanc fuit prolapſus, vt Filium vere et natura
DEVM eſſe negauerit, principiumque habuiſſe,
et ex nihilo conditum fuiſſe adſeruerit, (8) Quod
quidem peſtiferum dogma adeo late Imperium
peruagatum eſt, vt recte *Hieronymus totum* dicat
*orbem ingemuiſſe et miratum eſſe, ſe tam ſubito
factum Arianum.* Tandem *Arius* ille impuriſ-
ſimam animam impura merito morte eiecit. (9)
Progenerauit haec haereſis *Euſebianos*, ab *Euſe-
bio Nicomedienſi* cognominatos, (10) *Marcellia-*
340. *nos*, a *Marcello* Epiſcopo *Ancyrano* dictos; (11)
342. *Aërianos* quibus *Aërius* nomen et dogma reliquit,
qui tamen ſtatuta illa ieiunia recte reiecit, Preſ-
byterumque ab Epiſcopo nihil differre adſeruit;
350. (12) *Photinianos*, a *Sirmienſi* Epiſcopo *Photino*
adpellatos, qui *Chriſtum* ex vtroque ſexu purum
357. hominem natum tradiderunt; (13) *Eunomianos*
ab *Eunomio Cappadoce* vocatos, inaequales Deita-
tis perſonas, Patremque Filium, et Filium Spiri-
358. tum Sanctum feciſſe, docentes, (14) *Semi-Aria-
nos*, qui *Patris* quidem et *Filii* vnam eandemque
Deitatem adſerebant, *Spiritum* autem *Sanctum*
DEVM verum negabant, factum tantum praedi-
359. cabant; (15) *Macedonianos* denique, *Spiritus*
quoque *Sancti* Deitatem inficiantes, auctore *Mace-
donio, Conſtantinopolitano* Epiſcopo; (16) qui et
alias

alias *Pneumatomachi* audiebant. Hi omnes et
alii *Arii* linxerunt ſputum. Quemadmodum *No-*
vatianorum doctrinam quoque reuocauit *Aceſius* 346.
Epiſcopus *Conſtantinopolitanus*, quem proin ſo-
lum adſcendere coelum juſſit Imperator CON- 358.
STANTINVS. *Donatiſtarum* nomen ac ſenten-
tiam in orbem induxit *Carthaginenſis* Donatus,
qui ſolum Chriſti Eccleſiam veram in Africa eſſe
nugabatur, inique admodum ferens, *Caecilianum*
in illius loci Epiſcopatu ſibi praelatum: (17) Ho-
rum ſectatores *Circuitores* ac *Circumcelliones* ad-
pellabantur, quod inſignem ſimulantes ſanctimo-
niam vndique circumirent, martyria ſubire para-
ti; (18) *Luciferiani* cum *Lucifero Calaritano* in 365.
Sardinia Epiſcopo animas hominis ex carnis ſub-
ſtantia propagatas credebant; (19) *Agnoëtae* ſiue 368.
Ignorantes diuinam Chriſti naturam nonnulla, vt
extremi iudicii horam aliaue ignoraſſe tradebant,
(20) edocti ita a *Themiſtio* Philoſopho, (21) et
Theodoſio Alexandrino. *Apollinariſtae* ab *Apolli-* 377.
naribus Laodiceae orti, CHRISTVM corpus ſine
anima ex virgine ſuſcepiſſe, vel certe DEVM ver-
bum pro mente adſumſiſſe dicebant. (22) *Meſ-*
ſaliani (*al. Maſſaliani*) item *Euchetae* praeter ba- 380.
ptiſmi et animae negationem turpi ſe otio ſub ad-
ſiduae precationis praetextu mancipabant. (23)
Priſcillianiſtae duce *Priſcilliano Abilae* in *Hiſpa-* 388.
nia Epiſcopo duos bonum, malumque Deos fa-
ciebant. Trinitatem tribus modo nominibus di-
ſtinguebant, carnium eſum et conjugia improba-
bant, denique periuria et mendacia, celandae ma-

 xume

xume fidei gratia permittebant, frequenter illud in ore verſantes:

Iura, periura, ſecretum prodere noli. (24)

395. *Antidico-Marianitae* ab *Heluidio* homine ruſtico edocti *Mariam CHRISTO* nato virginem manſiſſe pernegabant, (25) Contra *Collyridiani collyridem* ſiue tortum panem Mariae quotannis ſtato die offerebant, eamque vltra decorum venerebantur. (26) Vltimo *Anthropomorphitae Deo* tribuebant membra corporea; Vocantur hi alias *Vadiani* et *Audaeani*. (27) (28)

(1) *Diocletianus* abdicato Imperio adoptauit *Galerium Maximinum*, qui *Seuerum et Maximinum* collegas recepit. *Maximiano* vero ſucceſſor per milites datus filius *Maxentius*. *Seuerus* breui occubuit: *Galerius* autem et *Maximinus* ſeuera crudelitate contra Chriſtianos inclaruerunt, atque ita ab anteceſſoribus motam perſecutionem diriſſime continuarunt, vſque *Galerius* foediſſimo morbo diuinitus immiſſo periret, cum ante Chriſtianis fidei libertatem indulſiſſet, et vt pro ſe DEVM precarentur, rogaſſet: *Maximinus* autem crudelior factus continuauit ſaeuitiam, vſque tandem miſera quoque morte periit.

(2) *Hic* inſigni eruditione imbutus, Chriſtianiſmum initio ſimulabat, ſed Imperator a militibus factus, poſtquam Gallias a Germanis liberaſſet, ethnicae religioni, quam per *Libanium* et alios praeceptores in iuuenta imbiberat, ſe palam dedit, atque grauiſſimam in Chriſti fideles perſecutionem mouit, quam *Socrates*, *Sozomenus*, *Theodoretus*, *Iac. Godofredus* et alii prolixe deſcribunt.

(3) Cauit quippe, ne Chriſtianorum liberi Graecorum diſciplinae imbuerentur, aut militiam exercerent, neue pecuniarum procurationes illis committerentur: Clericis porro omnes immunitates ademit, templa deſtruxit, theſauroſque Eccleſiae aerario intulit. Vitam huius imperatoris enarrauit Abbas *de la Bletterie* editam Hagae Com. 1735 et Amſtel. 1750, in patriam vero verſam Berol 1736. et Gothae ſtudio *Pfeilii* 1752. Vid. *Gottl. Frid. Gudii* comment. de artibus Iuliani apoſtatae paganam ſuperſtitionem inſtaurandi Ien. 1739. *Chr. Aug. Heumanni* diſp. de Iuliani imp. extrema voce, *viciſti Galilaee!* Fabulis adnumeranda Gotting. 1740.

(4) Ab

(4) Ab Imp. *Valentiniano*, ſed illi *Prudentius* carmine, et *Ambroſius* reſponderunt.

(5) Sed diuina vi fracti ſuccubuerunt; vterque enim miſere periit, prior a Theodoſio M. victus, captus et interfectus, alter ſibi ipſi violentas manus intulit.

(6) Vid *Magd. Cent.* IV, 3. *Sozom.* l. II, 8.

(7) Factum id praecipue ſub *Diocletiano* et *Iuliano* Imperatoribus.

(8) Argutiarum Dialecticarum haud ignarus *Arius* DEVM non ſemper patrem fuiſſe, ſed tempus extitiſſe, cum non eſſet pater, docuit; et DEVM, qui eſt, eum, qui non erat, ex eo, quod non eſt, procreaſſe, et tempus fuiſſe, cum non eſſet, docuit. Quamquam autem *Alexander Alexandrinus* Epiſcopus eum priuatim pariter et in Synodo ab haereſi reducere vellet, nihil tamen obtinuit. Poſt Concilium *Nicenum Arius* in fidem Nicenam iurauit, atque eo ipſo Imperatorem, et Epiſcopos *Hieroſolymis* congregatos mouit, vt reſtitutionem *Arii* vrgerent, quam tamen neque *Athanaſius Alexandriae*, neque *Alexander Conſtantinopoli* fieri permittebant. De haereſi *Ariana* Conf. Diſſ. *Io. Meiſneri* de origine et progreſſu Arianiſmi Witteb. 1653. *Bebelii* de mediis Arianiſmi Argent. 1669. *Hannekenii* epitome Hiſt. Arianiſmi. *P. E. Iablonſki* diſſ. de Arianorum veterum baptiſmo in S. S. trinitatem Francof. 1734.

(9) Vi quippe in Eccleſiam *Conſtantinopolitanam* introducendus, in via ventris ſentiens tormina, inteſtina cum infelici anima turpiſſime effudit, idque factum ad preces *Alexandri Epiſcopi Conſtantinopolitani*. V. *I. Frid. Wuchereri* diſſ. aeternis diuinitatis I. C. vindiciis Guil. Whiſtono oppoſitis adnexam Ien. 1730. *Arn. Greuii* Athanaſius de morte Arii referens a cauill. obſeruator. Halenſis vindicatus Witt. 1722.

(10) *Euſebius Nicomedienſis* diſtinguendus eſt ab *Euſebio Caeſareenſi*, de quo infr. Ille cum *Ario Antiochiae* Theologiae dederat operam, a quo dein tractus in errorem, eius conſtantiſſime ſuſcepit patrocinium, vſque tandem manu, vtut non mente, decreto *Niceno* ſubſcriberet; orthodoxias tamen perpetuus hoſtis, pro *Ario* reſtituendo, et *Athanaſio* euertendo, Imperatorem *Conſtantinum*, eiusque filium *Conſtantium*, quibus ſe inſinuauerat, mouit et permouit. Adſeclae eius *Euſebiani* cum *Arianis* pares errores fouebant, ſed loquendi genere emolliebant.

(11) Vid. *Sozomenus et Nicephorus*. *Marcellus* Samoſateni errores reuocauit, ab *Euſebianis* loco motus, poſt vero reſtitutus, quod per calumniam dogmata falſa illi tributa crederentur, v. *Bernh. de Montfaucon* diſſ. in *Vogtii* biblioth. T. I. faſc. 2. n. 2. *Chriſt. Henr. Vogelii* diſſ. de Marcello Ancyrae epiſcopo Gotting. 1757.

(12) Vocati *Aeriani* alias et *Syllabici*, quia ex Syllabis *ex quo, per quem et in quo* de Deo vſurpatis, naturae in tribus perſonis

diuerſitatem probare voluerunt. Ipſe *Aerius*, quod in Epiſcopatu ſibi *Euſtatius* praelatus, ſeceſſionem ab hoc fecit, et praeter alia dogmata orationem pro defunctis reiecit. Vid. *Hildebrand.* de Aerio et haereſi eius. *Spizel.* de felic. liter. p. 803. *Sagittar.* Epiſt. Anti-Schoen. Korth. in Hiſt. Eccleſ.

(13) Fuit *Photinus Marcelli* diſcipulus, negauitque tres in DEO diſtinctas perſonas, filii autem DEI perſonam non extitiſſe, priuſquam IESVS ex Maria initium ſumeret, docuit. Epiſcopali dignitate exutus, et *Sirmio* in exilium eiectus fuit. Conf. *Matth. Larroquan* de Photino haeretico, cuius haereſis illo tempore breui euanuit. De recentioribus Photinianis inferius Saec. XVI.

(14) *Eunomius* corpore et anima leproſus, docuiſſe ſcribitur, filium quoad omnia Patri eſſe diſſimilem, vnde *Anomiani* dicti, iidem tradebant, omnes, qui eandem ſecum fidem profiterentur, ſaluos fore, quantumlibet grauia committerent peccata, et in illis perſeuerarent. *Aetii* diſcipulus, eiusque dogmatis ſectator fuit. *Eunomius* cum errores diſſeminaret, iuſſu Imperatoris in exilium miſſus fuit, in quo et obiit.

(15) Confer *Philaſtrium* haereſ. 67. ſeq. et *Prudentii Marani* diſſ. ſur les ſemiariens in *Vogtii* biblioth. T. II. faſc. I. p. 115.

(16) Per vim manu militari in Epiſcopatum intruſo, qui cum *Arianis* non per omnia placeret, filium quippe factum et creaturam eſſe nolebat dicere, iuſſu Imperatoris remotus fuit; hinc filium per omnia, etiam ſecundum ſubſtantiam, ſimilem, non tamen eiuſdem ſubſtantiae eſſe dicebat: Spiritum autem Sanctum creaturam eſſe adfirmabat, quod ante eum nemo dicere fuerat auſus. V. *G. Henr. Goetzii* diſſ. de Macedonianis in *Vogtii* biblioth. T. I. faſc. I. n. IV.

(17) Cum *Menſurius Carthaginenſium* Epiſcopus *Romam* vocatus vaſa ſacra et ornamenta Eccleſiae Senioribus ſuae eccleſiae adſeruanda commiſiſſet, hi *Coeciliano* nouo Epiſcopo haec negarunt, ducti auaritia, ſeque eius communioni ſeduxerunt. Cum autem *Coeciliani* partes praecipui Epiſcopi tuerentur, *Donatus* omnes hos in falſa eſſe Eccleſia adſeruit, *Coeciliano* cum ſuis adſeclis varia impegit crimina, Chriſtique Eccleſiam de toto terrarum orbe periiſſe, et in *Donati* tantum partibus remanſiſſe finxit. Hinc *Donatiſtae* ab aliis ad ſe tranſeuntes rebaptizabant, haereticos nulla Magiſtratus auctoritate reprimendos ducebant, et in illos, qui a ſecta hac alieni erant, magno furore ſaeviebant. Magna his ſimilitudo fuit cum ſuperioris Saeculi *Anabaptiſtis*. Vid. de Donat. *H. Valeſ.* in adnot. ad Euſeb. *Sagittar.* in Epiſt. Antiſchoenem. *Danhauer.* in collatione inter Pontif. Cathol. et Donat. Adde *Melch. Leydecker.* in hiſt. Eccl. Afric. Vltrai. 1690. nec non *D. El. Veiel* in diſp. Theol. de ſententia Aug. an haeretici et ſchiſmatici vi ad fidem ſint cogendi? *Herm. Witſium* in Miſcell. ſacr. T. I. p. 747. Qui *Romae*

Romae habitabant, a montibus, quos incolebant, *montenſes* adpellati ſunt.

(18) Hi in agris cellas et tuguriola habebant, tanquam vitae eremiticae ſectatores, ex quibus in obuios catholicos irruentes, eos miſere trucidabant. *Agoniſtiri* hi dici maluerunt. Non autem in alios tantum, ſed et in ſemetipſos crudeles extiterunt, voluntariam mortem martyrium adpellantes.

(19) *Lucifer* ſtrenuus orthodoxae fidei ante. contra *Arianos* defenſor, a diabolo tandem ſuperatus, erroribus quibuſdam inquinatus dicitur, quamquam, qui illi fuerint, haud ſatis conſtat: inde multi eum cum adſeclis non pro haeretico, ſed tantum pro ſchiſmatico habent, quod ab *Euſebio Vercellenſi* et reliquis orthodoxis ſe ſeiunxiſſet. Conf. *Spizel.* lit. fel. p. 200, 603. et ſecciſſ. p. 226. *Kortbold* H E. p. 130. ſeq.

(20) Auctor horum quidam *Theophronius* Cappadox fuiſſe ſcribitur. Eorum dogma hoc IV. Saeculo breui quidem euanuit, ſed VI. reproductum fuit a *Senero* quodam et aliis, hinc *Seneritae* quoque dicti. Conf. Agnoetiſmum *Colbii.* *Kortholdt.* Hiſt. Eccl. pag. 199. ſeq.

(21) Quem *Theophronium* alii indigitant. Haec vero ignorantiae haereſis tandem quoque ignorantiae fuit mandata.

(22) Duo fuere *Apollinares* pater et filius, vterque haereſi huic implicitus, qua Chriſtum animam tantum vegetatiuam et ſenſitiuam adſumſiſſe, rationalis autem loco diuinam naturam habuiſſe tradiderunt. Chiliaſtis quoque fauiſſe dicuntur. Conf. *Socrat*, *Sozom.* Hiſt. *Magd.* *Prateol.* et alii. Adde ex recentioribus *Iac. Baſnagium*, in Epiſt. Differt. ad Epiſtol. *Chryſoſtomi* in *Vogtii* biblioth. T. I. faſc. I. n. I.

(23) Sectarii horum nominantur *Dadoes*, *Sabbas*, *Adelphius*, *Hermas et Simeones*; qui creari a DEO animas negarunt, baptiſmo et Euchariſtiae omnem vim et efficaciam denegarunt, denique ab oratione nunquam eſſe ceſſandum docuerunt. Vid. *Auguſtin.* de haereſ. *Niceph.* item *Hildebr.* de precibus veterum Chriſtianorum.

(24) *Gnoſticorum et Manichaeorum* dogmata hi reducebant, et ex aliis haereſibus ſordes quaſdam recipiebant, easque in *Hiſpania et Gallia* ſpargebant. *Ipſe Priſcillianus* tandem iuſſu *Maximi Treuini* fuit decollatus. Conf. *Sev. Sulpit.* l. II. *Oſiander* Cent. IV. l. 3. c. 50. *Simon von Vries* diſſ. exit. de Priſcillianiſtis Vltrai. 1745.

(25) Vocantur hi alias *Anti-Mariani*, item Heluidiani, ab *Helvidio* vix primis literis imbuto. Conf. *Hier.* *Auguſt.* *Epiph.* *Centur.* *Magd.*

(26) Iuxta Epiphanium plerumque mulierculae ſuperſtitioſae huic errori adhaerebant. Vid. *Sagittar.* Epiſt. Anti-Schoenem. *M. Io. Gttl. Werneri* diſſ. de Collyridianorum ſecta, Vuiteb. 1745.

(27) Pri-

(27) Prima huius erroris fundamenta quipiam *Tertulliano* adſcribunt, qui tamen ab *Auguſtino* defenditur. *Audaeus Syrus* potius eius auctor ſtatuitur, errorque in *Aegypto*, cumprimis inter Monachos in eremo fouebatur. De his lege *Theodoretum*, *Epiphanium*, *Auguſtinum*, *Cent. Magd.* et alios.

(28) Adiici haereticorum huius Saeculi numero poſſunt *Meletiani* a *Meletio* Epiſcopi *Lycopolitano* dicti, qui ſe *martyrum Eccleſiam* adpellabant, lapſis in perſecutione poenitentiam denegabant, ceremonias Iudaicas in Eccleſiam reducebant, et tintinnabulis pulſatis DEVM placari poſſe credebant. Vid. Hiſt. tripart. *Socr.* l. 1. 18. *Arianae* factioni initio fauebat *Meleus*, poſt vero orthodoxus redditus, in magno apud Imperatorem fuit aeſtimio. *Aetiani* ab *Aetio Syro* dicti, Chriſtum cum *Arianis* non tantum creaturam, verum et patri per omnia diſſimilem docuerunt: Imo dixiſſe auctor fertur, extra coniugium cum muliere rem habere non magis eſſe peccatum, quam aurem ſcalpere. Paria cum eo fecit *Eunomius* diſcipulus. *Eudoxius* itidem *Arianis* fauit, eorumque dogmata propagauit. *Acacius* denique patri filium ſecundum voluntatem, non ſecundum eſſentiam ſimilem eſſe voluit; In Synodo *Conſtantinopolitana* fuit depoſitus.

§. 3. Patres *Orthodoxi* contra hos haereti-
cos, praecipue contra infauſtum *Arii* ſchiſma va-
rias inſtituerunt *Synodos*, vt *Ancyranam*, qua 25.
308. Canones, vt plurimum Eccleſiaſticam diſciplinam
concernentes fuerunt conditi; (1) *Neo-Caeſa-*
318 *rienſem*, quae decretis ſuis nugas complures con-
tinet, et inter alia etiam preſbyteris coelibatum
imponit, (2) cum aliis quam pluribus. (3) Tan-
dem vero iuſſu *CONSTANTINI Magni*, cum le-
niora media ſchiſma illud inter *Alexandrum* Epi-
ſcopum *Alexandrinum* et *Arium* Preſbyterum per
Hoſium haud quaquam tollerent, inſtitutum A.
325. CCCXXV. *Concilium Oecumenium* (4) (ad quod
ex praecipuis Chriſtiani Orbis partibus Epiſcopi
aliique Clerici orthodoxi vocati ac ablegati) *Niceae*
in *Bithynia*, quo a trecentis octodecim Epiſcopis,
(quos inter celebriores *Paphnutius* cuiuſdam in
Thebai-

Thebaide ciuitatis epiſcopus, et confeſſor, *Spiridion* in *Cypro* vxoratus, *Hoſius Cordubenſis*, *Euſtathius Antiochenus*, et *Macarius Hieroſolymitanus*, Epiſcopi) praeſide ipſo *Imperatore*, et poſt eum verba faciente *Euſtathio*, *Arii* dogma condemnatum, ipſe in exilium cum adſeclis deportatus, ſcripta eius combuſta fuerunt, deque Paſchate celebrando, rebaptiſatione ab haereticis redeuntium, Epiſcoporum honoribus et praerogatiuis fuit actum; Matrimonia porro Clericis relicta fuerunt, propugnante prae ceteris *Paphnutio*, (5) conditumque hic *Symbolum* illud *Nicenum* hodienum dictum, ad ea vſque verba: *Credimus autem et in vnum Spiritum Sanctum;* (6) Multi hic ex *Arianis*, *Euſebius Nicomedienſis*, *Arii* patronus aliique orthodoxae fidei ſubſcripſerunt, (7) ipſorumue Epiſcoporum mutuas contentiones vt tolleret *CONSTANTINVS*, libellos eorum concremari iuſſit. Durauit id Concilium, per triennium. (8) Quo finito *Arii* olim fauitores, praecipue vero *Euſebius Nicomedienſis* perſuadent Imperatori, reſipuiſſe *Arium*, vel iniuriam illi *Niceae* factam, per ſororem *Conſtantiam*, indeque vt cauſa eius denuo cognoſcatur, ipſeque reuocetur, orant, et exorant, quippe *Arium*, qui confeſſionem Scripturae verbis, ſenſu malitioſe abſcondito, obtulerat, *Alexandriam* reduci mandat *CONSTANTIVS*, ſed obſtat *Athanaſius Alex.* 334. Epiſcopus, indeque Imperator *Caeſaream* poſtea *Tyrum* indicit Synodum, vbi actore praecipue *Euſebio Athanaſius* variorum criminum falſo accuſatus, et ad Imperatorem delatus, tandem in Gallias

lias *Treuirim* miſſus fuit in exilium; (9) *Hieroſolymitana* quoque Synodus hanc *Athanaſii* condemnationem confirmat, et *Antiochena Euſtathium Antiochenum* impurae libidinis falſo accuſatum exilio multat. (10) *Romae* habitae complures Synodi in cauſa *Athanaſii* innocentem eum declararunt, *Arianoſque* damnarunt, *Iulio* Pontifice pro eo ſaepius intercedente. (11) *Eliberide* in *Hiſpania*, (12) *Arelati* in *Gallia*, et *Carthagine* aliae celebratae, ritus quoſdam Eccleſiaſticos ſanxerunt; (13) Redierat *Conſtantii* Imperatoris indultu *Alexandriam Athanaſius*, ſed a maleuolis denuo exagitatur, habitis *Antiochiae* (14) conuenti-
340. culis; Denuo igitur Synodo *Romana* defenditur, et *Conſtantis* interceſſione ad Eccleſiam ſuam remittitur; (15) *Sardicaeque* inſtituitur Synodus ex
351. *Orientalibus* fere Arianis omnibus, et *Occidentalibus* orthodoxis Epiſcopis, (16) at cum hi *Athanaſium* in communionem reciperent, illi *Sardica* excedentes *Philippopoli Pſeudo-Synodum* congregant, (17) *Athanaſium* denuo, *Iuliumque* Epiſcopum *Romanum* cum adſeclis condemnant, nihilo tamen minus reducitur *Athanaſius Alexandriam*,
352. ibique et *Hieroſolymis Arianos* ſtrenue impugnat.
357. At contra *Photinum Syrmii* in *Pannonia* celebrata Synodus, qua ille quidem damnatus, at nec ὁμοȣσίȣ nec ὁμοιȣσίȣ vox admiſſa. (18) Poſt obitum Imperatoris CONSTANTIS in cauſa *Athanaſii* congregatur *Mediolani* Synodus, qui contradicentibus *Orientalibus* ab *Occidentalibus* ille denuo defenditur, propterea in exilium pulſis. (19) *Arimini* porro in Italia iuſſu Imperatoris quadringen-

dringenti Epiſcopi conueniunt, et *Occidentales* 353.
Orientalium technas detegunt, hi vero ab *Imperatore CONSTANTIO* impetrant, vt *Arianae* ſectae libertatem impertiret, *Nicenamque* fidem abrogaret (20). *Seleucienſi Acacius Hieroſolymitanus* ob *Arianam* profeſſionem deponitur, ſed Imperatoris mandato reſtituitur (21). Sub *IV-* 361.
LIANO Athanaſius reuocatus, *Alexandriae* de opprimendis *Arianis* ſaluberrime conſultat, (22) ſed breui poſt denuo exulatum abit; inde in *Palaeſtina*, *Antiochiae*, *Alexandriae*, *Laodiceae* in *Illyrio*, et alibi conuenientes Epiſcopi *Nicenam* fidem modo adprobant, modoque improbant, (23) cum VALENTEM ſua vafricie occupaſſent *Ariani*. Defuncto autem illo, et *THEODOSIO Magno* Imperante, colligitur eiusdem auſpiciis, *Conſtantinopoli* contra *Macedonium Concilium Oe-* 381.
cumenicum Secundum, quo a 150 *Epiſcopis Spiritus Sancti* Deitas ſtabilita, *Nicena fides* confirmata, et *Conſtantinopolitani* Epiſcopi dignitas *Alexandrino* et *Antiocheno* praelata fuit. (24) Atque ex illo tempore *Ariani*, *Eunomiani* et *Macedoniani* pluribus Synodis impugnati, *Romaeque Conſtantinopoli* et alibi damnati fuerunt. (25) Tandem et *Carthagine* et alibi multa circa mores *Eccleſiaſticorum* corrigendos fuerunt conſtituta. (26)

Patrum hoc Saeculo potiſſimi erant: *Athanaſius*, Epiſcopus *Alexandrinus*, malleus contra 330.
Arianorum perfidiam, quinquies in Exilium eiectus, ab hoſtium inſidiis tutus ſub diuino praeſidio delituit, tandemque *Alexandriae* quiete obiit.

obiit. (27) *Baſilius Ancyranus*, (28) *Caelius Se-*
350. *dulius*; (29) *Hilarius Pictauienſis*, (30) *Serapion*
in Aegypto Epiſcopi, (31) *Paphnutius* Epiſcopus
Thebaidis, (32) *Spiridion Trimethuntis in Cypro*,
360. (33) *C. Marius Victorinus Afer*; (34) *Dorotheus*
Tyri, (35) *Gregorius Nazianzenus*, (36) *Hoſius*
Cordubenſis, (37) *Baſilius Magnus Caeſareenſis*;
370. (38) eiuſque frater *Gregorius Nyſſenus*, (39) *Cy-*
rillus Hieroſolymitanus, (40) *Vlphilas Gothorum*
Epiſcopus, qui diuinas literas in *Gothicum* idio-
ma tranſtulit, (41) *Ioh Chryſoſtomus Conſtantino-*
politanus, qui ab *ARCADIO Eudoxia* inſtigante
380. exulare fuit iuſſus; (42) *Optatus Afer*, Epiſco-
pus *Mileuitanus*, (43) *Ambroſius Mediolanenſis*,
ex *Prouinciae Praeſide* maximo *VALENTINIA-*
NI tripudio in Epiſcopum electus, ſummae in
Eccleſia auctoritatis, (44) quique *THEODOSIVM*
Auguſtum, ob immoderatam *Theſſalonicae* per-
miſſam caedem excommunicationis fulmine ferire
haud fuit veritus; (45) *Ephrem* abbas *Syrus*,
(46) *Maximus Hieroſolymitanus*, (47) *Phoebadius*
390. *Agenni in Gallia*; (48) *Didymus Alexandrinus*,
qui ſumma cum laude ſcholam *Alexandrinam* gu-
bernauit, quamquam a puero viſu priuatus, (49)
Theophilus Alexandrinus, (50) *Pacianus* Epiſco-
400. pus, et *Vigilantius Preſbyter Barcinonenſis*, (51)
et alii. (52) Ad finem quoque huius Saeculi
Hieronymus Stridonenſis, et *Aurelius Auguſtinus*
Hipponenſis in Africa Epiſcopus referendi ſunt,
qui ſequenti praeterea ex ceteris claruerunt. (53)
Denique *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* condiderunt
Euſebius Pamphili, quem ex amicis maxime ve-
neraba-

berabatur, (54) *Epiphanius Cyprius*, (55) *et Ruffinus*, *Hieronymo* inimicus, Preſbyter *Aquilegienſis*; (56) Philaſtrius item, haereſium ſcriptor; (57) *Iuuencus* denique, (58) et *Aurel. Prudentius* Poëtae. (59)

(1) *Ancyrae* in *Galatia* conuenere, et Synodi decretis ſubſcripſere Epiſcopi 18. ordinantes, quid circa lapſos in fide recipiendos, et diſciplinam Eccleſiaſticam neceſſarium fuit. Canones ſcripti 24. extant apud *Oſiandrum*.

(2) Canone I. Vid. *Baron*. A. 314 n. 90 ſeq. Synodus haec et alia in diſciplina Eccleſiaſtica decernit; Patres 17. illi interfuerunt, qui 14. Canones ediderunt,

(3) Referendae huc Synodi *Arelatenſis I.* ob *Donatiſtarum* ſchiſma pro *Caeciliano*, et II. ſub *Conſtantio* Imp. habitae.

(4) Coepit *Nicenum* Concilium d. 13. Calend Iunii, conuenientibus 318. Epiſcopis, orſuſque illud fuit poſt *Euſtathii Antiocheni* Epiſcopi ſermonem praeliminarem ad Imp. habitum, ipſe *Conſtantinus* Imp. graui Oratione ad Epiſcopos, qua eos ad ſinceram fidei profeſſionem et mutuam concordiam hortabatur. Hinc longum ſatis tempus mutuis altercationibus protractum, *Euſebio Nicomedienſi* et adſeclis pro *Ario*, orthodoxis vero pro orthodoxia pugnantibus. Praecipua lis de voce ὁμοουσίου erat, quam orthodoxi adhibendam, *Ariani* tanquam ἄγραφον reiiciendam tradebant. Tandem vero eadem recepta, et decreto inſerta, cui tamen quinque ex praeſentibus Epiſcopis ſubſcribere renuebant. *Arius* vero cum ſociis in exilium abire coactus fuit. Vide *Camerarii* hiſtor. Conc. Nic. *Launoius* de Can. 6. eius. *Rumetſchii* collatio Conc Nic. et Syn. Trid. *Io. Guil. Baieri* autoritas Conc. Nic. contra Zuickerum et Sandium defenſa Ien. 1695. *Ioach. Iuſt. Rau* hiſtoria vetus et recentius vocis eccleſiaſticae ὁμοούσιος adiecta eius diatribae de philoſophia Lanctantii, p. 155. *Aug. Guil. Erneſti* diſp. qua Hoſium concilio Nicaeno non praeſediſſe oſtenditur Lipſ. 1758.

(5) Quidam in Synodo Patres lege cautum volebant, vtne Epiſcopi, preſbyteri, Diaconi et hypodiaconi cum vxoribus, quas, antequam conſecrarentur, duxerant, dormirent. Sed contradixit *Paphuntius*, nuptias cum Apoſtolo vocans honorabiles, et concubitum cum vxore propria caſtitatem eſſe dicens. Perſuaſit itaque Patribus, ne intolerabilem illam legem ſancirent.

(6) Quia nemo tum Spiritus Sancti perſonalitatem impugnabat, vſque ſub *Theodoſio M.* in Concilio *Conſtantinopolitano* contra *Macedonii* haereſin reliqua adiicerentur. Auctor autem huius Symboli fuiſſe creditur *Euſebius Pamphili*, qua initium, *Hoſius* cum reliquis patribus qua complementum.

(7) Quoniam tamen *Euſebius Nicomedienſis* condemnationi *Arii* ſubſcribere recuſabat, ipſe quoque in exilium fuit deportatus, ſed poſt reuocatus, multas in Eccleſia turbas dedit.

(8) Neceſſariis omnibus expeditis, Imperator Patres Regali conuiuio exceptos, et ampliſſimis muneribus donatos dimiſit.

(9) *Tyri* in Synodo *Athanaſius* accuſabatur, ab *Euſebianis*, quaſi *Iſchyram* Epiſcopum horribiliter pulſaſſet, *Arſenium* Diaconum interfeciſſet, et brachio eius magice abuteretur, denique muliërculam per vim impraegnaſſet. At de *Iſchyra* mendacium pellebatur, *Arſenius* viuus et integer monſtrabatur, muliercula *Athanaſii* Diaconum pro ipſo accuſabat. Illa itaque Synodo, cauſa *Athanaſii* vicit; ſed quod vlterius ab hoſtibus deterretur, quaſi frumenti ex Agypto tranſportationem *Conſtantinopolin* impedire vellet, *Treniria* miſſus a *Conſtantino* fuit in exilium inſons *Athanaſius*.

(10) *Euſtathius Antiochenus* parem cum *Athanaſio* perſecutionem ab *Arianis* tolerauit, in *Illyriam* exul miſſus, idque tertia vice, vſque tandem etiam exul diem obiit ſupremum defenſor verae fidei maxime ſtrenuus.

(11) Conf. *Ottium* Cent. IV. Exam. Baron. it. Pabſtthron l. I. 6. n. 14.

(12) Praeſentes huic Conc. fuere Epiſcopi 19. Preſbyteri 36. et aliquot Diaconi, canonesque 81. conſcripti, quos inter 36 Can. voluit, picturas non debere eſſe in Eccleſia, vnde *Baronius* Conc. hoc in multis habet pro irrito. Conf. Em. a *Schelſtrat.* in Diſſ. Apolog. de diſcipl. arcani. Tempus huius Concilii inquirit *Card. de Aguirre* in Collectione maxima Conc. omnium Hiſp. et noui orbis, ſtatuitque, illud *Niceno* fuiſſe antiquius.

(13) De Synodis *Arelatenſibus* ſupra n. 3.

(14) Canones harum Synodorum referunt *Centuriatores Magd.* et *Oſiander*, in quibus tamen dubia fide multa finguntur.

(15) In Synodo *Antiochena*, quam propter encaenia Imp. *Conſtantius* conuocauerat, *Athanaſio* abrogato *Gregorius* ſufficitur. Quatuor hic fidei formulae ab *Arianis* clandeſtinis cuſae, vt hac vel illa ſuam palliarent vafritiem. Vid. de hoc Conc. quod ad A. 344. reiicit, *Eman. a Schelſtrat.* D. Antuerp. in ſacro Antiocheno Concilio.

(16) In *Romana* Synodo *Athanaſius* comparuerat, *Euſebiani* contra ſub praetextu encaeniorum *Antiochenorum* ſubterfugerant.

(17) Sy-

(17) Synodo *Sardicenſi* initio 370. Epiſcopi interfuiſſe feruntur: cum autem *Ariani* audirent, militari vi Synodum habendam, et *Athanaſium* praeſentem eſſe, clam aufugerunt, orthodoxi vero, abſoluto *Athanaſio* et ſociis, Arianos condemnarunt, atque Canones 21. ſanxerunt, quibus 121. Epiſcopi ſubſcripſerunt.

(18) *Philippopoli* in *Thracia* qui conuenerant Epiſcopi *Ariani* vt fucum orbi facerent, *Sardicenſe* ſuum quoque Concilium vocitabant, ὁμοουσίου vocem abrogabant, et ἀνομοίου dogma confirmabant, orthodoxoſque Epiſcopos, prae ceteris *Iulium Romanum*, *Athanaſium* et reliquos condemnabant.

(19) Quod *Ariani* hic praecipuas partes obtinerent. Vid. *Dorſches* collatio ad Conc. Sirmienſe ſub Conſtantio Imp. habitum, Argent. 1650.

(20) Vtut non adeo multi ex Oriente Epiſcopi adeſſent, interfuerunt tamen trecentis plures ex Occidente: Ipſe vero Imperator contra *Athanaſium* actor, metu vel fraude complures, etiam ex Occidentalibus, adegit, vt condemnationi *Athanaſii* ſubſcriberent; qui vero contradicebant, ipſe etiam *Liberius Romanus*, in exilium pellebantur. De ipſo hoc *Mediol. Conc.* prolixus eſt *Steph. Baluſius* in noua Coll. Concil. refert. ad A. 355. An autem *Liberius Ariana* haereſi infectus fuerit, contra *Bellarminum* ex Launoio inquirit *Reuſer* in Anti Bellarmino p. 292. ſeq.

(21) Imp. *Conſtantius* vno eodemque tempore pro *Occidentalibus* Epiſcopis *Ariminum*, pro *Orientalibus* vero *Seleuciam* indixerat Synodum. In illa praeſentes *Ariani* nouam fidei formulam condiderunt, οὐσίας voce, quod in ſacris non extaret, eliminata; et quamquam orthodoxi *Arianos* condemnarent, *Valens* tamen et *Vrſatius*, Arianorum primipili Imperatoris animum contra orthodoxos maxime mouerunt: illique *Nicaeam Thraciae* vrbem ſe contulerunt, eumque fidei formulam ſub nomine fidei Nicenae, ad fucum faciendum ſimplicioribus, promulgarunt; hinc orthodoxi Arimini congregati minis et precibus ad ſubſcribendum eidem coacti fuerunt. De *Synodo* hac *Arimin.* Conf. *Steph. Baluzius* in noua collectione Conciliorum.

(22) In *Seleucienſi* Synodo Acaciani, qui cum *Acacio* faciebant, *Nicenae* fidei decretum abrogabant, nouumque ſubſtituebant. Reliqui autem illam retinebant, ſola voce ὁμοούσιος et ὁμοιούσιος reiecta, et ἀνόμοιος damnata; ſicut et ab his *Acacius* cum adſeclis depoſitus, in *Conſtantinopolitana* tamen Synodo Imperatoris iuſſu reſtitutus, orthodoxi alii depoſiti, et *Seleucienſis*, formula vbique promulgata fuit. Adde eund. *Baluſium* l. c.

(23) A. 362. Athanaſius in Synodo *Alexandrina* Epiſcopos, qui poſt poenitentiam actam ab Arianis ad orthodoxos redirent recipiendos, et priſtinae dignitati reſtituendos ſtatuit, *Macedonii* et *Apollinaris* haereſin reiecit, οὐσίας et ὑποστάσεως voces non niſi contra *Sabellium* adhiberi voluit.

(24) A. 363. *Athanaſius Alexandriam* redux noua Synodo de orthodoxia Imp. *Iouianum* inſtruit, fidemque *Nicaenam* confirmat. *Antiochiae* orthodoxi pariter et *Acaciani* pro genuinis habiti, *Nicaenam* fidem itidem ſubſcripſerunt. A. 365. *Lampſacena* Synodus repudiata *Ariminenſi* formula *Antiochenam* et Seleuciensem recepit, *Acacium* et adſeclas damnauit. *Lygii* Synodus eod. Anno, filium Patri ὁμοούσιον decreuit. *Laodicena* circa diſciplinam Eccleſiaſticam nonnulla conſtituit. Vide *Gundling*. in canon. Graecis Conc. Laodic. Romanaeque tres *Damaſo* Pontifice *Arianos* impugnarunt. Conf. *Kortb*. H. E. ſec. IV c. 4.

(25) In Conc. *Conſtantinop.* poſtquam *Gregorius Nazianzenus* ſponte ſe abdicaſſet, *Nectarius Conſtantinopoleos* factus Epiſcopus, depoſito *Maximo Apollinariſta*. Patriarchae in eodem Concilio confirmati, et *Conſtantinopolitano* cum ceteris ſui diſtrictus ordinati fuerunt. Conf. Pabſtthron. p. 30. ſeq., *M. Guil. Pauli Verpoorten* hiſtoria concilii oecumen. II. conſtantinopol. Lipſ. 1744.

(26) *Aquilegienſis* Synodus de *Palladio et Secundiano*, vtrum *Arianis* accenſendi ſint, cognouit. Nec minus *Conſtantinopoli et Romae* de ſupprimendis haereſibus deliberatum. *Priſcillianorum* cauſa *Caeſaraugustae et Burdegalae*, it. *Treuir*. in Germania, conuentus habiti; *Mediolanenſis* denique damnationem *Iouiniani* a *Siricio* factam confirmauit. Vid. *Cent. Magd.* Cent. IV, 9. et *Gualterii* Chron. Eccleſ. T. II. pag. 147. ſq. Inprimis huius Saeculi Synodis *Gangrenſis* in *Paphlagonia* circa medium Saeculi adnumeranda, contra errores *Euſtathii Sebaſteni* circa coelibatum, diſcrimen ciborum et veſtium, templa et alia, praeſentibus XII. Epiſcopis, editis certis canonibus, quorum autoritas *B. Luthero* maxima fuit viſa, qui tamen doctrinae et praxi Eccleſiae Rom. modernae e diametro ſunt oppoſiti. Vid. *D. Sam. Schelguig.* exerc. de Concil. Gangrenſi, Gedan. 1690.

(27) Non parentes, qui ignoti, ſed ingenium acre, virtus probatiſſima, et in fide conſtantia inuincibilis magnum ipſi nomen pepererunt. De naeuis eius, qui in ſcriptis plurimum ſuppoſititiis occurrunt, reliquisque eius ſcriptis. Vid. *Cocus, Riuetus, Ottius, Gerhardus, Bebelius et alii.* Quater vel quinquies Alexandria pulſus, imo ad necem quaeſitus, ſub diuino praeſidio ſaluus delituit. Laudes eius *Gregorius Nazianzenus* in Oratione, vitam autem *Io. Aretinus, Centuriatores Magdeburgenſes, Voſſius, Oſiander, Meelfuhrer, Gerhardus et alii* deſcripſere. De

Symbo-

Digitized by Google

Symbolo, quod ab *Athanaſii* nomine *Athanaſianum* dicitur, conſtat, vix ipſum *Athanaſium*, ſed vel *Euſebium Vercellenſem*, vel *Anaſtaſium Sinaitam*, vel *Vigilium Tapſenſem*, ex ſcriptis *Athanaſii*, vel quod *Ioſ. Antelmius* vult, *Vincentium Lirinenſem* collectorem eius fuiſſe, *fidemque Athanaſii* breui ſumma complecti. Receptum in Eccleſia fuit vel in *Conc. Toletano* IV. Saec VII. vel in *Auguſtodunenſi*, aut alias, quod haud ſatis conſtat. Conf. *Tenzelii* iudicia exterorum de hoc Symb. *Io. G. Walchii* introd. in Ll.. SS. p. 145. *Io. Andr. Schmidii* diſp. de Athanaſio puero baptizante Helmſt. 1701. *Iuſti Fontanini* diſſ. de anno emortuali S. Athanaſii Rom. 1743. *Godofr. Hermantii* vita gallico ſermone Pariſ. 1679. Voll. II edita.

(28) Epiſcopus hic varias item fortunae ſenſit vices, modo ſede ſua pulſus, modo receptus, quod ab Arianorum partibus non ſtaret, quamquam neque ὁμοούσιος vocem admitteret, hinc a nonnullis inter crypto-Arianos refertur.

(29) Hic forſan rectius in ſequens Saeculum reiicitur, tanquam qui ſub Theodoſio iuniore inclaruit, non Preſbyter tantum, vt communiter vocatur, ſed et Epiſcopus. Naeuos eius et ſcripta exhibent *Gerh. Meelfuhr. et alii.*

(30) Fuit hic Epiſcopus vxoratus, teſte *Miſlero* in Spec. Anti-Ieſ. et fidei cauſa multa pertulit. Scripta eius naeuoſque exponunt *Bebel. Gerh. Meelfuhr. et alii.*

(31) Fuit *Serapion* Epiſcopus *Antiochenus*, quamquam forſan tempore prior. Alius hoc Saeculo eiuſdem nominis Monachus, vel Epiſcopus *Thmuis* inclaruit in Aegypto, qui ſibi addictis, vt labore victum pararent, et aliis ſuppeditarent, iniunxit.

(32) Caſtitate et continentiae dono inſignis, in perſecutione *Maximiana* ipſe, ſuperioris Thebaidis Epiſcopus, ob Euangelii confeſſionem, dextrum amiſit per effoſſionem oculum, et in poplite cauterio adusto fuit debilitatus, atque ad metalla damnatus, quae tamen vulnera ipſius poſt a *Conſtantino M.* oſculis fuere excepta. In *Niceno Concilio* Patres monuit, ne ſacerdotibus coniugatis vxorum vſum interdicerent. *Arianorum* hoſtis; *Athanaſii* vero defenſor fuit acerrimus.

(33) Initio agricola, ex ouium paſtore animarum conſtitutus, *Arianos* quoque maſcule impugnauit.

(34) Rhetor *Romanus* ſtatuam in foro meruit, et Conſulari dignitate inclaruit: poſt Chriſtianus factus, in *Arianos* ſtrinxit calamum; magis tamen Rhetoricae, quam Theologiae intentus. Conf. de eodem iudicia Theologorum *apud Gerb. Meelf. et alios.*

(35) Ab aliis in ſuperius Saeculum reiicitur, et Synopſis, quam de vita Prophetarum et Apoſtolorum Chriſti conſcripſiſſe fertur, pro genuino ſcripto ab omnibus haud recipitur. Fuit preſbyter.

(36) Sol hic Patrum huius Saeculi *Nazianzo* obſcuro oppidulo, parentibus non adeo celebribus, patre *Gregorio*, matre *Nonna*, a DEO precibus impetratus, poſt iacta literarum fundamenta, *Alexandriae Athanaſium* admiratus, poſt *Athenis* cum *Baſilio* intimam fouit amicitiam: inde iuſſu Patris preſbyterium recepit, ſed breui poſt depoſuit, ad *Baſilium* reuerſus, cum quo *Arianos* ſtrenue impugnauit, vſque tandem a patre, quem ab *Arianiſmo* in viam reduxerat, reuocatus, *Soſimorum* Epiſcopus factus eſt, ſed propter turbas, quibus illic a ſtudiis abſtrahebatur, breui *deſeruit*, patriſque precibus conceſſit, vt partem laboris in Epiſcopatu *Nazianzeno* in ſe ſuſciperet, quamquam poſt parentis obitum et illum depoſuit. Hinc *Conſtantinopol.* magno cum adplauſu docens, Epiſcopus illius Eccleſiae conſtitutus, ſed a *Maximo* quodam, in quem plauſtra beneficiorum contulerat, Epiſcopatu denuo depulſus, ab Imp. *Theodoſio* reſtitutus, ab inimicis iterum deſtitutus, priuatus, depoſito Epiſcopatu, in agello patrio conſenuit, *Theologi* nomen adeptus. Inter eius ſcripta multa, quae ab alio auctore ſunt, referuntur. Naeuis ſuis haud fuit deſtitutus. Vid. *Meelf. Gerb. Oſiand. Cent. Magd.* vita eius quoque exhibetur, a *Godefr. Henſchenio et Dan. Papelwel.* Soc. Ieſu in actis Sanctorum menſ Maio.

(37) Aliis hic *Oſius* dicitur, veritatis confeſſor celeberrimus, in *Diocletiana* perſecutione multa ſtigmata acceperat; contra *Arium* et ſocios initio militauit fortiſſime, ſtrenuus *Athanaſii* paraſtata, quamquam tandem in eo lapſus, quod in Synodo *Sirmienſi*, per plagas et tormenta coactus, *Athanaſii* damnationi ſubſcripſerit; nihilo tamen *Arianis* poſt mitior, grauiſſimus Pater eos ad mortem vſque impugnauit et damnauit.

(38) Pater *Baſilius*, *Nyſſenus* Epiſcopus, peculiare hoc prae multis aliis, tres ſcilicet filios, magna Eccleſiae lumina, et ſingulos Epiſcopos, *Baſilium Caeſareae*, *Petrum Sebaſtae*, *Gregorium Nyſſae* habuit. Ipſe filius *Baſilius* poſt abſolutum *Caeſareae et Conſtantinopoli* ſtudiorum ſtadium *Athenis* cum *Nazianzeno* amicitiam firmiſſimam et nunquam interruptam ſtabiliuit. *Euſebio* in Epiſcopatu *Caeſareenſi* ſucceſſit, magnus contra *Arianorum* furores orthodoxias defenſor. Obiit tandem ſub *Gratiano*, vel paulo poſt, ab animi et zeli magnitudine merito *Magnus* dictus. De eius ſcriptis naeuiſue conf. *Gerh. Dilherr.* p. I. diſſ Philol. *Coc. Rin. et alii*

(39) Hic vſque ad *Coc. Conſtantinopolitanum* ſuperſtes, eius Symbolum condidit: de ſcriptis vero eius, ac quibuſdam, quibus implicitus fuit, erroribus conf. Auctores ſupra citatos.

(40) Grauem inimicum paſſus *Acacium Conſtantinopolitanum*, inde multoties exilia ſuſtinuit, calumniiſque proſciſſus fuit, in Conſtantinopolitana autem Synodo veram fidem fortiter defendit. Scripta et naeui recenſentur a *Meelf. Gerb. Coco, Rineto et aliis.*

(41) Vl-

(41) *Vlphila* initio fidem ſinceram contra *Arianos* ſtrenue propugnauit, magnam *Gothorum* partem Chriſti cognitione imbuens, literaſque *Gothicas* inuenit; poſt vero *Conſtantinopoli* ab *Eudoxio* ſenſim in Arianiſmum protractus, gentem quoque ſuam de ſuo Epiſcopo ſiniſtri quicquam haud ſuſpicantem, eodem errore imbuit, v. *M. Georg. Frid. Heupelii* diſſ. de Vlphila, ſeu verſione IV. euangeliſtarum Gothica Witt. 1693

(42) Floruit hic Doctor Eccleſiae aureus, ſub finem huius Saeculi, et initium ſequentis: Iuris ſe initio ſtudio mancipauerat, at poſtea taedio forenſis ſtrepitus, Theologiae animum adplicuit, initio Diaconus, poſt preſbyter *Antiochenus*, *Nectario* defuncto, in Epiſcopatu *Conſtantinopolitano Arcadii* iuſſu, et communibus ſuffragiis electus, ſucceſſit. *Chryſoſtomi* nomen non ex oſculo *Mariae* imagini dato, vt fingunt, ſed ex aureo eloquentiae flumine, ex ore eius copioſe profluente accepit. Animo erat imperterrito, proin *Eudoxiae* Imperatricis aliorumque aulicorum vitia maſcule perſtrinxit, quo ipſo tamen illorum odia in ſe concitauit, quae non prius, quam bis in exilium eiiceretur, conſederunt: in quo exilio demum vita functus Doctor Eccleſiae ſcriptis et voce incomparabilis. Vitam illius ſcripſit *Palladius* cum aliis. Scripta *Chryſoſtomi*, quibus *Graece* excudendis *Savilius in Anglia* 25000. roſas nobiles impendit, et quae poſt *Pariſienſem* editionem nuperrime *Francofurti* denuo prodierunt, ſuas quandoque maculas habent, de quibus videſis Auctores multoties citatos; it. *El. du Pin.* Tom. III. Bibl. Eccleſ. etc. *Meieri* Chyſoſtomum Lutheranum Witt. 1686. *Chriſt. Guil. Vollandi* vindiciae Chryſoſtomi contra Io. Harduinum Lipſ. 1714. Einſd. diſſ. de Elogio Chryſoſtomi Witt. 1710. ei. renouata diuini Chryſoſtomi vita ib. 1709. ei diſſ. de optimis operum Chryſoſtomi editionibus, ib. 1711. ei. diſſ. de veteribus ac fide dignis vitae Chryſoſtomi ſcriptoribus, ib. eod. ei. diſſ. de ſcriptis Chryſoſtomi, ib. eod. *Godofr. Hermantii* vie de St. Iean Chryſoſtome Lugduni 1683. II Vol.

(43) Scripſit 6. vel ſecundum alios 7. libros contra *Parmenianum Donatiſtam*, immodice corruptos. Vide *Meelfubr.* p. 80. adde *El. du Pin.* Biblioth. Aut. Eccleſ. T. II.

(44) Huius in cunis dormientis os apes circumuolitabant, ſi vera refert *Paulinus*, in futurum eloquentiae praeſagium. *Romae* bonis literis innutritus, cauſas publicas egit feliciter, inde maioribus officiis ſaeculi admotus fuit. Poſt mortem *Auxentii Mediolanenſis* Epiſcopi Ariani, cum inter orthodoxos et Arianos factioſa eſſent conſilia, circa noui Epiſcopi electionem, ad ſeditionem ſpectantia, praeſes *Ambroſius* ſua praeſentia et dulci oratione ad quietem non modo permouit, ſed et cunctis adeo placuit, vt vno ore eum Epiſcopum proclamarent, qui quamquam manibus pedibuſque reluctaretur, elabi tamen haud potuit, quin conſenſu Imp. ipſe nondum initiatus Epiſcopus fuerit conſtitutus. Conf. *Socr. Sozom. Theodoret.* Vitam illius exhibuit

hibuit *Paulinus*, non quidem *Nolanus*, ſed ab eo diuerſus. Item *Hermannus* lingua *Gallica*. Vxor ipſi *Marcella* a nonnullis adſignatur. Scripta genuina pariter et ſuppoſititia recenſentur a *Bellarmino*, *Sixto Sen. Coc. Riueto*, *Gerb. et aliis*; naeuos vero adlegarunt *Riuetus*, *Meelfuhrer etc.* Opera nouiſſime edita ſunt Pariſ. 1686.

(45) Vtrum laudandus propterea ſit *Ambroſius* an culpandus, videſis apud *Blondell.* de formulae, regnante Chriſto, vſu; it. *Rechenberg.* Diſſ. pecul. de Theodoſio M. Imp. excommunicato Lipſ. 1683 *Paullini* zeitkürzende Luſt. T. I. pag. 632. ſeq. *Reuſer.* in Anti-Bellarm. p. 408. ſeq.

(46) In eremo adolevit, vitae eremiticae praecipuus cultor, vſque Eccleſiae *Edeſſenae* Diaconus, poſt preſbyter conſtitueretur, tantae aeſtimationis, vt ſcripta eius publice in Eccleſia legerentur. Conf. *Maſii* praefat. in Bar-Cephae Comment. de Paradyſo p. 7. adde *Cl. Tenzelii* ſelectas exercitationes, exerc. VII.

(47) Hic ſub *Maximiniano* confeſſor, *Macario* in *Epiſcopatu Conſtantinopolitano* ſucceſſit. In Synodo *Tyrenſi* Arianis in damnando *Athanaſio* mox conſenſiſſet, ni *Hoſius* eum manu prehenſum et conciliabulo eductum, meliora edocuiſſet. Hinc *Arianorum* in ſe odium concitans, eccleſia ſua pulſus eſt. Mortuus tamen *Hieroſolymis* legitur.

(48) De quo vide *Sulpit. Seu.* l. II. *Gerb.* in Patrol. p. 239. Eius librum contra *Arianos* edidit *Caſp. Barthius.*

(49) In hoc diuina bonitas naturae vitium feliciſſime reſarciit, quippe literarum characteres tabulis inſculptas, ſyllabas item et nomina, poſt crebram repetitionem, digitis immiſſis obſervare et pronunciare poterat, nec minus *Dialecticam et Geometriam* oculos depoſcentes artes, *Hieronymo* teſte, exacte didicit, *Origeni* tamen nimium adhaeſit. Vid. *Meelfuhreri Cor. C. Patr.*, *Gerb.* et al. Conf. et *Spizel.* liter. feliciſſ. p. 250 ſeq.

(50) Idolorum templa euertit, odii autem in *Chryſoſtomum* tenaciſſimus extitit, aliiſque vitiis, ſi *Socrati* fidem habemus, ſcatuit. De eius ſcriptis Vid. Auctores *citati*; de contentione cum Monachis *Anthropomorphitis*, *Kortholdt* Hiſt. Eccleſ. p. 115. ſeq.

(51) Quod hic recte doceret, ſanctos non eſſe inuocandos, nec paupertatem vltra nimium efferret, inter haereticos a quibuſdam male numeratur, et *dormitantius* appellatur. Conf. *Sagittar.* de natalit. Martyr. et *C. W. Franc. Walchii* diſſ. de Vigilantio haeretico orthodoxo, Goting. 1756.

(52) Scilicet Patribus et Doctoribus huius Saeculi accenſeri poſſunt *Alexander Alexandrinus* Epiſcopus qui primus *Arii* errores detexit: *Amphilochius*, Epiſcopus *Iconienſis*, *Baſilii* M. vitam condidit, cuius tamen ſcripta deſiderantur, vel falſa deprehen-

prehenduntur. *Caeſarius Arelatenſis*, *Greg. Naziauz.* frater, cui multa, *Auguſtiuo* vulgo tibuta, adiudicanda ſunt. *Chromatius* Epiſcopus *Aquilegienſis*, cuius ſcripta vide expenſa apud *Bellarminum*, *Sixt. Seneuſ. Riuetum*, *Cocum*, *Gerbardum*, vid. Saec. ſeq. n. 46. *Hilarion* monachus, quem vitae aſperitate et miraculorum vbertate clarum praedicant ſcriptores. *Idacius Clarus* Epiſcopus Hiſpanus, quem alii in ſequens Saeculum reiiciunt. *Macarius Hieroſolymitanus* Epiſcopus, grauis *Arianorum* oppugnator, ſub quo *Helenam* *Conſtautini M.* matrem crucem Chriſti *Hieroſolymis* inueniſſe, ſunt, qui tradunt, et qui contra vocant in dubium. *Martinus Turonienſis* Epiſcopus, *Hilarii Pictanienſis* diſcipulus, cuius vitam *Seuerus Sulpitius* non ſine fabuloſae fidei ſuſpicione, prolixe deſcripſit, inter ſanctos poſtmodum relatus. *Pamphilus* martyr, quem *Euſebius* hiſtoricus amicum prae ceteris dilexit.

(53) De quibus ad ſequens Saeculum plura dicentur.

(54) Relictis libris X. Hiſt Eccleſ. et IV. de vita et geſtis *Conſtautini M.* item Chronico, a *M. C.* vſque ad vicennalia *Conſtantini*, praecipue autem libris de praeparatione Euangelica XV. et X. de demonſtratione Euangelica, pro veritate Chriſtianae religionis contra Iudaeos et gentiles. *Caeſareenſis* fuit Epiſcopus, et cum *Arianis* initio ſtetit, poſt Concilium vero *Niceuum* orthodoxum ſe profeſſus eſt. Vitam eius exhibuit *Mart. Hankius* de Byzant. rerum ſcriptoribus Graecis. Conf. et *Gerbardum Meelſuhr. Io. Chph. Erneſti* diſp. de Euſebio Pamphili epiſcopo Caeſarienſi Witt. 1683. et alios.

(55) Epiſcopus *Salaminae* fuit, auctor operis contra haereſes, quod *Panarium* inſcripſit, aliorumue. Vid. *Dion. Petau.* et alii.

(56) Fuit *Ruffinus* initio *Hieronymo* amicus familiariſſimus, ſed poſtmodum vterque inter ſe amicitiam nunquam redintegratam diſſoluerunt; (Vid. *Spizel.* lit. feliciſſ p. 247.) Pontificiis minus acceptus eſt, quod canonem Concilii *Niceni* ex eorum mente, et pro Papae dignitate haud interpretetur. Continuator fuit hiſtoriae *Euſebianae* duobus libris, illamque in Latinum Sermonem tranſtulit; alia item ſcipta reliquit, de quibus auctores multoties memorati vberius.

(57) *Brixienſis* in *Italia* fuit Epiſcopus, libro de haereſibus notus, qui tamen inter haereſes multa numeranit, quae vere tales haud ſunt. Adde his *Philoſtorgium*, Epitomen Hiſtoriae Eccleſiaſticae concinnantem.

(58) Preſbyter Hiſp. hiſtoriam Euangelicam libris IV. carminum complexus eſt, pene ad verbum.

(59) Itidem *Hiſpanus*, de cuius ſcriptis videri poteſt *Gerbardus* p. 337. ſeq. Poëmata huius a variis, vt *Fabritio*, *Weizio*, *Buchnero* et aliis edita fuere.

§. 4. *Iudaeorum* ſuperſtitioni initio variae ab *Imperatoribus* leges oppoſitae; (1) *IVLIANVS* vero, vt aegre faceret Chriſtianis, Templum *Hieroſolymitanum* illis reſtituendi fecit copiam, ſed obſtitit DEVS, ne fieret, grauiterque hunc conatum vltus eſt, dum coelitus fulminibus et terrae motu opus turbauit. (2) Vixerunt inter eos hac aetate R*abbi Hillel*, *Calendarii* Iudaici ſeu *Emboliſmorum* auctor, (3) qui morti vicinus *ſacrum baptiſma* ſuſcepiſſe dicitur; (4) et R. A*ſe*, Rector *Soranus*, qui *Talmud* ordine congerere coepit. (5)

Gentilium Scriptorum praecipui, et qui hoc Saeculum profanis Scriptis illuſtrarunt, fuerunt
320. *Nazar us* *CONSTANTINI* Imp. Panegyriſta,
Eumenius Rhetor, de ſcholis inſtaurandis ſcri-
360. pſit; A*mmianus Marcellinus Comes*, Hiſtoricus,
Libanius Orator, *Flauius Vegetius* R*enatus*, *Comes*
370. *Conſtantinopolitanus*, opere de *re militari* clarus;
Mamertinus, aliquot Imperatorum Panegy-
380. riſtes, *Symmachus*, vrbis praefectus, *Sextus Aure-*
390. *lius Victor* Hiſtoricus; *Marcellus Medicus*, *Iulius Firmicus* A*ſtrologus*, *Themiſtius Philoſophus* Peripateticus, ab eloquio *Euphrades* dictus, *Chalcidius Platonis* interpres, *Claudianus* denique Poeta. (6)

(1) E. g. vt coetum Chriſticolarum turbantes crementur, immunitates eorum derogentur, polygamia ipſis prohiberetur, honores abrogarentur, et quae aliae plures in Codice exſtant.

(2) Vid *Socrat. Sozom. Ammian. Marcell.* l. 23. *I. G. Lotteri* diſſ. de hiſtoria inſtaurationis templi Hieroſolymitani ſub Iuliano tentatae Lipſ. 1728. *D. Nicol. Nonne* diſſ. de tentata hactenus fruſtra a Iudaeis ſtatus cultuſque ſui reſtitutione, Brem. 1748.

1748. *A. H. Lackmann* diſſ. de auctoritate Chryſoſtomi teſtis de tentata et impedita templi Hieroſolymitani inſtauratione Kilon. 1749. *I. G. Michaelis* diſſ. de templi Hieroſolymitani Iuliani Imp. mandato per Iudaeos fruſtra tentata reſtauratione, Hal. 1751. *Wilh. Warburton*, crit. Abhandl. von dem Erdbeben und Feuerflammen, wodurch des Kayſers Julians verſuchter Tempelbau zu Jeruſalem iſt hintertrieben worden Gotha 1755.

(3) Vide de Calendario Iudaeorum diſſert. *Aeg. Strauchii* de Computo Thalmudico Rabbinico.

(4) Si *Epiphanio* fides adhibenda, *Hillel* cognomento *Hanaſi* morti proximus iuſſit Epiſcopum vrbis *Tiberiorum* vicinum ad ſe venire, et accepit ab ipſo lauacrum in exceſſu per medicae curae praetextum. Cum hoc *Hillel* deſiit mos, Rabbinos impoſitione manuum ordinandi.

(5) Vid. *Hotting.* H. E. c. IV. Sect. III. p. 195. ſeq.

(6) Quibus adiungi poſſunt alii adhuc hoc Saeculo celebres ſcriptores: vt *Iulianus* Imp literis quoque nominis celebritatem aucupans, *Iamblichus* de vita *Pythagorae*, *Eunapius* hiſtoriae Philoſophicae cumprimis intentus, *Palladius* Rhetor, *Theon et Pappus Alexandrini* Mathematici, *Porphyrius*, *Conſtantini M.* Panegyriſtes, *Alphius Avitus*, *Septimius Afer*, *Rufus Feſtus Avienus* Poëtae.

SAECVLVM V.

§. I.

QVia in Imperio Romano ceſſabant grauiores perſecutiones, multae ex barbaris nationibus Chriſto vel nouiter nomen dederunt hoc *Saeculo*, vel ad eum ex auiis redierunt, quas inter *Hunni* ſeu *Auares* Chriſtianorum manſuetudine 402. deliniti, et humanioris vitae conſuetudine variiſque miraculis permoti, in CHRISTI caſtra tranſierunt, (1) *Perſae* quoque ad eundem reducti 412. per *Maruth† Meſopotamiae*, et *Ablatem Perſidis* Epiſcopos; (2) ita *Vindelici*, *Pannonii*, *Norici*, 420. *Rhaetii* aliique proximi populi per *Seuerinum* ad orthodoxam fidem vocati; *Hyberni* per *Patricium* 432. *Scoto-*

490. *Scotorum Archi-Ep.* conuerſi: (3) Quin et *Saraceni Alamundaro* Principe Chriſti ouili adſcripti; 499. et *Francorum* denique Rex *Clodouaeus*, qui ſua cum gente a *Chriſtianiſmo* vſque huc fuerat alienus, per *Crotildem* ſiue *Clotildem Burgundam*, coniugem ſuam, ad eum recipiendum ſaepenumero admonitus, tandem in arduo cum *Alemannis* praelio, ſe *Chriſtianum*, ſi victor euaderet, vouit futurum, cuius voti damnas in verae fidei capitibus inſtitutus, et a *Rhemorum* Epiſcopo *Rhemigio* baptiſmo fuit perfuſus. Sequebatur Regem grex *Francorum*, derelinquere Deos mortales, et immortalem quaerere paratus. (4)

(1) Multum hanc conuerſionem promouente *Io. Chryſoſtomo*, Patriarcha Conſtantinopolitano.

(2) Occaſione tutelae ab *Arcadio* Imp. *Iſdegerdi* R. *Perſarum* oblatae.

(3) Cum *Palladius* opus conuertendae *Hiberniae* morte immatura praeuentus, abſoluere non poſſet, *Patricius* a Pont. *Coeleſtino* eo miſſus, id perfecit.

(4) Prolixe hanc conuerſionis *Clodouaeanae* hiſtoriam recenſent *Gregorius Turon.* Hiſt. l. II. 29. ſeq. *Hincmarus in vita Rhemigii*, *Sigebertus et alii*. Vide et *Cent. Magdeb.* V. 2. Theatrum conuerſ. gent. *Chriſt. Guil. Franc. Walchii* diſſ. de Chlodouaeo M. ex rationibus politicis chriſtiano, Ien. 1751. et alios. Interim licet diu ante Chriſti nomen in *Galliam* penetrauerat, Principes tamen et Reges ad finem huius Saeculi et recenſitam conuerſionem idola fuerant venerati.

§. 2. Mouit tamen Satanas graues *Eccleſiae* adflictiones, praecipue per irruptiones *Gothorum*, *Hunnorum*, *Vandalorum* aliorumque barbarorum, qui ſtatum Eccleſiae tranquillum ſatis interturbabant. 401. *Gothi* enim ſub initium ſaeculi duce *Alaricho Italiae* inhiantes a *Stilicone* initio vincuntur, poſt conceſſas *Gallias Hiſpaniaſque* occupantes ab eodem

eodem *Stilicone* ad imperium adſpirante reuocan-
tur, vbi tandem poſt duorum annorum obſidio-
nem *Romam.* orbis debellatricem occupant, *HO-*
NORIO Imperatore *Romam* gallinam amiſſam con- 410.
querente; parcit tamen *Alaricus* quibus, caede-
que eorum abſtinere ſuos, praeda contentos vi-
vere iubet. (1) *Radagaiſus* quoque *Scytha* cum
ducentis millibus *Gothorum* aliorumue *Romano-*
rum ſanguinem Diis ſuis propinaturum ſe iuraue-
rat, indeque in Italiam penetrans caede et vaſta-
tione omnia complet; at Dei iudicio ipſe cum
ſuo exercitu caeſus, multitudoque tanta vel fame
periit, vel pecudum more fuit diuendita. (2) 441.
Attila et Bleda, Hunnorum in *Thracia* Reges emiſſo
exercitu immenſo vniuerſam inundarunt *Euro-*
pam, Germaniam, Galliam Italiamque magna cum
piorum clade diripientes; et quamquam *Attila*
in campis *Catalaunicis* inſigni ſtrage eſſet deui- 451.
ctus, (3) redintegratis tamen viribus *Italiam* euer-
tere quaeſiuit, *Romamque* vſque progreſſus *Chri-*
ſtiani ſanguinis haud parum fudit *flagellum* illud 453.
DEI, (4) breui tamen poſt Eccleſiae ſuae miſer-
tus furori huic limites DEVS poſuit, *Attilamque*
ſuo ſanguine ſuffocauit. (5) *Vandali* porro cum
Alanis, Sueuis aliiſque Germanorum populis ſedes
quaerentes alias, *Gallias* initio et *Hiſpanias,* hinc 407.
Africam ac *Siciliam* ducibus *Gunderico* et *Genſe-* 427. 440.
rico piorum ſanguine macularunt, (6) et *Genſeri-*
cus demum ab *Eudoxia* in *Italiam* vocatus *Romam*
denuo cepit, (7) crudelemque ſe Orthodoxis ipſe 451.
Arianus vbique exhibuit; (8) quam quidem ſae-
vitiam filius *Hunericus* poſt parentis obitum ma- 484.
gis

gis intendit, (9) atque 444 Epiſcopos ſedibus ſuis eiecit, vario cruciatuum genere in fideles ſae-
497. viens. *Traſimundus* itidem *Vandalorum* in *Africa* Rex ſuppliciis quidem abſtinuit, praemiis tamen et honoribus ad *Arianam* impoſturam haud
476. paucos illexit. Haud parum quoque *Odoacer Herulorum*, *Rugiorum* et *Turcilingorum* Rex *Romano occidentis* Imperio finem imponens, *Auguſtulo* deuicto, Chriſtianorum tranquillitati obfuit;
490. (10) quo tamen rurſum a *Theodorico Oſt-Gothorum Rege*, *Ariano* licet, ſuperato, quies *Occidentali* Eccleſiae rediit: (11) Sicut *Orientalem* contra *Baſiliſcus et ANASTASIVS* infeſtarunt, *Eutychiànorum* fautores, *Orthodoxorum* àcerrimi perſecutores; (12) Denique in *Perſia* Rege *Varane* crudeliſſima in Chriſtianos flagrauit perſecutio, qua multis pelles detractae, aliis capita a fronte ad mentum nudata, alii lacubus nudi incluſi, et muribus famelicis obiecti fuerunt. (13)

Praeter inueteratas vero *Arianorum* et aliorum haereſes, quae exterminari nullatenus poterant, recens hoc Saeculo exortae fuerunt ſequen-
405. tes *Pelagiana*, quam condidit *Pelagius*, natione *Brito*, (14) qui *Adamum*, etiamſi non peccaſſet, moriturum tamen fuiſſe ex naturae conditione ſtatuit, Peccatum Originis impugnauit, ſolique *Adamo* lapſum nocuiſſe, tantam denique arbitrii libertatem poſt lapſum etiam homini ineſſe adſeruit, vt pie viuere, iuſtificari, tandemque ſalvari, modo velit, poſſit. (15) Dicti hi quoque *Coeleſtiani* a *Coeleſtio*, Monacho et *Pelagii* diſcipulo. (16) *Manetis* doctrinam reſuſcitabant, noviſque

viſque deliramentis adaugebant *Fauſtus* et *Felix* 407.
Manichaei, quorum dein peſtiferum dogma CHRI-
STI Eccleſiam haud parum turbauit. (17) Cum
porro *Pelagium* D. *Auguſtinus* viua voce calamo-
que impugnaſſet, ex eius ſcriptis nonnulli de gra-
tia DEI et praedeſtinatione nouum formarunt
dogma, (vnde et *Praedeſtinatiani* dicti) qui vi- 414.
ventibus bonorum operum laborem haud pro-
deſſe, ſi a DEO ad mortem ordinati fuiſſent, tra-
debant, ſicut nec impiis a DEO ad vitam aeter-
nam deſtinatis ſcelera varia ac flagitia obeſſe: (18)
Huic certe errori *Lucidus* in *Gallia* adhaeſit. (19)
Vlterius cum Preſbyter quidam *Conſtantinopoli-
tanus Anaſtaſius Mariam Deiparam* dicendam eſſe
pernegaret, Cleruſque illius Eccleſiae ſeſe oppo-
neret, et, vt Epiſcopus *Neſtorius* ſua ſe autori-
tate interponeret, inſtaret, hic defenſionem illius 427.
in ſe recipiens duas in CHRISTO adſtruebat per-
ſonas, atque ex *Maria* virgine ſolum hominem
Chriſtum prognatum contendebat, cui poſtea ob
ſanctae et inculpatae vitae meritum diuinitas fue-
rit coniuncta; hinc neque ipſe Mariam θεοτόκον
ſed χριστοτόκον tantum adpellandam eſſe vole-
bat. (20) Huic inter alios ſe oppoſuit *Eutyches*, 443.
Archimandrita ſiue *Abbas* Conſtantinopolitanus,
at ſatis infeliciter; Siquidem in CHRISTO non
vnicam tantum perſonam, ſed vnicam etiam na-
turam eſſe adſerebat; indeque volebat, in ipſo
incarnationis articulo carnem in diuinitatem fuiſſe
commutatam. (21) Quae haereſis temporibus
ſubſequentibus Orthodoxos admodum inquieta-
vit, varioſque in ramos ſe diffudit, quos inter

Acepha-

494. *Acephali* etiam fuerunt, qui ſub Epiſcoporum inſpectione viuere detrectabant, eodem cum *Eutychianis* veneno infecti. (22)

(1) De hac occupatione vrbis praeter alios vide *Ludon. Viuem* praef. in Auguſt. libros de Ciu. DEI. Ipſe *Alaricus* breui poſt relictam vrbem ſubitanea morte fuit extinctus.

(2) *Auguſtinus* l. V, 23. de Ciu. DEI recenſet, ex ingenti illo *Gothorum* agmine multo amplius, quam centum millia proſtrata fuiſſe, ita tamen, vt ex *Romanorum* exercitu ne vnus quidem vulneratus, nedum extinctus fuerit. Tanta captiuorum multitudo fuiſſe fertur, vt viliſſimarum pecudum modo ſingulis aureis paſſim greges venderentur hominum, emtique illico morerentur.

(3) Caeſa vtrinque centena ſexaginta duo millia feruntur, praeter nonaginta millia *Gepidarum et Francorum* ante conflictum publicum noctu ſe interimentium.

(4) Cuius barbariem fugientes multi *Italiae* ciues in Inſulas *Venetas* ſe contulerunt, florentiſſimaeque vrbis prima iecerunt fundamenta. Ab hoc tyranno interemtae narrantur vndecim mille virgines, cum *Vrſula* primiceria, quam recenſionem Ieſ. *Crombach* in *S. Vrſula* vindicata defendere fuit adniſus, merito tamen fabulis adnumeratur. Vid. inter alios *Fr. Paullini* T. II. Zeitkürzend erbaul. Luſt. p. 203. ſeq.

(5) De *Attila Hunnorum* Rege conf. differt. hiſt. *Rudolph. Robtii* Ien. 1679. it. *Paullini* l. c. pag. 68. ſeq.

(6) E *Galliis* pulſi *Vandali* in *Hiſpania* ſedes fixerunt, vnde per *Bonifacium* Ducem a *Valentiniano III.* Imp. irritatum in *Africam* euocati, ferro, flamma et rapinis eam deuaſtarunt, atque *Ariana* labe infecerunt.

(7) Qua per 14. dies direpta *Eudoxia* cum filiabus multiſque captiuorum millibus in *Africam* deportata fuit.

(8) De *prima* contra Orthodoxos in *Africa* a *Genſerico* mota perſecutione Vid. *Victor. Vticenſ.* l. 1.

(9) Quae *ſecunda* in eos fuit perſecutio, prolixe ab eodem l. II. et III. it. a *Greg. Turon. Sigeberto, Nauclero, Cent. Magd. Oſiandro* p. 420 et aliis deſcripta. Ipſe *Hunnericus* tandem merita tyrannorum morte periit, vel vlcere venenato, vermibus ſcatente conſumtus, vel a Daemone correptus, propriisque manibus ſe dilanians, horrendo cruciatu vitam finiit. *Tertia* in *Africanos* Chriſtianos Perſecutio a *Gundabundo, Hunnerici* ſucceſſore, exercita, teſte *Procopio*.

(10) Siquidem a toties iteratis Principum in Occidente mutationibus, ipſoque *Odoacro* gentili, quietis parum in Eccleſia Occidentali fuit.

(11) *Tho-*

(11) *Theodoricus* enim Catholicos reuerenter habuit, imo aulicum quendam, qui, vt maiorem apud Regem gratiam iniret, *Arianiſmo* nomen dederat, ſua interſecit manu, fidum ſibi haud futurum, qui DEO fidem fregiſſet, perſuaſus. Vid. *Boecler.* diſſert. pecul. de Theodorico.

(12) Erat *Baſiliſcus* frater *Verinae* Imp. *Leonis Thracis* coniugis, qui cum in *Zenonem* Imp. inſurrexiſſet, a ſuis proditus, tandem in captiuitate interiit, poſtquam in *Eutychianorum* fauorem haud paucos ex orthodoxis Epiſcopis ſedibus ſuis repuliſſet. *Encyclicam* contra *Chalcedonenſe* Concilium epiſtolam ſcripſit, apud *Euagrium* l. III. extantem. *Anaſtaſius* Imp. quoque orthodoxos feruentiores exilio multabat, nulla tamen ſanguinis gutta, vt aiebat, vindicare cupiens contraria ſentientes, modo quiete agerent.

(13) Initio ſub *Iſdegerde Perſarum* R. occaſio perſequendi Chriſtianos capta, quod *Audas* Epiſcopus, imprudenti ſatis Zelo ignem, *Perſarum* DEum, ſubuerterat; cum autem Romani pro Chriſtianis ſollicitarent, deſiit Perſa ab iis perſequendis: filius autem *Varanes* a Magis contra Chriſticolas exacerbatus, perſecutionem magis magiſque intendit, vſque a *Theodoſio* iuniore magna clade fuit fractus. Vid. *Socrat.* l. VII. *Niceph.* l. XIV. *Theod.* V, 39. *Cent. Magd.* V, 3. Vulgo tum a gentilibus Chriſtianae religioni imputabatur, per ipſam labefactari Imperium, torque calamitatibus inuolui, cui retundendo *Auguſtinus* libros de Ciu. DEI conſcripſit, *Paulumque Oroſium* ad ſcribendos hiſtoriae libros impulit, quibus contra paganos oſtendit, ab O. C. ad ſua vſque tempora maximas certe calamitates per orbem contigiſſe.

(14) De *Pelagio*, ſincero initio Ecleſiae Doctore, immani praeſumtione in errores prolapſo, Vid. *Spizel.* liter. feliciſſ. p. 241. ſeq.

(15) Docebant praeterea *Pelagiani*, naturam hominis et animam, etiam poſt lapſum, bonam et non corruptam eſſe: baptiſmi neceſſitatem negarunt: peccatum non generatione, ſed imitatione propagari; peccatum nullum eſſe, niſi voluntarium; fidem ex nobis, non ex DEO eſſe, multos per legem, multos etiam ante promulgatam legem, ſuis viribus eſſe ſaluatos: multaque, itaque gratiae contraria adſerebant: denique orationes Eccleſiae eſſe inutiles dicebant, et qui alii eorum fuerunt errores, de quibus vide *Auguſtin. Cent. Magd. Vſſerium* in Britannicarum eccleſ. antiquitt. quibus inſerta eſt peſtiferae aduerſus Dei gratiam a Pelagio Britanno in eccleſiam inductae haereſeos hiſtoria, Dublin. 1639. Lond. 1687. *Henr. Noris* in hiſtoria Pelagiana, et diſſ. de Synodo V oecumenica, in qua Origenis ac Theodori Mopſueſteni Pelagiani erroris aſſertorum iuſta damnatio exponitur. Pat. 1673, Louan. 1702. *Ianſenium Yprenſem* aduerſus haereſes Pelagianorum et Semi-Pelagianorum, T. I. *Au-*

guſtini Io. Latium in libris II. de Pelagianis et Semipelagianis Harderuic. 1617. *Gerb. Io. Voſſium* in hiſtoria de controuerſiis, quas Pelagius eiuſque reliquiae mouerunt. *Io. Garnerium* in diſſ. pertinentibus ad hiſtoriam Pelagianam. *D. Io. Ern. Schuberti* diſſ. ſiſtens ſyſtematis Pelagiani delineationem, Helmſt. 1751. Eiuſd. diſſ. ſiſtens doctrinam de peccato Originali contra Pelagianos errores aſſertam. ib. 1751. Eiuſd. diſſ. ſiſtens doctrinam de libero arbitrio contra Pelagianos errores adſertam, ib. 1752. Eiuſd. diſſ. ſiſtens errores Pelagianos in doctrina de libero arbitrio ante reformationis tempora ib. 1753.

(16) Praeter *Caeleſtianos* Semi-Pelagiani quoque ſurculus Pelagianorum fuere, *Maſſilienſes* alias dicti, quod *Maſſiliae* praecipue dogma illud ſpargerent, quo hominem ſuam conuerſionem propriis viribus inchoare quidem, haud tamen ſine Spiritus Sancti gratia abſoluere poſſe tradebant. *Io. Caſſianus* Preſbyter *Maſſilienſium* eorum Promachus fuit.

(17) Vid. *Auguſtin*. contra Manichaeos, it. *Magd. Oſiand. Strauchius* de Manichaeiſmo. *Felix* tamen *Manichaeus* cum *Auguſtino* aliquot dies diſputans tandem veritati victas dedit manus.

(18) De his prolixe egit *Aegid. Strauchius* peculiari de Praedeſtinatianis ſcripta diſſertatione Witteb. 1658. *D. Io. Balth. Bernholdi* diſſ. Praedeſtinatianos quinto fuiſſe ſaeculo Alt. 1737. Adde librum ſub tit. *Praedeſtinatus* Saec. V. ſcriptum, qui a quibuſdam *Vincentio*, ab aliis, *Hygino* aut *Primaſio* tribuitur.

(19) Quem *Fauſtus Rhegienſis* ſcripta ad eum epiſtola, impugnauit, erroríque illi anathema dixit. Vid. *Baron. A.* 490. n. 18.

(20) *Neſtorius* ex ingenti ſui confidentia in hanc amentiam prolapſus, (Vid. *Spizel.* felic. lit. pag. 210. ſeq.) vnicam Chriſti perſonam, verbis confeſſus, ſimul et per conſequens realem idiomatum communicationem negauit, blaſphemo ore dicens: *Noli gloriari Iudaee, non DEVM, ſed hominem crucifixiſti.* Habetur a quibuſdam pro nepote *Samoſateni*, ſed minus firmiter. *Conſtantinopoleos* Epiſcopus ex preſbytero *Antiocheno* factus, pietatis, modeſtiae aliarumque virtutum fucum faciens, ſtatim in prima coram Imperatore habita concione animum prodidit, inquiens: *Da mihi, o Imperator, terram ab haereticis repurgatam, et ego tibi viciſſim coelum dabo: diſperde mecum haereticos, et ego tecum diſperdam Perſas.* Confeſtim itaque magno furore quaſcunque haereſes coepit perſequi, vt vni ſuae patefaceret aditum. De *Neſtorio* vide 3. diſſertationes *Io. Sim. Franci* Witeb. 1670; et *Calouium* in Neſtorianiſmo antiquo et nouo: it. Apologiam Wolfarthi pro eodem contra D. *Io. Sim.* Theol. Francof. 1683. *Ge. Calixt.* de haereſi Neſtorii Helmſt. 1640. *Korthold* de Neſtorio: *Schroederum* de Neſto-

Neſtorianiſmo et Eutychianiſmo. *Paul. Ern. Iablonſki* in exerc. hiſt. theol. de Neſtorianiſmo et illa in primis phraſi Neſtorianorum, qua humanam Chriſti naturam templum diuinitatis vocare ſolebant, Berol. 1724. Oppoſuit ei *Paul. Berger* orationem de Neſtoriaſino, haereſeos conuicto Witt. 1726, et *Henr. Klauſing*, vel potius *C. G. Hofmann* diſſ. controuerſiam Neſtorianam olim agitatam haud fuiſſe Logomachiam Lipſ. 1725. At *Iablonſki* defendit ſeſe in diſſ. theol. hiſt. de origine et fundamento Neſtorianiſmi, Francof. 1728. et hunc *Maturinus Veyſſiere la Croze* in Epiſtola muſaeo hiſt. phil. theol. V. I. P. I. p. 78. inſerta, cui tamen *Hofmannus* defenſionem differt. de controuerſia Neſtoriana, Lipſ. 1731. opponit. Praeterea diſſeruit idem *Iablonſki* de origine et fundamento Neſtorianiſmi Francof. 1728. de meritis Neſtorii deque controuerſiae Neſtorianae genuinis fontibus, Francof. 1738. Priorem diſſertationem parti II. *Archibald Boweri* hiſtoriae R. P. in theotiſcam tranſlatae *Rambachius* praemiſit. Exſtat etiam Neſtorii et Neſtorianiſmi admodum copioſa hiſtoria, gallico ſermone conſcripta: *Hiſtoire du Neſtorianiſme par le P. Louis Doucin* Vtrecht, 1716. 4. et *Io. Vogtii* diſquiſitio de recentiſſimis Neſtorii defenſoribus in bibliotheca eius ſaepius laudata T. I. faſc. III. p. 458.

(21) *Eutyches* ſenex impudens, nec in ſacris ſatis doctus, ante coniunctionem Chriſtum quidem ex duabus conſtitiſſe naturis, poſt eam vero ex vna tantum conſtare, nec matri, nec nobis carnem conſubſtantialem habuiſſe voluit, ſed coelo illam deſcendiſſe. Haereſi huic adſenſerunt *Dioſcorus Alexandrinus, Seuerus Antiochenus, Petrus Fullo*, itidem ſedis *Antiochenae* inuaſor, qui triſagio: *Sanctus DEVS, ſanctus fortis, ſanctus immortalis!* adieciſſe ſcribitur: *qui paſſus et pro nobis: Acacius Conſtantinopolitanus, Iuuenalis Hieroſolymitanus, T. alaſſius Caeſareenſis, et Iacobus* Zanzalus *Syrus*, a quo *Iacobitae* hodienum in Oriente reſidui dicti fuere, multique in *Aegypto* ac *Illyrico* Epiſcopi, quamquam ex his non pauci poſtmodum reſipuerunt. Vid. *Theodor. Althuſius* ſiue *Matth. Zimmermannus* in hiſt. Eutych. *Iac. Baſnagii* diſſ. de Eutychianiſmo eiuſque variis ſectis in *Io. Vogtii* Biblioth. hiſtor. haereſiolog. T. II. faſc. I. p. 56. *Chriſt. Aug. Salig* in tr. de Eutychianiſmo ante Eutychen, Wolfbutt. 1723. *Nicol. Guil. Schroederi* diſſ. de eutychianiſmo et variis eius ſectis Marb. 1746. et alii

(22) Synodo *Chalcedonenſi* hi admodum infeſti erant quod *Eutychiana* haereſis illic damnata eſſet. *Acephalos* hos propterea dictos quipiam volunt, quod nullum certum ſuae factionis caput ac defenſorem haberent. Vid. *Cent. Magd.* it. *Prateol.* de haer. Accenſeri his haereſibus Saeculi V. poſſunt *Abelonii vel Abelionitae* ab *Abele* vocari geſtientes, qui rem vxoriam, non ipſas vxores abhorrebant, citra quarum conſortium degere illis

 haud

(36) Sol hic Patrum huius Saeculi *Nazianzo* obſcuro oppidulo, parentibus non adeo celebribus, patre *Gregorio*, matre *Nonna*, a DEO precibus impetratus, poſt iacta literarum fundamenta, *Alexandriae Athanaſium* admiratus, poſt *Athenis* cum *Baſilio* intimam fouit amicitiam: inde iuſſu Patris preſbyterium recepit, ſed breui poſt depoſuit, ad *Baſilium* reuerſus, cum quo *Arianos* ſtrenue impugnauit, vſque tandem a patre, quem ab *Arianiſmo* in viam reduxerat, reuocatus, *Soſimorum* Epiſcopus factus eſt, ſed propter turbas, quibus illic a ſtudiis abſtrahebatur, breui *deſeruit*, patriſque precibus conceſſit, vt partem laboris in Epiſcopatu *Nazianzeno* in ſe ſuſciperet, quamquam poſt parentis obitum et illum depoſuit. Hinc *Conſtantinopol.* magno cum adplauſu docens, Epiſcopus illius Eccleſiae conſtitutus, ſed a *Maximo* quodam, in quem plauſtra beneficiorum contulerat, Epiſcopatu denuo depulſus, ab Imp. *Theodoſio* reſtitutus, ab inimicis iterum deſtitutus, priuatus, depoſito Epiſcopatu, in agello patrio conſenuit, *Theologi* nomen adeptus. Inter eius ſcripta multa, quae ab alio auctore ſunt, referuntur. Naeuis ſuis haud fuit deſtitutus. Vid. *Meelf. Gerb. Oſiand. Cent. Magd.* vita eius quoque exhibetur, a *Godefr. Henſchenio et Dan. Papelweſ.* Soc. Ieſu in actis Sanctorum menſ Maio.

(37) Aliis hic *Oſius* dicitur, veritatis confeſſor celeberrimus; in *Diocletiana* perſecutione multa ſtigmata acceperat; contra *Arium* et ſocios initio militauit fortiſſime, ſtrenuus *Athanaſii* paraſtata, quamquam tandem in eo lapſus, quod in Synodo *Sirmienſi*, per plagas et tormenta coactus, *Athanaſii* damnationi ſubſcripſerit; nihilo tamen *Arianis* poſt mitior, grauiſſimus Pater eos ad mortem vſque impugnauit et damnauit.

(38) Pater *Baſilius*, *Nyſſenus* Epiſcopus, peculiare hoc prae multis aliis, tres ſcilicet filios, magna Eccleſiae lumina, et ſingulos Epiſcopos, *Baſilium Caeſareae*, *Petrum Sebaſtae*, *Gregorium Nyſſae* habuit. Ipſe filius *Baſilius* poſt abſolutum *Caeſareae et Conſtantinopoli* ſtudiorum ſtadium *Athenis* cum *Nazianzeno* amicitiam firmiſſimam et nunquam interruptam ſtabiliuit. *Euſebio* in Epiſcopatu *Caeſareenſi* ſucceſſit, magnus contra *Arianorum* furores orthodoxias defenſor. Obiit tandem ſub *Gratiano*, vel paulo poſt, ab animi et zeli magnitudine merito *Magnus* dictus. De eius ſcriptis naeuiſue conf. *Gerh. Dilherr.* p. I. diſſ Philol. *Coc. Rin. et alii*.

(39) Hic vſque ad *Coc. Conſtantinopolitanum* ſuperſtes, eius Symbolum condidit: de ſcriptis vero eius, ac quibuſdam, quibus implicitus fuit, erroribus conf. Auctores ſupra citatos.

(40) Grauem inimicum paſſus *Acacium Conſtantinopolitanum*, inde multoties exilia ſuſtinuit, calumniiſque proſciſſus fuit, in Conſtantinopolitana autem Synodo veram fidem fortiter defendit. Scripta et naeui recenſentur a *Meelf. Gerb. Coco, Rineto et aliis*.

(41) Vl-

(41) *Vlphila* initio fidem ſincersm contra *Arianos* ſtrenue propugnauit, magnam *Gothorum* partem Chriſti cognitione imbuens, literaſque *Gothicas* inuenit; poſt vero *Conſtantinopoli* ab *Eudoxio* ſenſim in Arianiſmum protractus, gentem quoque ſuam de ſuo Epiſcopo ſiniſtri quicquam haud ſuſpicantem, eodem errôre imbuit, v. *M. Georg. Fred. Heupelii* diſſ. de Vlphila, ſeu verſione IV. euangeliſtarum Gothica Witt. 1693.

(42) Floruit hic Doctor Eccleſiae aureus, ſub finem huius Saeculi, et initium ſequentis; Iuris ſe initio ſtudio mancipauerat, at poſtea taedio forenſis ſtrepitus, Theologiae animum adplicuit, initio Diaconus, poſt preſbyter *Antiochenus*, *Nectario* defuncto, in Epiſcopatu *Conſtantinopolitano Arcadii* juſſu. et communibus ſuffragiis electus, ſucceſſit. *Chryſoſtomi* nomen non ex oſculo *Mariae* imagini dato, vt fingunt, ſed ex aureo eloquentiae flumine, ex ore eius copioſe profluente accepit. Animo erat imperterrito, proin *Eudoxiae* Imperatricis aliorumque aulicorum vitia maſcule perſtrinxit, quo ipſo tamen illorum odia in ſe concitauit, quae non prius, quam bis in exilium eiiceretur, conſederunt: in quo exilio demum vita functus Doctor Eccleſiae ſcriptis et voce incomparabilis. Vitam illius ſcripſit *Palladius* cum aliis. Scripta *Chryſoſtomi*, quibus *Graece* excudendis *Savilius in Anglia* 25000. roſas nobiles impendit, et quae poſt *Pariſienſem* editionem nuperrime *Francofurti* denuo prodierunt, ſuas quandoque maculas habent, de quibus videſis Auctores multoties citatos; it. *El. du Pin.* Tom. III. Bibl. Eccleſ. etc. *Meiers* Chyſoſtomum Lutheranum Witt. 1686. *Chriſt. Guil. Vollandi* vindiciae Chryſoſtomi contra Io. Harduinum Lipſ. 1714. Eiuſd. diſſ. de Elogio Chryſoſtomi Witt. 1710. ei. renouata diuini Chryſoſtomi vita ib. 1709. ei. diſſ. de optimis operum Chryſoſtomi editionibus, ib. 1711. ei. diſſ. de veteribus ac fide dignis vitae Chryſoſtomi ſcriptoribus, ib. eod. ei. diſſ. de ſcriptis Chryſoſtomi, ib. eod. *Godofr. Hermantii* vie de St. Iean Chryſoſtome Lugduni 1683. II Vol.

(43) Scripſit 6. vel ſecundum alios 7. libros contra *Parmenianum Donatiſtam*, immodice corruptos. Vide *Meelfubr.* p. 80. adde *El. du Pin.* Biblioth. Aut. Eccleſ. T. II.

(44) Huius in cunis dormientis os apes circumuolitabant, ſi vera refert *Paulinus*, in futurum eloquentiae praeſagium. *Romae* bonis literis innutritus, cauſas publicas egit feliciter, inde maioribus officiis ſaeculi admotus fuit. Poſt mortem *Auxentii Mediolanenſis* Epiſcopi Ariani, cum inter orthodoxos et Arianos factioſa eſſent conſilia, circa noui Epiſcopi electionem, ad ſeditionem ſpectantia, praeſes *Ambroſius* ſua praeſentia et dulci oratione ad quietem non modo permouit, ſed et cunctis adeo placuit, vt vno ore eum Epiſcopum proclamarent, qui quamquam manibus pedibuſque reluctaretur, elabi tamen haud potuit, quin conſenſu Imp. ipſe nondum initiatus Epiſcopus fuerit conſtitutus. Conf. *Socr. Sozom. Theodoret.* Vitam illius exhibuit

hibuit *Paulinus*, non quidem *Nolanus*, ſed ab eo diuerſus. Item *Hermannus* lingua *Gallica*. Vxor ipſi *Marcella* a nonnullis adſignatur. Scripta genuina pariter et ſuppoſititia recenſentur a *Bellarmino*, *Sixto Sen.* *Coc.* *Riueto*, *Gerb.* *et aliis*; nae. vos vero adlegarunt *Riuetus*, *Meelfuhrer etc.* Opera nouiſſime edita ſunt Pariſ. 1686.

(45) Vtrum laudandus propterea ſit *Ambroſius* an culpandus, videſis apud *Blondell.* de formulae, regnante Chriſto, vſu; it. *Rechenberg.* Diſſ. pecul de Theodoſio M. Imp. excommunicato Lipſ. 1683 *Paullini* zeitkürzende Luſt. T. I. pag. 632. ſeq. *Keuſer.* in Anti-Bellarm. p. 408. ſeq.

(46) In eremo adolevit, vitae eremiticae praecipuus cultor, vſque Eccleſiae *Edeſſenae* Diaconus, poſt preſbyter conſtitueretur, tantae aeſtimationis, vt ſcripta eius publice in Eccleſia legerentur. Conf. *Maſii* praefat. in Bar-Cephae Comment. de Paradyſo p. 7. adde *Cl. Tenzelii* ſelectas exercitationes, exerc. VII.

(47) Hic ſub *Maximiniano* confeſſor, *Macario* in *Epiſcopatu Conſtantinopolitano* ſucceſſit. In Synodo *Tyrenſi* Arianis in damnando *Athanaſio* mox conſenſiſſet, ni *Hoſius* eum manu prehenſum et conciliabulo eductum, meliora edocuiſſet. Hinc *Arianorum* in ſe odium concitans, eccleſia ſua pulſus eſt. Mortuus tamen *Hieroſolymis* legitur.

(48) De quo vide *Sulpit. Seu.* l. II. *Gerb.* in Patrol. p. 239. Eius librum contra *Arianos* edidit *Caſp. Barthius.*

(49) In hoc diuina bonitas naturae vitium feliciſſime reſarciit, quippe literarum characteres tabulis inſculptas, ſyllabas item et nomina, poſt crebram repetitionem, digitis immiſſis obſervare et pronunciare poterat, nec minus *Dialecticam et Geometriam* oculos depoſcentes artes, *Hieronymo* teſte, exacte didicit, *Origeni* tamen nimium adhaeſit. Vid. *Meelfuhreri Cor. C. Patr.* *Gerb.* et al. Conf. et. *Spizel.* liter. feliciſſ. p. 250 ſeq

(50) Idolorum templa euertit, odii autem in *Chryſoſtomum* tenaciſſimus extitit, aliiſque vitiis, ſi *Socrati* fidem habemus, ſcatuit. De eius ſcriptis Vid. Auctores *citati*; de contentione cum Monachis *Anthropomorphitis*, *Kortholdt* Hiſt. Eccleſ. p. 115. ſeq.

(51) Quod hic recte doceret, ſanctos non eſſe inuocandos, nec paupertatem vltra nimium efferret, inter haereticos a quibuſdam male numeratur, et *dormitantius* appellatur. Conf. *Sagittar.* de natalit Martyr. et *C. W. Franc. Walchii* diſſ. de Vigilantio haeretico orthodoxo, Goting. 1756.

(52) Scilicet Patribus et Doctoribus huius Seculi accenſeri poſſunt *Alexander Alexandrinus* Epiſcopus qui primus *Arii* errores dexexit: *Amphilochius*, Epiſcopus *Iconienſis*, *Baſilii* M. vitam condidit, cuius tamen ſcripta deſiderantur, vel falſa deprehen-

prehenduntur. *Caeſarius Arelatenſis*, *Greg. Nazianz.* frater, cui multa, *Auguſtino* vulgo tributa, adiudicanda ſunt. *Chromatius* Epiſcopus *Aquilegienſis*, cuius ſcripta vide expenſa apud *Bellarminum*, *Sixt. Senenſ. Riuetum*, *Cocum*, *Gerhardum*, vid. Saec. ſeq. n. 46. *Hilarion* monachus, quem vitae aſperitate et miraculorum vbertate clarum praedicant ſcriptores. *Idacius Clarus* Epiſcopus Hiſpanus, quem alii in ſequens Saeculum reiiciunt. *Macarius Hieroſolymitanus* Epiſcopus, grauis *Arianorum* oppugnator, ſub quo *Helenam Conſtantini M.* matrem crucem Chriſti *Hieroſolymis* inueniſſe, ſunt, qui tradunt, et qui contra vocant in dubium. *Martinus Turonienſis* Epiſcopus, *Hilarii Pictanienſis* diſcipulus, cuius vitam *Seuerus Sulpitius* non ſine fabuloſae fidei ſuſpicione, prolixe deſcripſit, inter ſanctos poſtmodum relatus. *Pamphilus* martyr, quem *Euſebius* hiſtoricus amicum prae ceteris dilexit.

(53) De quibus ad ſequens Saeculum plura dicentur.

(54) Relictis libris X. Hiſt Eccleſ. et IV. de vita et geſtis *Conſtantini M.* item Chronico, a *M. C.* vſque ad vicennalia *Conſtantini*, praecipue autem libris de praeparatione Euangelica XV. et X. de demonſtratione Euangelica, pro veritate Chriſtianae religionis contra Iudaeos et gentiles. *Caeſareenſis* fuit Epiſcopus, et cum *Arianis* initio ſtetit, poſt Concilium vero *Nicenum* orthodoxum ſe profeſſus eſt. Vitam eius exhibuit *Mart. Hankius* de Byzant. rerum ſcriptoribus Graecis. Conf. et *Gerhardum Meelfuhr*. *Io. Chph. Erneſti* diſp. de Euſebio Pamphili epiſcopo Caeſarienſi Witt. 1683. et alios.

(55) Epiſcopus *Salaminae* fuit, auctor operis contra haereſes, quod *Panarium* inſcripſit, aliorumue. Vid. *Dion. Petau.* et alii.

(56) Fuit *Ruffinus* initio *Hieronymo* amicus familiariſſimus, ſed poſtmodum vterque inter ſe amicitiam nunquam redintegratam diſſoluerunt; (Vid. *Spizel.* lit. feliciſſ. p. 247.) Pontificiis minus acceptus eſt, quod canonem Concilii *Niceni* ex eorum mente, et pro Papae dignitate haud interpretetur. Continuator fuit hiſtoriae *Euſebianae* duobus libris, illamque in Latinum Sermonem tranſtulit; alia item ſcripta reliquit, de quibus auctores multoties memorati vberius.

(57) *Brixienſis* in *Italia* fuit Epiſcopus, libro de haereſibus notus, qui tamen inter haereſes multa numerauit, quae vere tales haud ſunt. Adde his *Philoſtorgium*, Epitomen Hiſtoriae Eccleſiaſticae concinnantem.

(58) Preſbyter Hiſp. hiſtoriam Euangelicam libris IV. carminum complexus eſt, pene ad verbum.

(59) Itidem *Hiſpanus*, de cuius ſcriptis videri poteſt *Gerhardus* p. 337. ſeq. Poëmata huius a variis, vt *Fabritio*, *Weizio*, *Buchnero* et aliis edita fuere.

§. 4. *Iudaeorum* ſuperſtitioni initio variae ab *Imperatoribus* leges oppoſitae; (1) *IVLIANVS* vero, vt aegre faceret Chriſtianis, Templum *Hieroſolymitanum* illis reſtituendi fecit copiam, ſed obſtitit DEVS, ne fieret, grauiterque hunc conatum vltus eſt, dum coelitus fulminibus et terrae motu opus turbauit. (2) Vixerunt inter eos hac aetate R*abbi Hillel*, *Calendarii* Iudaici ſeu *Emboliſmorum* auctor, (3) qui morti vicinus *ſacrum baptiſma* ſuſcepiſſe dicitur; (4) et R. A*ſe*, Rector *Soranus*, qui *Talmud* ordine congerere coepit. (5)

Gentilium Scriptorum praecipui, et qui hoc Saeculum profanis Scriptis illuſtrarunt, fuerunt
320. *Nazarius* CONSTANTINI Imp. Panegyriſta, *Eumenius* Rhetor, de ſcholis inſtaurandis ſcri-
360. pſit; A*mmianus Marcellinus Comes*, Hiſtoricus, *Libanius* Orator, *Flauius Vegetius* R*enatus*, *Comes*
370. *Conſtantinopolitanus*, opere de *re militari* clarus; *Mamertinus*, aliquot Imperatorum Panegy-
380. riſtes, *Symmachus*, vrbis praefectus, *Sextus Aure-*
390. *lius Victor* Hiſtoricus; *Marcellus Medicus*, *Iulius Firmicus* A*ſtrologus*, *Themiſtius Philoſophus* Peripateticus, ab eloquio *Euphrades* dictus, *Chalcidius Platonis* interpres, *Claudianus* denique Poeta. (6)

(1) E. g. vt coetum Chriſticolarum turbantes crementur, immunitates eorum derogentur, polygamia ipſis prohiberetur, honores abrogarentur, et quae aliae plures in Codice exſtant.

(2) Vid *Socrat. Sozom. Ammian. Marcell.* l. 23. *I. G. Lotteri* diſſ. de hiſtoria inſtaurationis templi Hieroſolymitani ſub Iuliano tentatae Lipſ. 1728. *D. Nicol. Nonne* diſſ. de tentata hactenus fruſtra a Iudaeis ſtatus cultuſque ſui reſtitutione, Brem. 1748.

1748. *A. H. Lackmann* diſſ. de auctoritate Chryſoſtomi teſtis de tentata et impedita templi Hieroſolymitani inſtauratione Kilon. 1749. *I. G. Michaelis* diſſ. de templi Hieroſolymitani Iuliani Imp. mandato per Iudaeos fruſtra tentata reſtauratione, Hal. 1751. *Wilh. Warburton*, crit. Abhandl. von dem Erdbeben und Feuerflammen, wodurch des Kayſers Julians verſuchter Tempelbau zu Jeruſalem iſt hintertrieben worden Gotha 1755.

(3) Vide de Calendario Iudaeorum differt. *Aeg. Strauchii* de Computo Thalmudico Rabbinico.

(4) Si *Epiphanio* fides adhibenda, *Hillel* cognomento *Hanaſi* morti proximus iuſſit Epiſcopum vrbis *Tiberiorum* vicinum ad ſe venire, et accepit ab ipſo lauacrum in exceſſu per medicae curae praetextum. Cum hoc *Hillel* deſiit mos, Rabbinos impoſitione manuum ordinandi.

(5) Vid. *Hotting.* H. E. c. IV. Sect. III. p. 195. ſeq.

(6) Quibus adiungi poſſunt alii adhuc hoc Saeculo celebres ſcriptores: vt *Iulianus* Imp literis quoque nominis celebritatem aucupans, *Iamblichus* de vita *Pythagorae*, *Eunapius* hiſtoriae Philoſophicae cumprimis intentus, *Palladius* Rhetor, *Theon et Pappus Alexandrini* Mathematici, *Porphyrius*, *Conſtantini M.* Panegyriſtes, *Alphius Auitus*, *Septimius Afer*, *Rufus Feſtus Auienus* Poëtae.

SAECVLVM V.

§. I.

Quia in Imperio Romano ceſſabant grauiores perſecutiones, multae ex barbaris nationibus Chriſto vel nouiter nomen dederunt hoc *Saeculo*, vel ad eum ex auiis redierunt, quas inter *Hunni* ſeu *Auares* Chriſtianorum manſuetudine 402.
deliniti, et humanioris vitae conſuetudine variiſque miraculis permoti, in CHRISTI caſtra tranſierunt, (1) *Perſae* quoque ad eundem reducti 412.
per *Maruthan Meſopotamiae*, et *Ablatem Perſidis* Epiſcopos; (2) ita *Vindelici*, *Pannonii*, *Norici*, 420.
Rhaetii aliique proximi populi per *Seuerinum* ad orthodoxam fidem vocati; *Hyberni* per *Patricium* 432.
Scoto-

490. *Scotorum Archi-Ep.* conuerſi: (3) Quin et *Saraceni Alamundaro* Principe Chriſti quili adſcripti;
499. et *Francorum* denique Rex *Clodouaeus*, qui ſua cum gente a *Chriſtianiſmo* vſque huc fuerat alienus, per *Crotildem* ſiue *Clotildem Burgundam*, coniugem ſuam, ad eum recipiendum ſaepenumero admonitus, tandem in arduo cum *Alemannis* praelio, ſe *Chriſtianum*, ſi victor euaderet, vouit futurum, cuius voti damnas in verae fidei capitibus inſtitutus, et a *Rhemorum* Epiſcopo *Rhemigio* baptiſmo fuit perfuſus. Sequebatur Regem grex *Francorum*, derelinquere Deos mortales, et immortalem quaerere paratus. (4)

(1) Multum hanc conuerſionem promouente *Io. Chryſoſtomo*, Patriarcha Conſtantinopolitano.

(2) Occaſione tutelae ab *Arcadio* Imp. *Iſdegerdi* R. *Perſarum* oblatae.

(3) Cum *Palladius* opus conuertendae *Hiberniae* morte immatura praeueniens, abſoluere non poſſet, *Patricius* a Pont. *Coeleſtino* eo miſſus, id perfecit.

(4) Prolixe hanc conuerſionis *Clodouaeanae* hiſtoriam recenſent *Gregorius Turon.* Hiſt. l. II, 29. ſeq. *Hincmarus in vita Rhemigii*, *Sigebertus et alii*. Vide et *Cent. Magdeb.* V, 2 Theatrum conuerſ. gent. *Chriſt. Guil. Franc. Walchii* diſſ. de Chlodouaeo M. ex rationibus politicis chriſtiano, Ien. 1751. et alios. Interim licet diu ante Chriſti nomen in *Galliam* penetrauerat, Principes tamen et Reges ad finem huius Saeculi et recenſitam conuerſionem idola fuerant venerati.

§. 2. Mouit tamen Satanas graues *Eccleſiae* adflictiones, praecipue per irruptiones *Gothorum*, *Hunnorum*, *Vandalorum* aliorumque barbarorum, qui ſtatum Eccleſiae tranquillum ſatis interturba-
401. bant. *Gothi* enim ſub initium ſaeculi duce *Alaricho Italiae* inhiantes a *Stilicone* initio vincuntur, poſt conceſſas *Gallias Hiſpaniaſque* occupantes ab eodem

eodem *Stilicone* ad imperium adſpirante reuocantur, vbi tandem poſt duorum annorum obſidionem *Romam.* orbis debellatricem occupant, *HONORIO* Imperatore *Romam* gallinam amiſſam con- 410.
querente; parcit tamen *Alaricus* ciuibus, caedeque eorum abſtinere ſuos, praeda contentos viuere iubet. (1) *Radagaiſus* quoque *Scytha* cum ducentis millibus *Gothorum* aliorumue *Romanorum* ſanguinem Diis ſuis propinaturum ſe iurauerat, indeque in Italiam penetrans caede et vaſtatione omnia complet; at Dei iudicio ipſe cum ſuo exercitu caeſus, multitudoque tanta vel fame periit, vel pecudum more fuit diuendita. (2) 441.
Attila et Bleda, Hunnorum in *Thracia* Reges emiſſo exercitu immenſo vniuerſam inundarunt *Europam, Germaniam, Galliam Italiamque* magna cum piorum clade diripientes; et quamquam *Attila* in campis *Catalaunicis* inſigni ſtrage eſſet deui- 451.
ctus, (3) redintegratis tamen viribus *Italiam* euertere quaeſiuit, *Romamque* vſque progreſſus *Chriſtiani* ſanguinis haud parum fudit *flagellum* illud 453.
DEI, (4) breui tamen poſt Eccleſiae ſuae miſertus furori huic limites DEVS poſuit, *Attilamque* ſuo ſanguine ſuffocauit. (5) *Vandali* porro cum *Alanis, Sueuis* aliiſque Germanorum populis ſedes quaerentes alias, *Gallias* initio et *Hiſpanias*, hinc 407.
Africam ac *Siciliam* ducibus *Gunderico* et *Genſe-* 427. 440.
rico piorum ſanguine macularunt, (6) et *Genſericus* demum ab *Eudoxia* in *Italiam* vocatus *Romam* denuo cepit, (7) crudelemque ſe Orthodoxis ipſe 451.
Arianus vbique exhibuit; (8) quam quidem ſaeuitiam filius *Hunericus* poſt parentis obitum ma- 484.
gis

gis intendit, (9) atque 444 Epiſcopos ſedibus ſuis eiecit, vario cruciatuum genere in fideles ſae-
497. viens. *Traſimundus* itidem *Vandalorum* in *Africa* Rex ſuppliciis quidem abſtinuit, praemiis tamen et honoribus ad *Arianam* impoſturam haud
476. paucos illexit. Haud parum quoque *Odoacer Herulorum*, *Rugiorum* et *Turcilingorum* Rex *Romano occidentis* Imperio finem imponens, *Auguſtulo* deuicto, Chriſtianorum tranquillitati obfuit;
490. (10) quo tamen rurſum a *Theodorico Oſt-Gothorum* Rege, *Ariano* licet, ſuperato, quies *Occidentali* Eccleſiae rediit: (11) Sicut *Orientalem* contra *Baſiliſcus et ANASTASIVS* infeſtarunt, *Eutychianorum* fautores, *Orthodoxorum* acerrimi perſecutores; (12) Denique in *Perſia* Rege *Varane* crudeliſſima in Chriſtianos flagrauit perſecutio, qua multis pelles detractae, aliis capita a fronte ad mentum nudata, alii lacubus nudi incluſi, et muribus famelicis obiecti fuerunt. (13)

Praeter inueteratas vero *Arianorum* et aliorum haereſes, quae exterminari nullatenus poterant, recens hoc Saeculo exortae fuerunt ſequen-
405. tes *Pelagiana*, quam condidit *Pelagius*, natione *Brito*, (14) qui *Adamum*, etiamſi non peccaſſet, moriturum tamen fuiſſe ex naturae conditione ſtatuit, Peccatum Originis impugnauit, ſolique *Adamo* lapſum nocuiſſe, tantam denique arbitrii libertatem poſt lapſum etiam homini ineſſe adſeruit, vt pie viuere, iuſtificari, tandemque ſalvari, modo velit, poſſit. (15) Dicti hi quoque *Coeleſtiani* a *Coeleſtio*, Monacho et *Pelagii* diſcipulo. (16) *Manetis* doctrinam reſuſcitabant, noviſque

viſque deliramentis adaugebant *Fauſtus* et *Felix* 407.
Manichaei, quorum dein peſtiferum dogma CHRI-
STI Eccleſiam haud parum turbauit. (17) Cum
porro *Pelagium* D. *Auguſtinus* viua voce calamo-
que impugnaſſet, ex eius ſcriptis nonnulli de gra-
tia DEI et praedeſtinatione nouum formarunt
dogma, (vnde et *Praedeſtinatiani* dicti) qui vi- 414.
ventibus bonorum operum laborem haud pro-
deſſe, ſi a DEO ad mortem ordinati fuiſſent, tra-
debant, ſicut nec impiis a DEO ad vitam aeter-
nam deſtinatis ſcelera varia ac flagitia obeſſe: (18)
Huic certe errori *Lucidus* in *Gallia* adhaeſit. (19)
Vlterius cum Presbyter quidam *Conſtantinopoli-
tanus Anaſtaſius Mariam Deiparam* dicendam eſſe
pernegaret, Clerusque illius Eccleſiae ſeſe oppo-
neret, et, vt Epiſcopus *Neſtorius* ſua ſe autori-
tate interponeret, inſtaret, hic defenſionem illius 427.
in ſe recipiens duas in CHRISTO adſtruebat per-
ſonas, atque ex *Maria* virgine ſolum hominem
Chriſtum prognatum contendebat, cui poſtea ob
ſanctae et inculpatae vitae meritum diuinitas fue-
rit coniuncta; hinc neque ipſe Mariam θεοτόκον
ſed χριστόκον tantum adpellandam eſſe vole-
bat. (20) Huic inter alios ſe oppoſuit *Eutyches*, 443.
Archimandrita ſiue *Abbas* Conſtantinopolitanus,
at ſatis infeliciter; Siquidem in CHRISTO non
vnicam tantum perſonam, ſed vnicam etiam na-
turam eſſe adſerebat; indeque volebat, in ipſo
incarnationis articulo carnem in diuinitatem fuiſſe
commutatam. (21) Quae haereſis temporibus
ſubſequentibus Orthodoxos admodum inquieta-
vit, varioſque in ramos ſe diffudit, quos inter
Acepha-

Digitized by Google

494. *Acephali* etiam fuerunt, qui ſub Epiſcoporum inſpectione viuere detrectabant, eodem cum *Eutychianis* veneno infecti. (22)

(1) De hac occupatione vrbis praeter alios vide *Ludov. Viuem* praef. in Auguſt. libros de Ciu. DEI. Ipſe *Alaricus* breui poſt relictam vrbem ſubitanea morte fuit extinctus.

(2) *Auguſtinus* l. V, 23. de Ciu. DEI recenſet, ex ingenti illo *Gothorum* agmine multo amplius, quam centum millia proſtrata fuiſſe, ita tamen, vt ex *Romanorum* exercitu ne vnus quidem vulneratus, nedum extinctus fuerit. Tanta captiuorum multitudo fuiſſe fertur, vt viliſſimarum pecudum modo ſingulis aureis paſſim greges venderentur hominum, emtique illico morerentur.

(3) Caeſa vtrinque centena ſexaginta duo millia feruntur, praeter nonaginta millia *Gepidarum et Francorum* ante conflictum publicum noctu ſe interimentium.

(4) Cuius barbariem fugientes multi *Italiae* ciues in Inſulas *Venetas* ſe contulerunt, florentiſſimaeque vrbis prima iecerunt fundamenta. Ab hoc tyranno interemtae narrantur vndecim mille virgines, cum *Vrſula* primiceria, quam recenſionem *Ieſ. Crombach* in *S. Vrſula* vindicata defendere fuit adniſus, merito tamen fabulis adnumeratur. Vid. inter alios *Fr. Paullini* T. II. Zeitkürzend erbaul. Luſt. p. 203. ſeq.

(5) De *Attila Hunnorum* Rege conf. differt. hiſt. *Rudolph. Robtii* Ien. 1679. it. *Paullini* l. c. pag. 68. ſeq.

(6) E *Galliis* pulſi *Vandali* in *Hiſpania* ſedes fixerunt, vnde per *Bonifacium* Ducem a *Valentiniano III*, Imp. irritatum in *Africam* euocati, ferro, flamma et rapinis eam deuaſtarunt, atque *Ariana* labe infecerunt.

(7) Qua per 14. dies direpta *Eudoxia* cum filiabus multiſque captiuorum millibus in *Africam* deportata fuit.

(8) De *prima* contra Orthodoxos in *Africa* a *Genſerico* mota perſecutione Vid. *Victor. Vticenſ.* l. 1.

(9) Quae *ſecunda* in eos fuit perſecutio, prolixe ab eodem l. II. et III. it. a *Greg. Turon. Sigeberto, Nauclero, Cent. Magd. Oſiandro* p. 420 et aliis deſcripta. Ipſe *Hunnericus* tandem merita tyrannorum morte periit, vel vlcere venenato, vermibus ſcatente conſumtus, vel a Daemone correptus, propriisque manibus ſe dilanians, horrendo cruciatu vitam finiit. *Tertia* in *Africanos* Chriſtianos Perſecutio a *Gundabundo, Hunnerici* ſucceſſore, exercita, teſte *Procopio*.

(10) Siquidem a toties iteratis Principum in Occidente mutationibus, ipſoque *Odoacro* gentili, quietis parum in Eccleſia Occidentali fuit.

(11) *Tho-*

(11) *Theodoricus* enim Catholicos reuerenter habuit, imo aulicum quendam, qui, vt maiorem apud Regem gratiam iniret, *Arianiſmo* nomen dederat, ſua interfecit manu, fidum ſibi haud futurum, qui DEO fidem fregiſſet, perſuaſus. Vid. *Boecler.* diſſert. pecul. de Theodorico.

(12) Erat *Baſiliſcus* frater *Verinae* Imp. *Leonis Thracis* coniugis, qui cum in *Zenonem* Imp. inſurrexiſſet, a ſuis proditus, tandem in captiuitate interiit, poſtquam in *Eutychianorum* fauorem haud paucos ex orthodoxis Epiſcopis ſedibus ſuis pepuliſſet. *Encyclicam* contra *Chalcedonenſe* Concilium epiſtolam ſcripſit, apud *Euagrium* l. III. extantem. *Anaſtaſius* Imp. quoque orthodoxos feruentiores exilio multabat, nulla tamen ſanguinis gutta, vt aiebat, vindicare cupiens contraria ſentientes, modo quiete agerent.

(13) Initio ſub *Iſdegerde Perſarum* R. occaſio perſequendi Chriſtianos capta, quod *Audas* Epiſcopus, imprudenti ſatis Zelo ignem, *Perſarum* DEum, ſubuerterat; cum autem Romani pro Chriſtianis ſollicitarent, deſiit Perſa ab iis perſequendis: filius autem *Varanes* a Magis contra Chriſticolas exacerbatus, perſecutionem magis magiſque intendit, vſque a *Theodoſio* iuniore magna clade fuit fractus. Vid. *Socrat.* l. VII. *Niceph.* l. XIV. *Theod.* V, 39. *Cent. Magd.* V, 3. Vulgo tum a gentilibus Chriſtianae religioni imputabatur, per ipſam labefactari Imperium, totque calamitatibus inuolui, cui retundendo *Auguſtinus* libros de Ciu. DEI conſcripſit, *Paulumque Oroſium* ad ſcribendos hiſtoriae libros impulit, quibus contra paganos oſtendit, ab O. C. ad ſua vſque tempora maximas certe calamitates per orbem contigiſſe.

(14) De *Pelagio*, ſincero initio Ecleſiae Doctore, immani praeſumtione in errores prolapſo, Vid. *Spizel.* liter. feliciſſ. p. 241. ſeq.

(15) Docebant praeterea *Pelagiani*, naturam hominis et animam, etiam poſt lapſum, bonam et non corruptam eſſe: baptiſmi neceſſitatem negarunt: peccatum non generatione, ſed imitatione propagari: peccatum nullum eſſe, niſi voluntarium; fidem ex nobis, non ex DEO eſſe, multos per legem, multos etiam ante promulgatam legem, ſuis viribus eſſe ſaluatos: multaque, itaque gratiae contraria adſerebant: denique orationes Eccleſiae eſſe inutiles dicebant, et qui alii eorum fuerunt errores, de quibus vide *Auguſtin. Cent. Magd. Vſſerium* in Britannicarum eccleſ. antiquitt. quibus inſerta eſt peſtiferae aduerſus Dei gratiam a Pelagio Britanno in eccleſiam inductae haereſeos hiſtoria, Dublin. 1639. Lond. 1687. *Heur. Noris* in hiſtoria Pelagiana, et diſſ. de Synodo V oecumenica, in qua Origenis ac Theodori Mopſueſteni Pelagiani erroris auctorum iuſta damnatio exponitur Pat. 1673, Louan. 1702. *Ianſenium Ypreuſem* aduerſus haereſes Pelagianorum et Semi-Pelagianorum, T. I. *Au-*

guſtini Io. Latium in libris II. de Pelagianis et Semipelagianis Harderuic. 1617. *Gerh. Io. Voſſium* in hiſtoria de controuerſiis, quas Pelagius eiuſque reliquiae mouerunt. *Io. Garnerium* in diſſ. pertinentibus ad hiſtoriam Pelagianam. *D. Io. Ern. Schuberti* diſſ. ſiſtens ſyſtematis Pelagiani delineationem, Helmſt. 1751. Eiuſd. diſſ. ſiſtens doctrinam de peccato Originali contra Pelagianos errores aſſertam. ib. 1751. Eiuſd. diſſ. ſiſtens doctrinam de libero arbitrio contra Pelagianos errores adſertam, ib. 1752. Eiuſd. diſſ. ſiſtens errores Pelagianos in doctrina de libero arbitrio ante reformationis tempora ib. 1753.

(16) Praeter *Caeleſtianos* Semi-Pelagiani quoque ſurculus Pelagianorum fuere, *Maſſilienſes* alias dicti, quod *Maſſiliae* praecipue dogma illud ſpargerent, quo hominem ſuam conuerſionem propriis viribus inchoare quidem, haud tamen ſine Spiritus Sancti gratia abſoluere poſſe tradebant. *Io. Caſſianus* Preſbyter *Maſſilienſium* eorum Promachus fuit.

(17) Vid. *Auguſtin.* contra Manichaeos, it. *Magd. Oſiand. Strauchius* de Manichaeiſmo. *Felix* tamen *Manichaeus* cum *Auguſtino* aliquot dies diſputans tandem veritati victas dedit manus.

(18) De his prolixe egit *Aegid. Strauchius* peculiari de Praedeſtinatianis ſcripta diſſertatione Witteb. 1658. *D. Io. Balth. Bernholdi* diſſ. Praedeſtinatianos quinto fuiſſe ſaeculo Alt. 1737. Adde librum ſub tit. *Praedeſtinatus* Saec. V. ſcriptum, qui a quibuſdam *Vincentio*, ab aliis, *Hygino* aut *Primaſio* tribuitur.

(19) Quem *Fauſtus Rhegienſis* ſcripta ad eum epiſtola, impugnauit, errorique illi anathema dixit. Vid. *Baron. A.* 490. n. 18.

(20) *Neſtorius* ex ingenti ſui confidentia in hanc amentiam prolapſus, (Vid. *Spizel.* felic. lit. pag. 210. ſeq.) vnicam Chriſti perſonam, verbis confeſſus, ſimul et per conſequens realem idiomatum communicationem negauit, blaſphemo ore dicens: *Noli gloriari Iudaee, non DEVM, ſed hominem crucifixiſti.* Habetur a quibuſdam pro nepote *Samoſateni*, ſed minus firmiter. *Conſtantinopoleos* Epiſcopus ex preſbytero *Antiocheno* factus, pietatis, modeſtiae allarumque virtutum fucum faciens, ſtatim in prima coram Imperatore habita concione animum prodidit, inquiens: *Da mihi, o Imperator, terram ab haereticis repurgatam, et ego tibi viciſſim coelum dabo: diſperde mecum haereticos, et ego tecum diſperdam Perſas.* Confeſtim itaque magno furore quaſcunque haereſes coepit perſequi, vt vni ſuae patefaceret aditum. De *Neſtorio* vide 3. diſſertationes *Io. Sim. Franci* Witeb. 1670.; et *Calouium* in Neſtorianiſmo antiquo et nouo: it. Apologiam Wolfarthi pro eodem contra D. *Io. Sim.* Theol. Francof. 1683. *Ge. Calixt.* de haereſi Neſtorii Helmſt. 1640. *Kortbold* de Neſtorio: *Schroederum* de Neſto-

Neſtorianiſmo et Eutychianiſmo. *Paul. Ern. Iablonſki* in exerc. hiſt. theol. de Neſtorianiſmo et illa in primis phraſi Neſtorianorum, qua humanam Chriſti naturam templum diuinitatis vocare ſolebant, Berol. 1724. Oppoſuit ei *Paul. Berger* orationem de Neſtoriaſmo, haereſeos conuicto Witt. 1726, et *Henr. Klanſing*, vel potius *C. G. Hofmann* diſſ. controuerſiam Neſtorianam olim agitatam haud fuiſſe Logomachiam Lipſ. 1725. At *Iablonſki* defendit ſeſe in diſſ. theol. hiſt. de origine et fundamento Neſtorianiſmi, Francof. 1728. et hunc *Maturinus Veyſſiere la Croze* in Epiſtola muſaeo hiſt. phil. theol. V. I. P. I. p. 78. inſerta, cui tamen *Hoſmannus* defenſionem diſſert. de controuerſia Neſtoriana, Lipſ. 1731. oppoñit. Praeterea diſſeruit idem *Iablonſki* de origine et fundamento Neſtorianiſmi Francof. 1728. de meritis Neſtorii deque controuerſiae Neſtorianae genuinis fontibus, Francof. 1738. Priorem diſſertationem parti II. *Archibald Boweri* hiſtoriae R. P. in theotiſcam tranſlatae *Rambachius* praemiſit. Exſtat etiam Neſtorii et Neſtorianiſmi admodum copioſa hiſtoria, gallico ſermone conſcripta: *Hiſtoire du Neſtorianiſme par le P. Louis Doucin* Vtrecht, 1716. 4. et *Io. Vogtii* diſquiſitio de recentiſſimis Neſtorii defenſoribus in bibliotheca eius ſaepius laudata T. I. faſc. III. p. 458.

(21) *Eutyches* ſenex impudens, nec in ſacris ſatis doctus, ante coniunctionem Chriſtum quidem ex duabus conſtitiſſe naturis, poſt eam vero ex vna tantum conſtare, nec matri, nec nobis carnem conſubſtantialem habuiſſe voluit, ſed coelo illam deſcendiſſe. Haereſi huic adſenſerunt *Dioſcorus Alexandrinus*, *Seuerus Antiochenus*, *Petrus Fullo*, itidem ſedis *Antiochenae* inuaſor, qui triſagio: *Sanctus DEVS, ſanctus fortis, ſanctus immortalis!* adieciſſe ſcribitur: *qui paſſus et pro nobis:* *Acacius Conſtantinopolitanus*, *Iuuenalis Hieroſolymitanus*, *Thalaſſius Caeſareenſis*, et *Iacobus Zanzalus Syrus*, a quo *Iacobitae* hodienum in Oriente reſidui dicti fuere, multique in *Aegypto* ac *Illyrico* Epiſcopi, quamquam ex his non pauci poſtmodum reſipuerunt. Vid. *Theodor. Althuſius* ſiue *Matth. Zimmermannus* in hiſt. Eutych. *Iac. Baſnagii* diſſ. de Eutychianiſmo eiuſque variis ſectis in *Io. Vogtii* Biblioth. hiſtor. haereſiolog. T. II. faſc. I. p. 56. *Chriſt. Aug. Salig* in tr. de Eutychianiſmo ante Eutychen, Wolfbutt. 1723. *Nicol. Guil. Schroederi* diſſ. de eutychianiſmo et variis eius ſectis Marb. 1746. et alii

(22) Synodo *Chalcedonenſi* hi admodum infeſti erant quod *Eutychiana* haereſis illic damnata eſſet. *Acephalos* hos propterea dictos quipiam volunt, quod nullum certum ſuae factionis caput ac defenſorem haberent. Vid. *Cent. Magd.* it. *Prateol.* de haer. Accenſeri his haereſibus Saeculi V. poſſunt *Abelonii* vel *Abelionitae* ab *Abele* vocari geſtientes, qui rem vxoriam, non ipſas vxores abhorrebant, citra quarum conſortium degere illis

haud licebat, ſed cum continentiae profeſſione cum iis viuebant, puellos et puellas adoptantes: quae tamen haereſis haud diu ſuperfuit. *Timotheus Aelurus* vi et factione contra *Proterium* ſe Epiſcopum *Alexandrinum* creari permiſit, tandem veneno ſibi vitam ademit, *Eutychianorum* defenſor ſtrenuus. *Petri Gnaphaei* errores vide §. II. Saeculi ſeq. VII. *Petrus Mongus* medius inter Catholicos et *Arianos* vtrorumque captauit gratiam, ſed amborum odia incurrit. *Vincentius* quidam, *Victor* dictus, prodigioſa quaedam de anima dogmata tradidit, eam non ex nihilo, ſed ex DEI natura creatam, non Spiritum, ſed corpus eſſe, perdidiſſe aliquod bonum per carnem, quod ante habuerit, et quae fuerè alia. Eum impugnauit *Auguſtinus*.

§. 3. Initio Saeculi in cauſa *Origenis* va-
403. riae in *Cypro*, *Alexandriae* et alibi coactae *Synodi*
eius libros partim accuſant et damnant, partim
vero defendunt. (1) Imo et ob *Ioannem Chry-
ſoſtomum Conſtantinopolitanum* Epiſcopum habi-
tae quaedam eundem exagitant. (2) *Carthagine*
410. coierunt ſaepius Epiſcopi, de Eccleſiae ſalute de-
liberaturi, (3) quibus et *Auguſtinus* interfuit, vbi
Donatiſtarum et *Pelagianorum* damnatae haereſes,
et quouſque *Romani Pontificis* poteſtas ſe exten-
dere debeat, fuit decretum, maxime cum ſub *Ni-
caeni Canonis* praetextu ab *Africanis* exigerent
Zoſimus Bonifacius et *Coeleſtinus Romani Praeſu-
les*, vt ad *Romanam* prouocare ſedem tuto liceret.
(4) *Neſtorius* tranquillum Eccleſiae ſtatum tur-
bis ſuis commouerat, proin vt illum reſt uraret,
431. ſollicitus Imperator *THEODOSIVS II. Epheſum*
Patres conuocat, atque *Concilium Oecumenicum
III.* ibidem A. CDXXXI, celebrat, vbi *Cyrillus
Alexandrinus*, antequam adeſſet *Ioannes Antio-
chenus*, ad *Neſtorianorum* dogmatum examinatio-
nem et condemnationem progreditur; ipſe vero
Neſtorius, fretus praecipue *Ioannis* praeſidio, *Cy-
rillum*

rillum et *Memnonem Epheſinum* itidem condem-
nat, quae contentiones mutuae eo vſque exarſe-
runt, vt Imperator in ipſius quoque *Cyrilli et Ne-
ſtorii* damnationem conſentiret, rem vero melius
edoctus *Cyrillum Ioanni* conciliaret, qui vnanimi
tandem conſenſu *Neſtorium* blaſphemiarum reum
condemnarunt, (5) hicque a *THEODOSIO* in In-
ſulam *Oaſin* relegatus, merito exitu *Arii* ſimili
tandem obiit. (6) *Flauianus Conſtantinopolita-* 449.
nus Epiſcopus Synodum *Conſtantinopoli* indixe-
rat, circa *Eutychis* cognitionem, ibidemque illum
Florentio praeſente, a *Theodoſio* ea de re illuc miſſo
vt haereticum damnat; 7) qui cauſae ſuae diffidens
patronos quaerit *Dioſcorum Alexandrinum* Epi-
ſcopum, et Eunuchum *Chryſaphium* Palatii Prae-
ſidem, quibus apud Imperatorem intercedentibus
Epheſi congregatur Synodus, ληστρικὴ et *praeda-
toria* poſt adpellata, qua praeſide *Dioſcoro* Euty-
chis errores confirmati, *Flauianus* vero Epiſcopus
damnatus, et quod peruerſae reclamaret ſenten-
tiae, calcibus et pugnis adeo contuſus, vt tridue
poſt obierit. Reliqui etiam praeſentes Patres or-
thodoxi ad ſubſcribendum Synodi decretis arma-
ta manu coacti, ſerio eapropter poſt indoluerunt,
(8) Et quamquam *Romanus*, qui tum erat, Epi-
ſcopus *Leo* Magnus apud *THEODOSIVM* vehe-
menter inſtaret de alia indicenda Synodo, qua
ſine vi *Eutychis* cauſa diſceptaretur, viuo tamen
illo impetrare haud quidquam potuit; inde Syno-
do prouinciali *Romae* habita acta *Pſeud-Epheſina* 450.
reiecit, *Eutychem* damnans; quod idem dein au-
ſpiciis *MARTIANI* Caeſaris *Chalcedone* Concilio 1.

IV. *Oecumenico* actum, vbi a 630. Epiſcopis *Eutyches* et *Dioſcorus* cum adſeclis damnati, duaeque in CHRISTO naturae, diuina et humana de-
454. finitae fuerunt; (9) vtque ſedi *Conſtantinopoli-*
462. *tanae* ob *Flauiani* necem admodum moerenti aliquantiſper ſatisfieret, ea impoſterum *Alexandriae* atque *Antiochenae* praelata, *Romanaeque*, contradicente quamuis huius Epiſcopo *Leone*, fuit ae-
454. quata. (10) Ne *Agathenſem*, (11) *Turonenſem*,
480. (12) *Romanas* (13) et *Tarraconenſem* (14) memorem Synodos, quibus circa *Clericos* et diſciplinam Eccleſiaſticam multa conſtituta; nec de-
476. nique *Carthaginenſem*, ſub *Hunericho Vandalorum Tyranno* agitatam, qua *Ariana* impietas contra orthodoxiam ſtabilita, et *Homouſiani* poſt varias, quibus inuoluebantur, calumnias, diriſſimis plagis onerati, ſedibuſque ſuis pulſi fuerunt. (15)

Ceterum *hoc Saeculo* ex *Patribus* floruerunt praeter *Io. Chryſoſtomum*, Patriarcham *Conſtantinopolitanum*, (16) *Hieronymum*, qui maiori ex
400. parte *Bethlehemi* habitauerat, non tamen, vt in eo ſalutis quid poneret, (17) et *Aurelium Auguſtinum*, Epiſcopum *Hipponenſem* in *Africa*, per *D. Ambroſium* indefeſſis *Monicae* matris precibus ex *Manichaeo* conuerſum, (18) ſuperiori ex Saeculo adhuc reſiduos Eccleſiae Doctores celebratiſſimos,
410. *Atticus Conſtantinopolitanus*, (19) *Chromatius*
420. *Aquilegienſis*, (20) *Eucherius Lugdunenſis*, (21) Epiſcopi, *Io. Caſſianus Conſtantinop.* (22) *Maximus Epiſcopus Taurinenſis*, (23) *Simplicianus Me-*
430. *diolanenſis*; *Cl. Marius Victorinus Maſſilienſis*, in *Geneſin*

Geneſin ſcripſit, *Cyrillus Alexandrinus Neſtorii*
impugnator ſtrenuus, (24) *Palladius Hibernen-*
ſis, (25) *Poſidonius Afer*, (26) *Vincentius* Mona-
chus et Preſbyter *Lirinenſis*; (27) *Hilarius Are-* 440.
latenſis, (28) *Iſidorus Peluſiota*, (29) *Iunilius* (30)
et Primaſius (31) *Africani; Flauianus Conſtan-* 450.
tinopolitanus, (32) *Gennadius* itidem Patriarcha
Conſtant. (33) *Marcus* Eremita, (34) *Nilus Con-*
ſtantinopolitanus, ex praefecto Monachus factus,
(35) *Petrus Rauennatenſis*, (36) *Proſper Aquita-* 460.
nicus, *Reginenſis*; Epiſcopus; (37) *Sidonius Apol-* 480.
linaris, (38) *Saluianus Maſſilienſis* preſbyter, (39)
Vigilius Tridentinus; (40) *Alcimus Auitus Vien-* 490.
nenſis, (41) *Claudianus Mamertus Gallus*, (42) et
Fauſtus Regienſis (43) cum aliis. (44) *Nonnus* 420.
Panopolitanus Paraphraſin Graece in *Ioannis* Euan-
gelium edidit. (45) Eccleſiae denique *hiſtoriam*
conſcripſerunt *Paulus Oroſius* Preſbyter Hiſpa-
nus, l. VII. *aduerſus Paganos*, quibus vna cum
Praeceptore *Auguſtino* horum refellit calumnias,
ac ſi Chriſtiana Religio tantam ruinam, per bar-
baros concitaſſet Imperio, (46) *Sulpitius Seue-* 430.
rus; (47) *Eutropius* de geſtis *Romanorum*, (48)
Victor Vticenſis de rebus *Vandalicis*, (49) *Socra-*
tes, (50) *Sozomenus* (51) *et Theodoretus Cyri*
Epiſcopus.

(1) Praecipue autoritate *Theophili Alexandrini* ab *Epiphanio Cyprio* habitae aliquot Synodis *Origenes* eiuſue libri damnati fuere obſtante nequicquam *Chryſoſtomo*, qui de iis in plena Synodo prius cognoſci voluit, *Origenemque*, quantum potuit, defendit.

(2) *Theophilus* Alex. ex inimicis *Chryſoſtomi* non vltimus, *Chalcedone* cum plurimis Epiſcopis conuenerat, praeſenteque Imp. *Arcadio* variorum criminum *Ioannem* accuſatum depoſuerat. Verum

Verum plures alii Epiſcopi, iuſſu Imp. reuocatum ex exilio *Ioannem* reſtituerant. Alia tamen *Conſtantinopolitana* denuo exturbat *Chryſoſtomum*.

(3) *Carthaginenſi* IV. Synodo, A. 401. habita, multa fere puerilia conſtituta fuere, circa diſciplinam Eccleſiaſticam, quae in *Tomis Conciliorum* et Hiſt. Magd. videri poſſunt. Vta A. 416. *Pelagiani* damnati, et Canones VIII. contra eoſdem conditi.

(4) *Apiarius* vel *Apianus* preſbyter *Africanus*, ob ſcelera ab *Vrbano* Epiſcopo ſuo excommunicatus, *Romam* ad *Zoſimum* Pontificem confugerat, qui inaudita parte altera eum innocentem pronunciatum in communionem recepit, et per legatos *Carthaginem* miſſos *Apiarii* receptionem, et Epiſcopi ſui excommunicationem, denique libertatem prouocandi ex *Africa Romam* vrſit, idque ſub praetextu *Canonis Niceni*, quem, cum Synodo VI. A. 419. et VII. Anno eod. vel ſequ. *Carthagine* congregati Patres neque in ſuis, neque veris Eccleſiarum Orientalium primariarum exemplaribus inuenirent, ſed fraudem *Romanam* deprehenderent, reiecerunt, neque prouocationem Romanam permiſerunt, atque ita iugum Pontificum *Zoſimi, Bonifacii et Coeleſtini* a ſuis ceruicibus depulerunt, quod et in *Mileuitana* Synodo factum. Vide *haec prolixius* in Röm. Pabſtethron. l. I. 7. n. 6. ſeq. pag. 137. ſeq. *Flac.* de primatu Papae.

(5) *Cyrillus Alexandrinus*, cum *Neſtorius* ad priuatas eius literas ab errore neutiquam abſtineret, in Synodo *Alexandrina Neſtorium* damnauit, conſcriptis XII. anathematiſmis, quos *Neſtorio* tranſmiſit. Vid. *Oſiand.* c. XII. l. II. H. E. quibus *Neſtorius* alios et contrarios oppoſuit; quod autem *Neſtorius* in magna apud Imperat. *Theodoſium II.* aulicoſque gratia floreret, initio Imperatorem non adeo beneuolum *Cyrillus* habuit: qui tamen *Epheſum* conuocauit Concilium Oecumenicum ad feſtum *Pentecoſtes*, in quo antequam *Ioannes Antiochenus* adeſſet, a CXXX. Epiſcopis *Neſtorius* cum ſuo dogmate damnatus, et dignitate Epiſcopali priuatus fuit; et quamquam *Ioannes* cum quibusdam aliis contradiceret, ipſumque *Cyrillum* cum *Memnone* damnaret, *Neſtorium* contra per triennium defenderet, et ſecum retineret, tandem tamen pax inter *Ioannem et Cyrillum* reſtituta fuit, *Ioanne* ſincere fidei et pacis literas ad *Cyrillum* ſcribente, parique concordia *Cyrillo* reſpondente. Conf. de Concilio Epheſino diſſert. *M. Godeſchalci*; it. *F. Chriſtianum Lupum* de eod. Concilio, qui actis Concilii multa adiecit, et contra hanc *Lud. Maimburgium* in vita Leonis M. P. R.

(6) Quod a blaſphemiis haud abſtineret, poenas dedit, dum terra rupta coopertus atque oppreſſus ſcribitur, poſtquam linguam illius vermes depaſti eſſent. Alii tamen tradunt, eum in monaſterium *Euprepii* reuerſum, tandem terrae adliſum periiſſe.

7) Quod

(7) Quod blaſphemiam, qua ex duabus naturis Dominum noſtrum ante adunationem fuiſſe, non vero poſt eam, confitebatur, retractare nollet.

(8) Prae ceteris *Domnus Antiochenus*; Romani autem Pontificis legati infecta re diſceſſerunt. Vid. *Euagr. Zonar. Nicephor. Hiſtor. Magd. Oſiandr.*

(9) Decretum huius Concilii qua fidem ex parte recenſet *Oſiander* l. III. 10.

(10) Conf. Pabſtsthron. l. I, 3. §. 3. ſeqq

(11) In *Gallia Narbonn.* ab Epiſcopis XXXV. celebrata, pro corrigendo ſtatu Eccleſiaſtico, qui tamen multa ſuperſtitioſa admiſcuerunt.

(12) Itidem haec ſanciuit XIII. Canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes.

(13) *Romae* non vna hoc Saeculo habita Synodus ſed plures. Namque *Coeleſtinus* Papa inſtituit Synodum contra *Neſtorium*, qua eius haereſin condemnat! A. 465. alia ibidem celebrata Nicenas canones firmauit, et Epiſcoporum ordinationem ſanxit. Sub Papa *Felice* tres ibidem habitae, quarum de *Petro Mongo* prima inquiſiuit, ſecunda Legatos Romanos cum *Mongo et Acacio* communicantes damnauit: tertia de lapſis quibuſdam recipiendis nonnulla decreuit.

(14) Et haec circa diſciplinam Eccleſiaſticam haud pauca ordinauit.

(15) Memoratis his Synodis adiici poſſunt huius Saeculi aliae: vt *Alexandrina* contra *Neſtorium*, a *Cyrillo* conuocata; *Andegauenſis*, quibus Canones XIII. ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantes conſcripti. *Antiochena*, de concordia inter *Ioannem Antiochenum* et *Cyrillum* reſtauranda egit. *Arauſicana* I. et *II.* contra *Pelagium*. *Carpentoratenſis* de diſciplina eccleſiae nonnulla ordinauit. *Cirtenſis Cirtae* in *Numidia* A. 412. *Donatiſtarum* haereſi repagulum obiecit. *Dioſpolitana Dioſpoli in Palaeſtina* habita *Pelagium*, virus ſuum obtegentem abſoluit. *Milenitana I.* quae, quod ex tota Africa coierint Epiſcopi, generalis dicitur, quorundam Epiſcoporum cauſas examinauit. II. *Pelagii* haereſin reiecit, canoneſque quoſdam Eccleſiaſticos ſtabiliuit. *Rhegienſis* in *Italia* itidem Eccleſiae nonnulla ordinavit. *Toletana I.* concilii *Niceni* obſeruationem et alia quaedam ſanxit. *Vaſenſis*, et aliae multa, non tamen magni ponderis ſtatuerunt.

(16) De quo ſup. Saec. n. 42.

(17) Conf. Epiſt. *Hieron. Stridonenſis*; hic patria, parentibus Chriſtianis, at tenuis fortunae, natus, *Romae* baptizatus, Grammaticam ſcholam frequentauit, inde *Galliam*, *Iudaeam* et *Syriam* peragrans, *Ebraeam* linguam exacte didicit, ſimul autem ab *Arianis* miſere fuit adflictus, vnde horridae ſe ſolitudini commiſit, ſcriptis profanis maximo ſtudio intentus, a quo ſingulari ſomnio reuocatus ſcribitur. Poſt quadriennium inde

reuerſus, preſbyterium accepit, ſed *Romam* denuo reliquit, atque in Orientem redux, variis ſub Praeceptoribus ſtudia continuauit, tandemque *Bethlehemi* conſedit, ab omnibus eruditis ſui temporis maximo in pretio habitus, quamquam ob nimiam cum quibuſdam virginibus *Paula*, *Melanica et Euſtochio* habitam familiaritatem male a quibuſdam audiret. Obiit A. CCCCXX. vel CDXXII. *De ſcriptis eius naeuisue Gerhardus*, *Oſiander*, *Meelf. Cocus*, *Riuetus*, *Bellarminus et alii.* Vitam eius peculiariter deſcripſerunt, *Gennadius*, *Eraſmus*, *Guadalupus*, *Maffaeus*, *Marianus*, *Victorius*, *Io. Cinellius et alii.*

(18) Vita *Auguſtini* ſummatim expoſita haec eſt: Patria *Tagaſtenſis* a *Patricio* et *Monica* Chriſtianis recens conuerſis natus, prima ſcientiarum fundamenta in pueritia iecit, et Philoſophiae ac latinae linguae, Muſicae item et Arithmeticae eximiam nauauit operam, ſed a Manichaeis deceptus, ipſorum conſortio per 9. annos adhaeſit, inter vitia iuuentutis merito laſciua cum concubinis conſuetudo refertur, ex quarum vna filium *a Deo datum* ſuſcepit. Cum autem in *Fauſto Manichaeo* liberalium diſciplinarum et ſacrae eruditionis profundioris ignorantiam deprehendiſſet, dubitare de *Manichaeae* profeſſionis veritate coepit, vſque partim diuino monitu, partim *Ambroſii Mediolanenſis* penetrantibus ſermonibus oculi aperirentur, ad falſitatem illam et haereſin abiiciendam. Quo facto, et baptiſmo ſuſcepto, preſbyter *Hipponenſium*, eximia cum praerogatiua, vt docendi ſcilicet ſimul poteſtatem haberet, quae alias eo tempore Epiſcopis tantum competebat, poſt Epiſcopi *Valerii* mortem Epiſcopus *Hipponenſium* conſtitutus veri Doctoris munus exaſſe impleuit. Tandem cum a *Vandalis* aliiſque barbaris nationibus *Hippon* acri premeretur obſidio, ad ardentiſſimas preces miſeriis, quae Africanas expectabant Eccleſias, praereptus, anno aetatis 76. obiit, relicta ſcriptorum ingenti farragine, ex quibus tamen genuina a ſpuriis, item, quae *Manichaeo* adhuc errore infectus ſcripſit, ab orthodoxis probe ſecernenda: de quibus multoties hactenus citati Autores, nec minus *Spizelius* in theatro honoris et alii videri poſſunt. V. eius vita auctore *S. Poſſidio* Calanenſi epiſcopo ad MStos codices recenſita notiſque illuſtrata, opera et ſtudio *D. Io. Salinas* Neapolitani, Can. Reg. Lat. ac Sacrae Theol. Lect. Rom. 1731.

(19) In iuuentute *Macedonianus*, ab errore illo poſtea reſipuit; in veterum Oratorum ſcriptis cumprimis verſatus, et eloquentia ſingulari inſtructus, ſuperſtitionibus infenſus, erga pauperes benignus, *Neſtorianam* haereſin clam irrepentem maſcule refutauit; *Chryſoſtomo* tamen prae ceteris infeſtus, eius adſeclas perſequi clandeſtine non deſtitit: quamquam eidem mortuo, quem timere non amplius poterat, hunc detulit honorem, vt eius memoriam inter orthodoxos publice recenſeret.

(20) *His*

(20) *Hieronymo* familiaris *Papae* quoque nomine inſignitur, vnde nomen illud olim Epiſcopis commune fuiſſe indubium. De ſcriptis eius vid. ſup. Saec. n. 52.

(21) Quem ad ſequens alii Saec. et forſan haud immerito reiiciunt: per pueri indicium ad *Lugdunenſem* Epiſcopatum vocatum ſcribunt. De huius ſcriptis conf. Autores multoties nominatos.

(22) Patria *Scytha* fuit, qui difficiles et longinquas ad adipiſcendam verae fidei cognitionem peregrinationes ſuſcepit. *Chryſoſtomus* eum Eccleſiae *Conſtantinopolitanae* Diaconum conſtituit, vnde *Conſtantinopolitanum* dixi, quamquam *Maſſilienſis* demum in *Gallia* preſbyter factus dicatur. *Pelagianis* deditum fuiſſe docent *Gerhardus*, *Oſiander*, *Meelfuhr.* et alii; De eius ſcriptis vid. iidem.

(23) Animoſus *Eutychii* impugnator, ex eius ſcriptis praeter homilias nihil ſupereſt.

(24) Cui oratio ſuauis tum ipſis rebus, tum eius dignitati ex aequo reſpondens, differendi autem tanta fuit ſubtilitas et acrimonia, tantum rationis acumen et robur, tam exuberans doctrinae copia, denique tanta conuincendi haereticos energia et efficacia, vt ipſe exemplum optimo iure proponi omnibus mereatur, qui de rebus ſacris myſteriiſque diuinis diſſerere incumbunt. Eius certamina contra *Neſtorium* ſupra n. 5. exhibita. Scripta eius quae et qualia fuerint, vide apud *Bellarm. Riuet. Gerb.* et complures alios.

(25) Natione Graecus, Diaconus *Romanus*, poſt in *Scotiam* a Coeleſtino miſſus, eius incolarum et exinde forſan *Hibernorum* Apoſtolus factus eſt.

(26) *Poſſidius* alias dictus, Epiſcopus *Chalamenſis Donatiſtarum* impugnator, a quibus dira multa perpeſſus, pro autore tamen ſceleris interceſſit.

(27) *Vincentius* hic initio miles et ſecularis, poſt in Inſula *Liuia* in Mari *Icario* ſita, monaſterio ſe incluſit, preſbyterque factus, aduerſus haereticos ſcripſit libro, qua partem adhuc reſiduo, reliqua ipſo adhuc viuente, deperdita. Quipiam eum *Pelagianiſmi* ſuſpectum reddere conantur, Eum *Auguſtini* obtrectatorem *Io. Antelmius* in diſſ. Criticis de veris operibus *Leonis M. et Proſperi Aquil.* facere conatur, it. *Henr. Noriſius* in Hiſtor. Pelag. vindiciis, qui ſimul pleroſque Saec. V. Epiſcopos Semipelagianiſmi incuſat.

(28) Initio Monachus, bona diſtribuit pauperibus, poſt *Arelatenſis* Epiſcopus, *Bonifacii et Coeleſtini* Romanorum Pontificum fauorem meruit, ſed cum in Gallia Epiſcopos ſceleratos deponeret, nec in ea re autoritatem Rom. Pontificis expectaret, in *Leonis M.* odium incurrit, quod tamen neutiquam extimuit.

(29) A

Digitized by Google

(29) A monte *Peluſio* dictus, Monachus et *Chryſoſtomi* diſcipulus fuit: propter inſignem vitae morumque ſanctitatem ϑεοφόρος adpellatus; decem Chiliades epiſtolarum ſcripſiſſe fertur, de quibus, praecipue haud ita multis reſiduis *Cocus*, *Gerb. alii.*

(30) Philoſophiae et ſacrarum literarum probe gnarus, ſcripturae interpres dexterrimus, duos libros de partibus diuinae legis reliquit.

(31) *Primaſius* patria *Vticenſis*, Epiſcopus *Iuſtinopolitanus*, Auguſtini diſcipulus, haereticorum confutator eruditiſſimus, quosdam reliquit ingenii foetus, praecipue in Epiſtolas Paulinas et Apocalypſin. De quibus vide *Voſſ. Oſiand. Gerb. alioſne.*

(32) De *Flauiano* quanta a Dioſcoro paſſus, et quomodo vita functus fuerit, dictum ſuperius §. 2. Incidit in eam perſecutionem non tantum ex amore profeſſae veritatis, ſed etiam ex odio Imp. *Theodoſii*, cuius ſorori *Pulcheriae* clam mentem fratris ſcripſerat, eam coelibatui mancipare volentis. Haec tamen poſt corpus eius *Epheſo Conſtantinopolin* magna pompa translatum condidit.

(33) Cui varia miracula adſcribuntur. Vid. *Theodor. Euagr. Niceph.* Ex eius ſcriptis quicquam amplius reſtat.

(34) Initio fuit Monachus, poſt eremiticam vitam ſectatus, *Chryſoſtomi* diſcipulus; ex reliquis eius ſcriptis hodie ſuperſunt *gnomae de lege ſpirituali, it. de iis, qui ſe putant iuſtificari ex operibus*, de quibus, et naeuis eius, vide *Gerhard. Oſiandr. Meelfuhr.* et alios.

(35) Vrbis praefectus erat potens et diues, quique uxorem habuit ac libros, quibus tamen relictis vitam Monaſticam eſt amplexus. Pauciſſima ſcriptorum illius pars hodie reſidua eſſe dicitur. *Gerhard.*

(36) Vir ſanctus, qui multos a religione vera alienos conuertit. Vid. *Oſiandr.* c. V. p. 326.

(37) De quo tamen non concordant omnes, vtrum *Reginenſis* fuerit Epiſcopus. Ceterum in proſa et ligata oratione verſatiſſimus, quaedam reliquit ſcripta, quorum cenſuram vide apud *Meelfuhrerum et Oſiandrum.*

(38) Ortus illuſtri genere, poſt iacta ſtudiorum fundamenta, politicis officiis et militiae incubuit, ſuaque virtute filiam *Auiti* Imp. in vxorem meruit, poſt cuius caedem *Auernis* datus Epiſcopus inuitus, haud obſtante quod etiam tum adhuc maritus eſſet, eccleſiae in multis profuit: iniurias, quibus eum duo preſbyteri adfecerant, grauiter vltus eſt DEVS. Eius ſcripta recenſent Aa. citati.

(39) Ino poſtmodum Epiſcopus doctiſſimus, reliquit *libros VIII. de prouidentia et iudicio DEI, item IV. de Eccleſia.*

(40) *Ro-*

(40) *Romae* natus, aetatis anno 20. *Tridentinae* Eccleſiae praefectus maritatus, eius ciuitatis incolas complures adhuc idololatras Chriſto adduxit, et a paganis tandem lapidibus obrutus, martytii coronam reportauit, Haereticos ſui aeui ſtrenue impugnauerat. Eius ſcripta videſis apud *Abr. Sculteum* in Med. Patr. p. 4. p. 475. ſeq.

(41) Ab aliis *Auitus Alcimus* dictus; de quo *Gregor. Turon.* l. II, 34. *Arianos, Neſtorianos, Eutychianos et Sabellianos* impugnauit, et *Burgund. R. Gundebaldum* ab *Arianiſmo* reduxit. Reſtant eius metra in Geneſin et Exodum.

(42) *Sidonio* hic admodum familiaris, fratris natu maioris, Epiſcopi *Viennenſis* fidelis adiutor, opus ſcripſit *de ſtatu animae*: Reliqua deſiderantur.

(43) Ex Abbate *Lirinenſi* Epiſcopus, de cuius ſcriptis iudicia Doctorum vide apud *Gerb.* et *Meelfuhr.*

(44) Superſunt omnino longe plures huius Saeculi Patres, itidem haud incelebres, quos nominaſſe ſufficiat: *Acacius Conſtantinopolitanus*, (de cuius controuerſia cum Rom. Pontificibus, et inde orto ſchiſmate inter vtramque Eccleſiam vide *Korth.* H. E. pag. 195. ſeq it. *M. Anton. de Dominis* l. VII, 10. de Rep. Eccleſ. n. 135. ſeq.) et alius eiuſd. nominis *Amidenus*, qui in captiuorum liberationi vaſa ſacra impendit. *Alexander Antiochenus*, pacis et concordiae admodum ſtudioſus. *Alipius Tagaſtenſis* in patria Epiſcopus, Auguſtini ante et poſt conuerſionem ſocius. *Baſſianus Laudenſis* vel *Lauduuenſis*. *Briccius*, *Martini Turonenſis* ſucceſſor, de quo multa *Petrus de Natalibus*, fabularum conſarcinator ſcripſit futilia. *Deo gratias* Epiſcopus *Carthaginenſis*, tempore luctuoſiſſimo, qui itidem diuenditis vaſis ſacris captiuos e barbarorum manu redemit. *Domnus Antiochenus* depoſitus. *Epiphanius, Ticinenſis*, *Eugenius Carthaginenſis*, *Euphemius Conſtantinopolitanus*. *Euſebius Dorylaeus*, *Neſtorii* impugnator imperterritus; *Flauitas Conſtantinopolitanus*, *Germanus Antiſiodorenſis*, ex praefecto vrbis Epiſcopus; *Heſychius Nazianzeni* diſcipulus, ſcriptor Eccleſiaſticus, praeter alios Chiliaſticum reiecit errorem. *Iba Edeſſenus* v. *M. Io. Chriſt. Meiſneri* diſſ. de Iba Edeſſeno, Vit. 1718. *Iuuenalis Hieroſolymitanus*: *Lupus Trecaſſinus*. *Martinus*, reliquorum facile primus *Turonenſ.* Epiſcopus natione *Pannonius*, cuius vitam *Seuerus Salicius*, *Venantius Fortnnatus*, et *Gregor. Turonenſ.* it. *Bened. Paullinus Petrocorius* expoſuerunt. *Pauſophius Nicomedienſibus* a *Chryſoſtomo* ingratiis datus; *Paulinus Nolanus*; *Petrus Moggus vel Mongus Alexandrinus* et *Eutychianus*; *Polychronius Hieroſolymitanus*; *Proclus Conſtantinopolitanus*, magnae autoritatis vir, quamquam eſſet placidiſſimus et manſuetus, *Chryſoſtomi* corpus *Conſtantinopolin* referri, et magno cum honore ſepeliri curauit. *Quod vult DEVS* Diaconus *Carthaginenſis*, *Auguſtino* admodum familiaris. *Remigius Gallorum et Francorum* Apoſtolus; *Simeon Stylites*, a columna 40. cubitorum,

Digitized by Google

rum, in qua cellulam vix bicubitalem ſibi conſtruxerat, dictus, v. *Frid. Georg. Lautenſack* diſſ. de Simone ſtylita thaumaturgo Vitemb. 1700. *Syneſius, Ptolemaidis* Epiſcopus quam functionem ſibi imponi coactus fuit, vtut vxoratus eſſet, et quoad vixit, maneret, v. *Mart. Chladenii* Syneſii θεολογουμενα Vitemb. 1713. *Petr. Adolph. Boyſen* Syneſii φιλοσοφουμενα Hal. 1714. *Timotheus Aelurus, Alexandrinus, Eutychiano* veneno infeſtus.

(45) *Nonnus Panopolitanus* ab *Heinſio* Arianiſmi fruſtra tamen vt *Rich. Simon* in hiſt. Crit. praecipuorum Commentat. in Nou. Teſt. c. XXIII. videtur inſimulatur. *Auguſtini et Hieronymi* diſcipulus fuit *Oroſius*, erudituſſimus Hiſtoriographus, niſi, quod rerum Rom. non adeo fuerit peritus. Impugnauit quoque *Pelagianos*.

(46) De quo vide *Mollerum* peculiari diſſertatione, Alt. 1686. habita, quem *Chriſtianum Salluſtium* a nitido dicendi genere dicunt, v. *Chriſt. Breithaupti* diſſ. de Sulpitii Seueri ſtilo Hal. 1713.

(47) Et huius hiſtoriam dedit *Mollerus*.

(48) Praecipue de perſecutione, quam *Vandali* in Africa contra orthodoxos excitarunt. *Caſimirus Oudin* in ſupplem. de ſcriptoribus Eccleſ. cum *Chifletio* eum rectius *Vitenſem* quam *Vticenſem* dici contendit.

(49) Incepit hiſtoriam a fine *Euſebii* ſiue A. C. 313. et continuauit libris VII. vſque ad A. C. 441.

(50) Orſus ab A. 323. perfecit vſque ad *Theodoſium* II. cui libros ſuos dedicauit.

(51) Qui praeter complura alia a ſe relicta ingenii monumenta, Hiſtoriam Eccleſiaſticam a Conſtantino M. vſque ad *Theodoſium II.* condidit. De cetero initio a *Neſtorii* partibus ſtetit, ſed demum reſipuit, *Cyrillo* conciliatus. Vid. *Meelfuhr. Gerh. Io. Garnerium* Ieſ. in opere poſthumo, operum *Theodoreti* Tomo V. diſſ. I. et ſeqq.

§. 4. *Iudaeorum* hoc aeuo miſerrimus erat ſtatus; vbique exturbabantur ob varias ſeditio-
414 nes, maxime *Alexandriae*, (1) contra Chriſtianos motas: In Inſula igitur *Creta* (quae *Candia* hodie audit (cuidam deceptori, qui pro *Moſe* ſe ven-
432 ditabat, atque in *Palaeſtinam* ſe eos reducturum pollicebatur, adhaerentes, ſicco pede tranſire mare iubentur, at creduli complures perierunt, ſeducto-

ductore nuſquam comparente. (2) Ab iis *Talmud Babylonicum* plane confectum nugis, fabulis, 476.
ac in DEVM blaſphemiis copioſe refertum, deque eo conſtitutum fuit, vt omnes eius libri conſtitutiones tantam haberent efficaciam, ſicut ea, quae in Moſaica lege a DEO conſtituta ſunt. (3)

Gentiles claruerunt ſequentes: *Sextus Rufus* V. C. hiſtoriae *Romanae* conditor, (4) *Cyrus* 410.
Panopolita, *Decius Auſonius Burdegalenſis*, (5) et *Terentianus Maurus* Poetae. (6.)

(1) Qua in vrbe jam ab *Alexandri* M. temporibus conſederant Iudaei. Vid. *Socrat.* VII, 13. *Niceph.* XIV. 14.
(2) Vide apud *Socrat.* l. VII, 37.
(3) Vid. ſup. ad Saec. II, §. 4. n. 4. it. *Schindleri* Lex. Pentaglotton p. 948. ſeq.
(4) *Volaterranus* nominat *Feſtum Rufum.* Vid. *Moller.*
(5) Cumprimis facit ad *Hiſtoriam Burdegalenſem.*
(6) Exſtat in *Grammaticis veteribus Elia Putſchii.* Porro *Fortunatus et Coluthus* Poetae, et *Proba Falconia*, ac Imperatrix *Eudoxia* Poetriae inclaruerunt.

SAECVLVM VI.

§. I.

Haec aetas magnum Eccleſiae tulit incrementum, dum *Saxonibus* et *Germaniae* nonnullis populis per *Willebrordum Wilfridum*, alioſque 528.
verbum CHRISTI adnunciatum, quod tamen in eorum cordibus firmas haud fixit radices. (1)
Friſia, *Weſtphalia* cum *Belgio* fide hac eorundem 540.
Apoſtolorum opera illuſtratae fuerunt; ſicut et *Scandia* eadem religione imbuta: (2) *Vandali* porro, (3) *Sueui*, (4) *Alani*, (5) *Gepidae*, (6) *Heru-*

566. *Heruli*, (7) *Quadi*, (8) *Boii*, (9) *Franci* (10) aliique *Germani*, maxime *Langobardi*, (11) exuta ſuperſtitione *Chriſtianis* ſacris adſuefieri coepe-
574. runt. Denique *Armenii* et *Iberi*, (12) deſerta olim ſacra denuo colere cum *Britannis* (13) coeperunt, *Abyſſini* quoque Aethiopes, (14) et *Saracenorum* (15) non pauci eadem ſacra profeſſi fuerunt. (16)

(1) Factum id Doctorum *Anglorum et Scotorum* opera quippe in *Anglia* tum potiſſimum bonae florebant literae, et ex ea multi prodibant Eccleſiae Doctores: quamquam, ſi res rectius expendatur, in finem ſequentis VII. et initium VIII. Saeculi conuerſio ea referenda erit. Vid. infer. ad Saec VIII. §. 1. Non tamen negauerim, hac aetate priuatim in *Germania* complures Chriſtianae doctrinae nomina dediſſe, quamquam integrae regiones Chriſtianiſmum haud fuerint amplexae; et nouelli Chriſtiani vel perſecutionum acerbitate preſſi, vel haereſium abyſſo abrepti oriam Euangelii lucem denuo amiſerint.

(2) *Scandia* ſiue *Scandinania* tribus ampliſſimis *Norvegiae*, *Sueciae et Gothiae* regnis diſtincta, ſub Imp. *Iuſtino II.* prima de Chriſto hauſiſſe ſemina dicitur.

(3) Recenſiti populi fere omnes Germanicae fuerunt originis. *Vandali* ſiue *Vindili* in extrema Septentrionis Germaniae ora primo conſiſtentes, inde in magis mediterranea loca mouentes, cum *Sueuis Pyrenaeos* montes transgreſſi, *Hiſpanias* occuparunt, ſaeculoque V. regnum condiderunt in *Africa*, ex qua in *Italiam* inuitati, *Romam* ceperunt

(4) *Sueuorum* circa *Danubium* patria fuit.

(5) *Alani* ad *Tanais* ripam conſediſſe putantur.

(6) Qui Pannoniae olim incolae erant.

(7) Ex *Germanorum* oris in *Italiam* cum *Odoacro* R. penetrantes, Imperio Occidentali finem impoſuerunt: cum ab Imp. *Iuſtiniano* benigne et humaniter exciperentur, non tantum agreſte vitae genus, ſed et ſuperſtitionem auitam depoſuerunt, Chriſtiani facti.

(8) *Quadorum* ſedes inter *Boiobaemiam*, *Danubium et Marum* flumen olim erat, quorum tamen nomen poſtea ad iuga vſque *Sarmatica* protenſum fuit.

(9) *Boii Boiobaemiae* initio incolae, a *Marcomannis* illuc pulſi, in eas tranſmigrarunt oras, quae hodie *Boicaria* audit, atque inibi ope *Ruperti* aliorumque Doctorum Chriſti fidem admiſerunt. Conf. *M. Velſeri* librum IV. rerum Boiicarum.

(10) *Fran-*

(10) *Franci* praecipuum tractum *Rheno et Viſurgi*, *Oceano et Moeno* concluſum incolebant, *Bructeri* olim quoque adpellati.

(11) Horum ſedes fuiſſe creduntur in *Marchia media*, inter *Albim et Viadrum*, nomenque ab armorum genere, quo vtebantur, longioribus ſcilicet bipennibus, vel, iuxta alios, a prolixa barba gerebant; inde in *Pannonia*, expulſis *Hunnis*, conſederunt, et ex hac in *Italiam* vocati, regnum conſtituerunt, quod hodie adhuc *Lombardia* audit. Hi itaque *Langobardi* manus Chriſto victas porrigentes, *Ariana* lue initio infecti, ab ea tamen ope *Barbati* Epiſcopi *Beneuentani*, et poſt *Gregorii M.* Papae liberati fuerunt.

(12) Hi ſub *Iuſtino II.* Imp. per totum regnum publice Chriſti fidem ſunt amplexati, *Perſarum* idolomania teiecta.

(13) Qui et ipſi antea Eclipſin fidei Chriſtianae fuerant paſſi, ſed hoc et ſequenti Saeculo reducti, praecipue *Ethelberius* vel Ethelbertus *Cantuarienſium* Rex, per coniugem *Bertham* ad fidei ſacrae profeſſionem fuit permotus.

(14) Quorum Rex Adad bello vouit difficili, ſi hoſtes vinceret, ſe Chriſtianam religionem amplexurum, quod et voti reus praeſtitit. Quamquam celeberrimus *Io. Ludolf.* in hiſtor. Aethiopica, recte adſerat, Saeculo iam IV. *Frumentii* opera *Habeſſinos* Chriſto fuiſſe adductos.

(15) Horum Princeps *Alamundarus* baptiſmo initiatus fuit, et orthodoxiam contra Eutychianos, ficta Archangeli *Michaelis* morte, ſtrenue defendit.

(16) Vid. *Cent. Magd.* VI, 2. *Hott.* H. E. VI. ſeq. 2. *Theatr. conu. gent.*

§. 2. Vt autem ſecuritatis ſomno indormientem Eccleſiam excitaret *DEVS*, immiſſis variis calamitatibus ſoporem oculis ſuorum excuſſit. Hinc praeter horrenda diuinae irae ſigna, terrae motus, cataclyſmos, luem peſtiferam, ſeditiones, incendia, montiumque rupturas, (1) clades etiam ab hoſtibus extrinſecus inferri paſſus eſt; Non enim *ANASTASIVS* modo *Eutychianus*, Orthodoxos in exilium eiecit, (2) ſed et *Theodoricus* in *Italia Oſt-Gothorum* Rex, quod *IVSTINVS* Imperator *Arianos* vndique pelleret, perſecutionem in fideles ſtrinxit, (3) *Coſroes Perſa*, (4) *Mamucha*

mucba Saracenorum Regulus; (5) et *Chramnus* in *Gallia* crudelem in pios animum exercuerunt. (6)

Veteres *haereſes* hoc *Saeculo* dabant adhuc *Arianos*, *Neſtorianos*, *Eutychianos*; et hi quidem
517. in varias ſectas diffuſi nomen fecerunt *Monophyſitis*, qui auctoribus *Dioſcoro Alexandrino*, *Gnaphaeo* et aliis vnam tantum in CHRISTO naturam diuinam et duas ſubſtantias ſtatuerunt; (7) iidem etiam, quod Deitatem crucifixam fuiſſe ad-
536. fererent, *Theopaſchitae* vocati; (8) *Aphthardotocitis*, qui carnem CHRISTI e virgine *Maria* adſumtam ante paſſionem incorruptibilem credebant, in quam etiam haereſin *IVSTINIANVS*
584. Caeſar prolapſus, (9) *Iacobitis*, a *Iacobo* Syro adpellatis, qui praeter eundem errorem paruulos quoque inuſto ſtigmate circumcidebant, et peccatorum confeſſionem ſoli DEO faciendam eſſe tradebant; (10) vnde in *Armeniam* delati *Armenianorum* nomen receperunt. (11) *Condobabditae* a loco quodam hoc nomen ſortiti, alium Patrem, Filium et Spiritum S. eſſe dicebant, non autem horum quemquam per ſe ipſum naturam habere, ſed communem potius DEVM in iis exiſtentem. (12)

(1) Vid. *Oſiand.* Cent. VI, paſſim, it. *Hotting.* H. E. VI. ſ. I, p. 307. ex Euagrio, *Zonara* aliiſqe antiquis ſcriptoribus.

(2) Abrogatis initio, quantum in ſe, *Concilii Carthaginenſis* decretis, per *Henoticum* vnionem inter diſtractas Eccleſias reſarcire ſtuduit, quod cum haud ſuccederet, conſtantes Concilii *Chalcedonenſis* defenſores acriter inſectatus fuit, iiſque eiectis *Eutychianos*, aut certe illos, qui neutrarum erant partium, ſubſtituit. V. *P. E. Iablonſki* exerc. de morte tragica imperatoris Anaſtaſii Dicori, Francof, 1744.

(3) *Theo-*

(3) *Theodoricus* hic *Veronenſis Ioannem* Rom. Pontificem, quem cum aliis ad Imp. *Iuſtinum I.* pro *Arianis* miſerat, reducem, quod *Iuſtinum* Imp. *Conſtantinopoli*, iuxta quorundam recenſionem, coronauerat, atque ita cum eodem in ſuam regnique *Gothici* perniciem conſpiraſſe arbitrabatur, foediſſimo incluſit carceri, orthodoxis iniquior redditus, cum prius nollet ſua cauſa quemquam a fide deficere, quam corde ſemel probaſſet, imo perfidum Diaconum interimeret.

(4) Anteceſſorem in hac ſaeuitia habuit R. *Cabadem* patrem ; ipſe autem *Coſroes* ſub finem vitae conuerſus ſcribitur ab *Euagrio*.

(5) Iuſto DEI vindicis iudicio poſt cum exercitu et C. nauibus maris vorticibus adſcriptus fuit alter hic *Pharao*.

(6) *Chramnus* non in Chriſtianos modo, ſed et parentem R. *Clotharium* et fratres crudelis, a patre bello petitus, captus, atque a militibus cum vxore et filiabus ruſtico tuguriolo incluſus et exuſtus eſt.

(7) *Io. Philoponus Grammaticus*, ſcripto ſophiſtico eorum errorem palliare auſus fuit. Ipſae certe Eccleſiae in *Syria* hac haereſi multum fuere turbatae. *Dioſcoriani* alias vocantur, ſub quibus hodie comprehenduntur *Iacobitae*, *Cophtae* vel *Cophtitae*, *Abaſſeni*, et *Armeni*.

(8) De quibus Nicephorus et alii. Vid. prolixe Elench. haereſ. apud *Gualt.* in Chron. Eccleſ. T. II p. 353. ſeq.

(9) Ita *Euagrius*, *Nicephorus* et quam multi alii. Sed rectius orthodoxiam eius defendere nititur CL. *Schurzfleiſch*, differt. peculiari de *Iuſtiniano* orthodoxo. Ceterum qui Chriſti corpus humanis paſſionibus ſtatuebant obnoxium, *Corrupticolae*, item *Seueriani* aliiſque nominibus ab altera parte fuerunt adpellati. Vid. *Kortbold*. pag. 200. *H. E.*

(10) De ſecta *Iacobitarum* prolixus eſt *Calixtus* in adparatu p. 107. it. peculiari diſſertatione *M. Iacobi* Lipſ. 1685. qua inter eorum dogmata quoque tacenſet, eos baptiſmum quoque die quadrageſimo a natiuitate percipere, in cuius memoriam dein quotannis Epiphanias feſto ſe aquae ſacratae immitrant; ſua coram DEO peccata confitentes thus adolent, tanquam cum eodem ſua peccata conflagrantes; quamquam et alii magno rigore ſuorum peccatorum veniam a ſacerdotibus ſuis impetrent. Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie infantibus quoque porrigunt; iuſtorum animas in terris ad diem iudicii manere, ibidemque vltimum Chriſti aduentum expectare credunt. Conf. *B. Gerhard*, de Eccleſ. Coptica. *Io. Henr. a Seelen* in Ioſephi Abuedani hiſtoria Iacobitarum Lubec. 1732. *C. H. Trommlerus* in der Abbildung der Jacobitiſchen oder Coptiſchen Kirche, Jen. 1749. *Diedericus Reinholdus* in diſſ. de Coptorum ſacramentis baptiſmi et euchariſtiae Lipſ. 1736. Sic *Habeſſini* horum perſuaſione a Catholica Eccleſia defecere, *Iacobitarum* Patriarchae placita ſequentes.

 (11) Conf.

(11) Conf. eundem *Gerb.* de ſtatu Armen. Eccleſ. et Polit.

(12) Initio hi *Seueritae* a Monacho *Seuero*, hinc *Theodoſiani*, *Angelitae* et *Damianitae* adpellati fuerunt, de quibus *Niceph.* XIIX, 49. Merito accenſendi his veniunt *Agnoetae* ex Saeculo IV. renati, de quibus *Korth.* H. E. p. 201. ſeq. *Deuterius Arianus Conſtantinopoli* quendam baptizaturus dixit: *Baptizetur Barbas in nomen Patris per Filium in Spiritu Sancto*, ſed aqua euanuit, *Olympius* in balneo S. S. Triadem blaſphemans ignito iaculo coelitus delapſo combuſtus eſt.

§. 3. *Imperatores* pariter atque *Patres* orthodoxi haereſibus his, inſtitutis *Conciliis* editisque ſcriptis acriter contradixerunt. Synodi quaedam *Romae* congregatae de ſchiſmate *Symma-*
502. *chum* inter et *Laurentium* cognouerunt; (1) *Iler-*
510. *denſis* (2) et *Valentina* in *Hiſpania* (3) multa cir-
512. ca ritus *Eccleſiaſticos* conſtituunt. Iuſſu *ANASTASII* heterodoxi *Sidone* Epiſcopi *Eutychiani* congregati *Neſtorianos* pariter, et qui *Chalcedonenſem* Synodum defendebant, repudiantes, perverſa *Eutychis* dogmata propagabant; (4) indeque cum Imperator Τρισαγίῳ addere iuberet, *qui paſſus eſt pro nobis*, ingens *Conſtantinopoli* excitata fuit ſeditio. (5) *Aureliani* quoque *Clodovaci* Regis imperio coiere *Epiſcopi Gallicani*, de diſſoluto Eccleſiaſticorum ſtatu et emendatione cogniturі. (6) Quamquam vero *ANASTASIVS Hormiſdae* Romano Pontifici id vrgenti ſaepius de inſtituendo Concilio Oecumenico ſpem iniecisſet, implere tamen illam haud ſuſtinuit. Eo vero defuncto *IVSTINVS Thrax* Orthodoxos pulſos reuocat, atque varias in Oriente Synodos
520. celebrari permittit; (7) ſicut et ſub *IVSTINIANO* contra *Eutychianos* initio ſtatim regiminis inſtitu-

inſtitutae *Eutychianis* obices poſuerunt; (8) Cumque ob *Eutychis* non modo venenatum dogma, ſed et *Origenis* quaſdam locutiones incommodas haud leues in Eccleſia exurgerent motus, idem Imperator conuocatis 150. Epiſcopis *Conſtanti-* 553.
nopoli indixit Synodum, vulgo *Oecumenicam* V. dictam, qua *Eutychianorum* et *Neſtorianorum* dogmata reiecta, (9) et *Theodorus Mopſueſtenus, Neſtorii* praeceptor; (10) *Theodoretus* eiuſdem adſecla, et *Iba* cum *Origene* etiam damnati fuerunt. Memorantur porro Synodi *Aureliae,* (11) 545.
Auerni, (12) *Turonii,* (13) *Pariſiis* in Gallia, (14) 550. 566.
Hiſpali (15) et *Toleti* (16) in *Hiſpania*, *Mati-* 584.
ſcone (17) denique in *Gallia* habitae, quibus Ec- 587. 588.
cleſiae partim negotia tractabantur, partim vero de Regnorum tranquillitate conſultabatur. (18)

Coeterum celebriores *Patres* hoc *Saeculo* ex- 503.
titerunt *Fulgentius Ruſpenſis,* (19) *Helpidius Ruſticus*, (20) *Olympiodorus*, (21) *Procopius Gazaeus;* (22) *Antonius* Epiſcopus *Conſtantienſis,* 510.
(23) *Ennodius Ticinenſis,* (24) *Eugypius, Preſbyter et* Abbas; (25) *Au. Manlius Seuerinus Boe-* 520.
tius, (26) *Brigitta Scota,* (27) *Ioannes Maxentius* 530.
Pictauienſis, (28) *Benedictus* Abbas. *Caſſinenſis*, Monachorum Occidentalium auctor, (29) *Ruſticus* 540.
Diaconus *Romanus;* (30) *Dionyſius Exiguus,* Abbas *Romanus*, *aerae vulgaris* conditor, quique de feſto Paſchali eiuſque cyclo ſcripſit; (31) *Iu-* 550.
ſtus Orgellitanus Epiſcopus, (32) *Medardus Nouicomenſis*, (33) *Victor Africanus Tunenſis,* (34) *Gregorius Magnus*, Epiſcopus *Romanus*; (35) *Venantius Honorius Clementianus Fortuna-* 570.

tus, *Pictauienſis* in Gallia Epiſcopus, (36) *Anaſtaſius Antiochenus*, (37) *Columbanus Hibernus*;
590. (38) *Aretas Caeſareenſis*. (39) *Ioannes* Epiſcopus *Conſtantinopolitanus*, (40) *Rupertus Wormatienſis* (41) et pauci alii. (42) *Hiſtoriae* ſcribendae nauarunt operam *Iornandes* Epiſcopus *Gothorum*, qui huius populi recenſet Hiſtoriam. (43) *Epiphanius* Scholaſticus (44) *M. Aurelius Caſſiodorus*, qui praeter alia ex *Socrate*, *Theodoreto et Sozomeno* Hiſtoriam *Tripartitam* concinnauit; (45) *Euagrius* horum continuator, (46) et *Gregorius Turon.* (47) Floruerunt praeterea *Auitus Alcimus Viennenſis*, (48) *Arator Italus*, (49) *et contius* Poetae. (50) Tanta autem tum barbaries fuit in Italia, vt ipſe *Gregorius M.* teſtetur, *ſe Graeca neſcire, nec eſſe Conſtantinopoli, qui latina Graece conuertere poſſet.* *Iuris* autem ſtudia Imperator *IVSTINIANVS* plane collapſa reſtituit, indeque *Codicem*, quem ex ſuo nomine *Iu-*
529. *ſtinianeum* vocat, manus adhibente *Triboniano*
533. promulgat, qui idem cum aliis ex diffuſis antiquiſſimis legibus *Inſtitutiones et digeſta* congeſſit, (51) ſimulque *Caeſar* tria *Iuris* Gymnaſia, *Romae*, *Conſtantinopoli* et *Berythi* inſtituit, quibus illud doceretur. (52)

(1) De factioſa *Symmachi* R. P. electione, quae circa finem Seculi ſuperioris contigit, vid. der Röm. Pabſtthron l. I, 7. p. 156. it. *Oſiandr.* Cent. VI. l. I, 9. ſeqq. de Synodis v. ſex *Romae* in hac cauſa habitis vide Tom. II. Concil. p. 467. ſeq.

(2) Conditi hic Canones XVI. ad diſciplinam Eccleſiaſticam facientes. Vid. Tom. II Conc. p. 535. ſeq.

(3) Sex huius Canones videſis apud *Oſiandr*, l. I, 18.

(4) Damna-

(4) Damnata hic eſt doctrina *Concilii Chalcedonenſis*, cum orthodoxis Epiſcopis *Flaniano Antiocheno et Elia Hieroſolymitano*, qui ſolum vertere coacti fuerunt.

(5) Initio quidem *Anaſtaſii* Synodum *Chalcedonenſem* defendere et impugnare prohibuit; poſtmodum vero illam plane damnauit. Duplex autem ſeditio orta ſub hoc Imperatore, prior propter depoſitum *Macedonium* Epiſcopum *Conſtantinopolitanum*, tanto quidem tumultu, vt pueri cum foeminis in plateis exclamarint. *Tempus martyrii eſt, o Chriſtiani, Patrem nemo deſerat*; hinc poſterior, vel etiam tertia, ob additum Symbolo τρισάγιον et verba: *Qui crucifixus es pro nobis*. Hic Imperator, pullata veſte, ſine diademate in circum prodiens, paratum ſe ad deponendum imperium praeconis voce edixit, modo digno de ſucceſſore ciues conuenirent. Conf. *Euagr*. l. IV, 44. *Theodoret*. l. II, *Niceph*. l. XVI, 45.

(6) *Cent. Magd*. c. 9. p. 475. *Oſiandr*. l. I, 25. vbi Capitula eius 31. vel 33. a totidem Epiſcopis confecta recenſentur.

(7) Vt *Conſtantinopolitana*, in cauſa *Seueri* Epiſcopi *Antiocheni* haeretici, qui propterea damnatus, orthodoxi autem exules reuocati, et defuncti in ſacros indices, quos diptycha antiqui vocare ſolebant, relati fuerunt.

(8) Quod duplici Synodo *Conſtantinopoli* ſub *Iuſtiniano*, aliiſue alibi habitis factum.

(9) *Vigilius* Epiſcopus *Romanus* cum aliis ex *Italia Conſtantinopolin* venerat, Synodo tamen, quod in ea altiorem reliquis ſedem obtinere haud poſſet, multoties licet ab Imp. et Patribus rogatus, intereſſe noluit. Canones hoc Concilio, ſeu potius anathematiſmi XIV. haereticis et *Origeniſtis* oppoſiti, ipſeque *Origenes* damnatus fuit. Conf. de Concilio hoc *Steph. Baluzium* in noua collectione Conciliorum.

(10) De blaſphemiis *Theodori Mopſueſteni* vide *Spizel*. lit. fel. it. de Atheiſmo p. 177. et quam ſerio *Chryſoſtomus* eundem ex errore reuocare, ſed fruſtra adniſus fuerit, idem auctor in lit. feliciſſ. p. 236. ſeqq. recenſet, v. *Io. Chriſt. Meiſneri* diſſ. de Theodoto Mopſueſteno, Vit. 1714.

(11) Concilium *Aurelianenſe* II. Canones ſanxit 21. vel 22. de Clericis, matrimoniis aliiſue III. A. 540. vel 541. vetera confirmauit, nouaque decreta addidit. IV. A. 545. (quamquam alii in A. 556. reponant,) de celebratione Paſchali aliiſue decreuit, conditis Capitulis 38. V. A. 552. vel 558. contra *Eutychen et Neſtorium* alioſue ſectarios, nec minus circa diſciplinam Eccleſiaſticam Canones XXIII. confecit. Tom. II. Conc. p. 547.

(12) Vel *Aruerni*, qua a quindecim Epiſcopis Canones diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes partim veteres repetiti, partim noui adiecti, 16. vel plures conditi.

(13) Concilium *Turonenſe* II. ſub R. *Chariberto* legibus XXIIX, conditis quotannis Synodum celebrare, et cuiuſuis loci pauperibus proſpicere iubet.
(14) Bona hic Eccleſiae contra inuaſores vindicata.
(15) De ſeruis ab Epiſcopo libertate donatis, et coelibatu Clericorum tribus Canonibus egit.
(16) Synodo *Toletana* II. Canones IV. de Clericis ſanciti, et conſanguineorum coniugia prohibita. *Leouigildus* hic R. *Gothorum* ſimul decreuit, ex Catholicis ad *Arianos* deſciſcentes non eſſe rebaptizandos, ſed tantum manuum impoſitione recipiendos, cum hac formula: *Si det gloriam Patri per Filium cum Spiritu S.* Vnde multi tum *Arianis* acceſſerunt, III. vero R. *Recaredus* expulſis *Hiſpania Arianis* omnes Hiſp. Epiſcopos A. 582. vel. 589. conuocauit. et cum iis veram fidem ſtabiliuit, ſimul ordinans, vt ante ſacrae Euchariſtiae vſum Symbolum *Conſtantinopolitanum* recitetur: vnde *Catholici* cognomen meruit.
(17) Tres Synodi *Matiſcone* Saec VI. habitae. I. Exemit inter alia Clericos iuriſdictione ſeculari, et Chriſtianis Iudaeorum conuiuia interdixit, horumue petulantiam coercuit. II. Prohibuit diebus dominicis operas Oeconomicas, et cauſas ciuiles, templaque aſyla conſtituit Canonibus XX. ab Epiſcopis LX. confectis. III. Praeter nonnullis Epiſcoporum deciſas controverſias mulieres homines eſſe decreuit.
(18) Adiici memoratis poſſunt adhuc aliae. *Agathenſis* in *Gallia Narbonnenſi*, R. *Alarico* habita, eius, vtut *Ariani*, ſalutem Domino commendauit, circaque mores Eccleſiae nonnulla conſtituit. *Antiſiodorenſis* in A 590. ponitur, qua 45. Canones compoſiti ad Eccleſiaſticam diſciplinam et monaſticam obſervantiam ſpectantes. *Arauſicana* II. circa A. 529. *Pelagianos et Semi Pelagianos* ex *Auguſtino* dignis lectu Canonibus XXV. impugnauit. *Arelatenſis* III. de Miniſtrorum Eccleſiae ordinatione et aliis ſtatuit *Bracarenſis* I. 17. Capitula contra *Priſcillianiſtas* et 22. de rebus Eccleſiaſticis confecit. II. vero Eccleſiaſticam diſciplinam ordinauit. *Cabilonenſis* fidem *Nicenam* et *Chalcedonenſem* ſtatuminat, ac Canones 19. ordinat, *Salonium* item et *Sagittarium* Epiſcopos deponit. *Caeſaraugustana* a 12 Epiſcopis habita clerum reformat. *Conſtantinopolitana* A 536. *Anthimus* cum complicibus damnatus, et ab Imp. proſcriptus fuit. Alia ibidem A. 547. habita Vigilius P. R. damnationi trium capitulorum ſubſcripſit. A. 587. vel 590. habita illic Synodus in cauſa *Gregorii Antiocheni*, qua inter alia *Ioanni* Epiſcopo vrbis Regiae, Epiſcopi ſiue Patriarchae Oecumenici nomen fuit conceſſum, quod ingens inter vtramque Eccleſiam Orientalem et Occidentalem Schiſma peperit. *Epaunenſi* R. *Burgundiae Sigiſmundus* ditionem *Arianis* purgat, et collapſam diſciplinam Eccleſiaſticam reſtaurat. Sic *Gerundenſi* conditi canones X. a 7. Epiſcopis. *Lucenſis* in *Gallicia*

Gallicia pro confirmatione fidei Catholicae nonnulla ordinat. *Lugdunenſis I.* de quibuſdam Epiſcopis quaepiam decernit. II. de coelibatu leges ſancit. *Metenſis* Epiſcopum *Rhemenſem Egidium* Regi ſuo rebellem deponit. *Mopſueſtana* in vrbe *Ciliciae Theodorum* olim *Mopſueſtenum* damnauit. *Narbonenſis* canones ſancit eccleſiaſticos. *Pictauienſis* in cauſae abbatiſſae alicuius et monialium cognoſcit. *Romana Acoemetarum* ſententiam reiecit, orthodoxorum vero doctrinam, recte adſerentium, vnum e Trinitate in carne paſſum eſſe, ſtatuminauit. *Santonienſi Emerius* Epiſcopus, quod a R. *Clothario* ſine cleri conſenſu intruſus erat, depoſitus, ſed a *Chariberto* R. reſtitutus fuit. *Tarraconenſis* Canones Clericis praeſcripſit 13. *Vaſenſis Kyrie eleiſon* frequentius repeti, in omnibus Miſſis *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, cani, et *Gloria Patri*. addici voluit; *ſicut erat* etc. Hae potiores Saeculi huius erant Synodi.

(19) Ex Monacho ob eruditionis claritatem, vitae aſperitatem et fidei ſinceritatem factus Epiſcopus, Arianos haereticos fortiter impugnauit, propterea etiam ter in exilium pulſus, ſuae ſemper redditus fuit eccleſiae, De ſcriptis eius naeuiſue Conf. *Rivet. Cocus, Gerh. et alii.*

(20) Scripſit conſolationem et carmina ſacra.

(21) Quo vixerit hic praeciſe tempore, haud ſatis patet, nonnullis eum recentiorem multum facientibus. De ſcriptis eius Conf. *Gerhard.* etc.

(22) Vid. ſis de hoc eundem Auctorem.

(23) Eius extat conſolatoria ad exulem *Atticam.*

(24) Legatione functus iuſſu Papae *Hormiſdae* ad Imp. *Anaſtaſium.* Reſtant eius epiſtolae libris 12 Panegyricus *Theodorico Oſt Gothorum* Regi dictus, cum Orationibus aliis.

(25) *Fulgentio* admodum familiaris, ſcriptorum *Auguſtini* quaſi epitomator.

(26) *Anicius Manlius Torquatus Seuerinus Boetius* Senator et Conſul Romanus vndiquaque doctiſſimus, iuſſu R. *Theodorici Ariani* capite cum *Symmacho* Socero plexus fuit. Narrat *Baronius*, eum poſt amputationem caput in vicinum templum deportaſſe, flexiſque genibus Euchariſtiam accepiſſe, atque ita DEO Spiritum reddidiſſe. Credat, qui velit: De eius ſcriptis vide *Poſſeuin.* in adpar. ſacro, *Bellarmin. Gerhard.* etc.

(27) *Liber reuelationum*, ſub eius extans nomine, plenus fabularum eſt anilium. Vid. *Oſiand. Gerh.*

(28) Abbas ſcriptis pariter ſe celebrem fecit, et miraculis inclaruiſſe traditur. At Saeculo hoc mendaci eius generis miracula frequentiſſima ſomniant nugigeruli.

(29) *Narſinenſis* patria vitae auſteritati adeo deditus *Benedictus* fuit, vt 12. monaſteria conderet, ſinguliſque ex diſcipulis quendam praeficeret. Miraculis itidem clarum narrant Pontificiorum relationes. Eius vitam ſcripſerunt *Gregorius M. Chronica Caſſinenſia, Trithemius, Bonifacius Simonetta, multique alii,*

alii; nouiſſime vero *Io. Mabillon* in actis ſanctorum Ord. S. Benedicti.

(30) Impugnauit ſcripto *Acephalos*.

(31) Monachus et Abbas *Romanus* fuit, natione Scytha, qui A. 532. omiſſa profana et conſueta antea computatione ab Imperio *Diocletiani*, numerare coepit ab annis nati Chriſti, quamquam biennio vulgaris illa aera minor ſit vera, iuxta *Scalig. Caluiſ.* et alios, quos, item *Gerh. Strauch.* et alias vide.

(32) In *Canticum Canticorum* commentatus fuit.

(33) *Viromontenſem* ſedem *Nouicomum* tranſtulit, denique Epiſcopus *Tornacenſis* factus. Dies illius natalis (id eſt emortualis, hunc enim Eccleſiaſtici ſcriptores natalem dicunt) pro critico habetur, quod eodem aqua calida pluiſſe dicitur. De miraculis eius vide *Petrum de Natalibus*.

(34) Scripſit *de bellis Eccleſiaſticis*, it. *de ratione fidei Catholicae*.

(35) Eruditione et generis nobilitate clariſſimus, moderatione et humilitate inſignis, vnde Pontificum Rom, qui *boni* nuncupari poſſunt, iuxta *Calixtum* vltimus. De eius ſcriptis vide *Bellarm. Riuet Gerh.* in Conf. Cathol. et Patrolog. De naeuis et ſcriptis ſuppoſititiis *Cocum*, *Meelfuhr.* etc. Vitam eius expoſuit *Maimburg* qui tamen iuſſu *Innoc.* XI. P. R. fuit prohibitus.

(36) Scriptis et exemplo ad mitiorem et meliorem vitae cultum reuocauit, multaque proſa et ligata oratione, item hymnos compoſuit. Vid. *Oſiand.* Cent. VI. pag. 235. *Poſſeuin.* in adparatu.

(37) Ex Monacho *Sinaita* (vnde *Anaſtaſius Sinaita* (dicitur) Epiſcopus *Antiochenus* ab Imp. *Iuſtino II.* in exilium eiectus, ſed a *Mauritio* reuocatus, vehementis fuit ingenii, Monacho cuidam alapas impingere haud veritus, ſequenti tamen die defunctus. De eius ſcriptis confer *Gerhardum* in Patrolog

(38) *Scotorum Pictorumque* in Chriſtiana religione Doctor fuit *Columbanus*.

(39) Non confundendus cum *Andrea Caeſareenſi*, qui Graecum Commentarium in *Apocalypſin* ſcripſit, ex quo *Aretas Caeſareenſis* ſuum in *Apocalypſin* compendium depromſit.

(40) De quo Saeculo ſequenti plura.

(41) Inſigni vitae integritate hic deditus, *Theodonem Bauarorum*, ducem Chriſto adduxit, atque in *Bauaria*, *Auſtria*, *Styria ac Norico* multos Saluatori lucrifecit. Tandem Epiſcopatum *Iuuanienſem* ſiue *Salisburgenſem* condidit, ibidemque obiit.

(42) Hos inter numerantur *Ephrem Antiochenus*, qui ſe *Iacobo Syro*, *Iacobitarum* anteſignano, maſcule oppoſuit. *Epiphanius* Tyri maluit Epiſcopatu cedere, quam in abrogationem Chalce-

donenſis

donenſis Concilii conſentire. *Euphemius Conſtantinopolitanus*, ab *Anaſtaſio* Imp. Chirographum ſuum, quod ante coronationem eius extorſerat, repetente, excommunicatus et depoſitus. *Ferrandus* vel *Fernandus* Diaconus *Carthaginenſis*, magnae pietatis et autoritatis, edidit collectionem Canonum. *Germanus Pariſienſis*, multa ſanctitatis, doctrinae ac liberalitatis laude decoratus. *Leonhardus* Epiſcopus *Lemonicenſis*, monaſtica vitae admodum deditus, varia patraſſe miracula fingitur. *Liberatus* Archidiaconus *Carthaginenſis* breuiarium collegit cauſae *Neſtorianorum et Eutychianorum*. *Macarius Hieroſolymitanus*, propter Origenis ſcripta nimis a ſe defenſa initio deſtitutus, poſt vero, cum iis renunciaſſet, reſtitutus. *Macedonius Euphemii* ſucceſſor ab *Anaſtaſio* Imp. haeretico depoſitus et necatus. *Sabas* Monachus *Anaſtaſii* iram contra *Eliam* Hieroſolymitanum mitigauit, apud *Iuſtinianum* magno in pretio habitus. Denique *Victor Capuanus* de *Cyclo Paſchali* ſcripſit.

(43) A nonnullis *Iordanus* dicitur, qui an cum *Iornande* idem, non ſatis conſtat.

(44) *Tripartitae hiſtoriae* Latinus Interpres.

(45) Senator hic Romanus, et R. *Theodorico* ab epiſtolis, tandem monaſticam vitam amplexus, praeter hiſtoriam tripartitam *libros XII. de rebus Gothorum* concinnauit, ex quibus *Iordanus* Epiſcopus *Rauennae* compendium fecit. Vid *Gerb.* Patrol. it. *CL. Molleri* diſſert. Circul. de *M. Aurel. Caſſiodoro.*

(46) Scholaſticus *Conſtantinopolitanus*, in fine *Socratis, Theodoreti et Sozomeni* orſus, ad annum 12. *Mauritii* Imp. pertexuit.

(47) Mirae fuit credulitatis, vnde fabularum hamaxarius; ſcripſit *de rebus Francorum*. Vid. *Gerb. Meelfuhr. etc.*

(48) De quo ad Saec. Sup. §. 3. n. 41.

(49) *Romanus* ſubdiaconus, *Acta Apoſtolorum* carminice deſcripſit.

(50) Carmen de opere creationis ſex dierum condidit, eruditum et inſigne.

(51) Initium fieri voluit Imperator a *Codice*, qui ex *Gregoriano*, conſtitutiones Principum ab *Hadriano ad Valerianum et Gallienum* complectente *Hermogeniano*, ſanctiones ſequentium Impp. vſque ad *Diocletianum et Collegas*, et *Theodoſiano*, Chriſtianorum Impp. placita continente conſtabat, promulgato A. 529. d. 7. Febr. vel Idibus Aprilis, vt alii volunt. *Inſtitutiones* promulgatae fuerunt A. 533. 21. Nou. Et *digeſta ſiue Pandectae*, in quibus ex bis mille Prudentum libris conſarcinandis triennio viri 16. deſudarunt, demum A. 533. d. 21. Dec. publicatae fuerunt. Vid. *Hiſtoria iuris*. Denique cum poſt editum Codicem Imp. diu ſupereſſet, varias ipſe ſanxit conſtitutiones, quae *Nouellae* dicuntur.

(52) De *Gymnaſio iuris Berytano* conf. diſſert. *Io. Strauchii de Beryto.*

§. 4.

§. 4. *Iudaiſmus* paucos Orbi celebres *hoc Saeculo* dedit; Vocantur hi *Geonim*, quaſi *ſapientes*, qui *Talmudicae* interpretationi vnicam nauabant operam. (1)

520. Ex *gentilibus* autem et profana literatura claruerunt *Tribonianus*, *ICtus* quidem egregius, at homo paganus et impius; (2) *Heſychius Mileſius* celebrium literis virorum contexit Catalogum; (3) *Agathias Scholaſticus*, ſui temporis hiſtoricus, (4) *et Procopius Caeſareenſis*; (5) *Suidas* Dictionarii Graeci, Hiſtorici et Grammatici
540. auctor; qui tamen Chriſtianis ſacris fuit imbutus. (6) *Io. Philoponus Grammaticus*, (7) *Proclus Lycius Byzantinus*, (8) *Marinus Neapolitanus et Simplicius* (9) Philoſophi.

(1) Ipſi *Iudaei* hoc Saeculo, vbi occaſio ſe offerebat, animum Chriſtianis infenſiſſimum opere demonſtrabant, Regeque quodam *Iuliano* ſibi creato graues in *Palaeſtina* ſeditiones excitarunt, iugum Romanum excuſſuri, ſed ſuo malo. Vid. *Cedrenus*, it. *Oſiand*. Cent. VI. p. 80. 102. Ex iis tamen quipiam ad Chriſtum conuerſi ſcribuntur, praecipue *Conſtantinopoli*, ob puerum in fornace ardente viuum ſeruatum. *Euagr*. l. IV, 35.

(2) Cuius opera in congerendis iuris voluminibus vſus fuit Imp. *Iuſtinianus*.

(3) Non confundendus hic eſt cum *Heſychio Hieroſ*. ſuperioris Saeculi Patre; vocatur alias *Heſychius Illuſtrius Mileſius*, ſed *Diogenem Laertium* fere exſcripſit. Vid. *Thomaſ*. de plag liter. n. 460. et *Iuſt. Chriſt. Thorſchmidii* diſſ. de Heſychio Mileſio Vitemb. 1716.

(4) *Murinae* in *Aſia* natus, Aduocatus *Smirnenſis*, inter *ſcriptores Byzantinos* extat, de Imperatore *Iuſtiniano* eiuſque geſtis.

(5) In cenſura ex reprehenſione *Iuſtiniani* nimius, ſub quo Orator et cauſidicus praeclarus fuit, notarius item ac Comes *Beliſarii*, dedit libros VIII. *de bello Perſico, Vandalico et Gothico*, it. *Anecdota*.

(6) Cuius opus hiſtoriae variae neceſſarium plurima ſcriptorum amiſſorum fragmenta exhibet. Ceterum fuit hic *Syriani Alex.* diſcipu-

diſcipulus. Vtrum autem plagiariis accenſendus, vid. *Thomaſ.* l. c. n. 550. ſeq.

(7) Refertur ad Interpretes *Ariſtotelis*, in cuius obſcuriores libros commentatus eſt, et *Monotheletarum* aliorumque haereſin defendit.

(8) Alias *Diadochus* dictus, Mathematicus et Philoſophus *Platonicus*, cuius diſcipulus fuit *Marinus*.

(9) Scripſit in *Epictetum*, item alia Philoſophica.

SAECVLVM VII.

§. I.

Miſera Eccleſiae huius Saeculi facies eſt. Sen-
ſit equidem varia incrementa, dum *Angli* 635.
mediterranei, (1) et in his etiam *Saxones Orien-
tales et Occidentales*, *Picti et Hiberni*, atque *Ger-
manorum* non pauci, inque his *Weſtfali*, (2) per
Suibertum, *Friſii* per *Wilfridum*, *Francique* Orien- 680.
tales per *Kilianum* Monachum, qui *Würzburgi*
conſediſſe putatur, (3) aliique per *Bonifacium
Anglum*, (4) *Germanorum* Apoſtolum, Chriſto
nomina dare inciperent. (5) At quae libera
hactenus ab internis preſſuris fuerat, non parum
hoc Saeculo coepit opprimi.

(1) Ex ſuperioris Saeculi hiſtoria ciuili patet, quomodo *Anglo-Saxones ex Germania* in *Britanniam* vocati, a *Pictis* eam non modo defenderint, ſed et ſui iuris poſtmodum fecerint, variaque in eadem regna conſtituerint. Cum autem *Britanni* iamtum Chriſtiana ſacra colere coeperint, hoc Saeculo *Angli* ſenſim ad eadem perducti fuerunt. *Cantuarienſes* quippe, *Northumbli*, *Angli mediterranei* et *Mercii* Chriſto partim a Chriſtianis coniugibus, partim a victoribus fuere adſociati: cumque *Saxones Orientales*, peſte adflicti, ad idolorum cultum relaberentur, breui tamen ad Chriſtum reuerſi fuerunt, eademque felicius et *Saxonibus Occidentalibus* in *Anglia* contigit.

(2) Primi in conuertenda hac gente duo *Ewaldi*, *Albus* et *Niger* a capillorum diuerſitate dicti, vterque ex *Anglia* Saxo deſudaſſe feruntur. Reliqui autem, *Wilfridus Suibertus*, et alii

ad

ad ſequens ſaeculum potius, quam ad hoc referendi videntur.

(3) De *Kiliano* hoc, natione Scoto, legendae varia narrant, praecipue eum, poſtquam *Goſberte*, *Franconiae* Duci, coniugium cum fratris vxore *Gailana* diſſuaſiſſet, huius inſtinctu cum duobus ſociis *Colonata et Theodnano* fuiſſe interemtum, poſtquam *Franconiae* Euangelium adnunciaſſet, poſtmodum tamen acriter vindicatum. Vid. *Chron. Wurzburg. MSC.* it. *Bruſch.* in Catal. Epiſcop. Herbipolenſ.

(4) Et *Bonifacium*, vtut VII. hoc Saeculo forſan principia Chriſtianiſmi in variis Germaniae regionibus iecifſe potuit, rectius tamen ſubſequenti Saeculo recenſebitur.

(5) In *Suenia*, *Stiria*, *Auſtria et Bauaria* hoc Saec. plantatae variae ſcribuntur Eccleſiae, nec minus *Gandani* ope *Amandi*, et in *Bulgaria*, voce *Cyrilli* cuiuſdam.

§. 2. *Perſarum* equidem Rex *Coſroes* maximis cruciatibus *Chriſtianos* adfecit, quo furore vt deſiſteret, rogatus ab *Heraclio*, noluit arma deponere, niſi Chriſtiani DEO crucifixo deſerto Solem ſecum adorarent; victus tandem ab eodem Caeſare, et a proprio filio regno exutus, fameque necatus meritas ſaeuitiae poenas luit. (1) Simul et *Angli* orthodoxos pellebant vndique, vſque dum CHRISTO ſe plene addicerent. Inuexit praeterea hoc aeuum duas *Eccleſiae* peſtes, *Anti-Chriſtum Occidentalem et Orientalem*. Exar-
595. ſerat circa finem praecedentis Saeculi ingens contentio inter *Ioannem Ieiunatorem*, *Patriarcham Conſtantinopolitanum*, (2) *et Gregorium Magnum*, Epiſcopum *Romanum*, de titulo *Epiſcopi Oecumenici*. *Ioannes* enim, cum ſuam vrbem videret florere, ſedemque eſſe Imperii; *Romam* contra gradu quaſi deiectam eſſe, *Oecumenicum* ſiue *Vniuerſalem* ſe vocauit Epiſcopum quia *Caeſareae* vrbis, quae Orbem Romanum regeret, eſſet Epiſcopus. At *Gregorius* titulum iſthunc ita explica-

explicabat, quaſi ab *Vniuerſali* illo *Epiſcopo* ceteris dependendum ſiet, indeque omnibus ſe modis huic apellationi opponebat, *fidenter dicens, quiſquis ſe vniuerſalem ſacerdotem vocauerit, eum in elatione Anti-Chriſtum praecurrere*: *Gregorii* vero huius poſt *Sabinianum* in *Pontificatu Romano* ſucceſſor *Bonifacius III.* cum ille crudeliſſimo *PHOCAE*, peſſimo parricidae, de rapto Imperio gratulatus eſſet, (3) impetrauit eo, vt Eccleſia *Romana* mater et caput ſit omnium Ec- 605.
cleſiarum, ipſeque *Pontifex* Epiſcopus *Oecumenicus et Vniuerſalis.* (4) Hoc peperit *Anti-Chriſtum Occidentalem.* (5) *PHOCAE* imperium euerterat *HERACLIVS*, adiutus his aliiſque bellis a gentibus *Saracenicis et Turcis*, quos bellorum pertaeſus elogiis ac ſtipendiis priuauit; relicto igitur *Heraclio*, perfidiſſimo Impoſtori *Muhammedi*, (6) adhaeſerunt. Hic *Meccae* in Arabia natus ex *Chriſtianiſmo*, *Iudaiſmo* et *Paganiſmo* nouam conflauit Religionem in Alcorano comprehenſam; vnde ex patria primum fugatus, eam 622.
vi recepit, atque adſociatis ſibi *Saracenorum* militibus, varias imperio aliiſque Regnis extorſit prouincias, vſque tandem omnem *Orientem*, nec parum ex *Occidente* ſibi raperet. (7) *Haeretici Eutychiani* ſua interpolantes dogmata vbique adhuc irrepebant; atque ex illis de nouo orti *Mo* 629.
notheletae, vnam in CHRISTO tantum voluntatem ſtatuebant, auctoribus *Athanaſio Syro*, (8) *Cyro Alexandrino*, *Sergio Conſtantinopolitano*, quibus ipſe quoque *HERACLIVS* Caeſar acceſſit; item *Maronitae*, (9) cum *Eutyche* paria facientes. 698.
Mahum-

Mahummedani vero a perfidiſſimo ſeductore *Mahummede*, Arabe latrone exorti impuriſſima ſectantur dogmata; Sacram Scripturam profitentur corruptam eſſe et mutilam, *Alcoranum* ſubſtituentes, tanquam librum θεόπνευστον, qui miris tamen ſcatet fabulis: Credunt DEVM vnum, at negant Chriſtum eius fuiſſe filium, quem magnum quidem faciunt Prophetam, *Mahommede* tamen inferiorem; hunc porro a Iudaeis crucifixum inficiantur; atque ita *Trinitatem*, et Redemtionis myſterium euertunt; de *creatione* varia fingunt abſurda, ſicut et de *Angelis*; de *Prouidentia* vero, quicquid euenit, irrefragabili fato ab aeterno decretum eſſe adſerunt; ex *lege Ceremoniali* tenaces adhuc ſunt *Circumciſionis*, quam poſt annum 7. et ſequentes peragunt, *Polygamias*, ſiquidem iuſtae vxores 4. illis permittuntur, et tot, quot libet, pellices; de cetero *Abrahamum Lazari* patrem, B. virginem *Mariam* Aaronis Moyſisque ſororem fuiſſe nugantur, et *Paradiſo* quatuor flumina, lacte, vino, melle, aqua fluentia adfingunt, palatia ibi ac aedificia gemmata atque aurata eſſe, carnes ſuauiſſimarum auium, fructus omne genus, quos ſpatiſi iacenteſque ſub vmbra arborum edent. Haec quamuis plane ſint abſona, firmiter tamen illa credunt *Muhammedis* ſectatores. (10) Denique et in *Occidentali* Eccleſia fides Orthodoxa magis magiſque coepit inuerti, et ſuperſtitionibus variis deprauari. Bonis enim operibus tum nimium tributum, coelibatus, monaſteria, peregrinationes in loca ſacra, ſanctorum inuocatio-nes

nes aliaque plura a prima Eccleſia alieniſſima inuecta atque ita ad purioris doctrinae corruptionem ſenſim fuit deuentum. (11)

(1) *Meſopotamiam, Syriam, Palaeſtinam et Hieroſolymam* occuparat Coſroes, ſaeuiſſimeque ibidem cum Chriſtianis egit, quorum 90000. Iudaeis trucidanda permiſit, *Zachariamque* Patriarcham cum templorum ornatu, in quo et crux Chriſti fuit, ac inſigni populi multitudine, captiuum abduxit; imo longius progreſſus, *Aegyptum*, *Alexandriam*, *Libyam* ad *Aethiopiam* vſque ſubegit, ſed ab *Heraclio* victus, ac viribus ita proſtratus fuit, vt et a ſuis deſertus, per *Siroëm* filium tandem relis petitus necatuſque fuerit, quod minorem natu filium ſucceſſorem ſibi deſtinaſſet. *Heraclius* victor non modo *Zachariam* Epiſcopum *Hieroſolymis* reddidit, ſed et crucem ſeruatoris inſigni gaudio et pompa reportauit. De nummo, quem poſt obtentam hanc a *Perſis* victoriam *Heraclius* Imp. cudi fecit, vid. *Wagenſeil* diſſ. de Impp. qui poſt Francicos ad Interregnum vſque Imperio Germ.. praefuerunt.

(2) *Ioannes* hic, quod ſaepe ieiunaret, *Ieiunator* dictus, contra receptum hactenus morem primum inter Epiſcopos locum ſibi tribuit, quod Regiae vrbis eſſet Epiſcopus, cuius indicium fuit titulus, quem ipſi *Conc. Conſtantinop.* tribuit, *Patriarchae Oecumenici*, eo forſan ſenſu, ſicut vrbi ſuae inter vrbes τῆς οἰκουμένης primus debeatur locus, ita ſe inter Epiſcopos eiuſdem οἰκουμένης primum eſſe, cum et magnae parti Eccleſiarum τῆς οἰκουμένης praeeſſet. *Pelagius* itaque II. P. R. cum *Gregorio M.* alio ſenſu hanc adpellationem fuit interpretatus, ſcilicet eum eſſe *Epiſcopum Oecumenicum*, qui nulli ſubeſſet, omnibus praeeſſet, quem ipſe pariter a ſe titulum remouebat, nec ſibi, nec *Ioanni* tribui volebat, quod eundem ſoli Chriſto competere exiſtimaret. Interim *Conſtantinopolitanus Patriarcha* hoc ſenſu vocabulum hoc accepiſſe non videtur, proin vſque huc *Patriarchae Conſtantinopolitani* ſe *Oecumenicos* vocare ſolent. *Gregorius* vero cum ſucceſſoribus ſe *ſeruum ſeruorum* [illegible]are coepit. Vid *Calixt.* adp. Theol. p. 262. ſeq. *Lud. Maimburg.* in hiſt. Pontif. Greg. M.

(3) *Gregorius M.* potius, quam *Bonifacius*, *Phocae* de rapto per parricidium imperio gratulatus fuit. Vid. Epiſt. l. XI, 36. 43. 44.

(4) Nouerat quippe *Phocas*, quantum ſibi famae *Romani Epiſcopi* ad retinendam in obſequio *Romam et Italiam* conducere poſſet, proinde *Conſtantinopolitano* Epiſcopo *Cyriaco* praecipue infenſus, quod *Mauritii* caedem improbaret, Romano Epiſcopo

H illam

illam praerogatiuam indulſit. Conf. Pabſtsthron. l. I, 8. n. 12. ſeq. p. 184. ſeq.

(5) De quo vid. diſſert. peculiaris *Io. Meiſn.* de Anti-Chriſto Occidentali Magno, cum mille aliis.

(6) Hic A. 572. d. 22. Apr. poſt patris *Abdallae* mortem a matre *Emina* natus, ab auo *Abdolmutleb* et patruo *Abutaleb* educatus, poſtquam religionem in patria conſarcinatam ſpargere coepiſſet, inde pulſus, *Medinae* refugium inuenit, indeque adeo viribus creuit, vt incredibili ſucceſſu regnum ampliauerit. Eius vitam 27. capitibus deſcripſit *Lud. Moraccius* in prodromo ad refutationem Alcoranis, cui adde *Paullin.* T. II. zeitkürzende erbauliche Luſt p. 703 ſeq.

(7) Vid. notas ad §. IV.

(8) *Iacobitarum* hic erat Patriarcha, cui *Heraclius* Imp. *Antiochenum* Epiſcopatum promiſit, ſi Concilio *Chalcedonenſi* ſubſcribère vellet; quod cum adnuiſſet, ſimul in quaeſtionem incidit, vtrum vna vel duplex in Chriſto voluntas ſtatuenda ſiet: Cum itaque Imperator *Sergium Conſtantinopolitanum*, et *Cyrum Phaſelidis*, poſt *Alexandriae* Epiſcopum ea de re conſuleret, vterque vnam tantum voluntatem et operationem in CHRISTO adſeruit, in quorum dein ſocietatem Imp. *Heraclius* quoque tractus, ante finem tamen ad ſaniorem mentem rediit. *Honorius* quoque *Romanus* Pontifex eidem haereſi nomen dedit, quamquam id Cardinales *Baronius et Bellarminus* negent. Vid. de *Monotheletarum haereſi Aegid.* in diſſ. Vitemb. 1665. *Stranchium* et *M. Schopfium*. *Mart. Chladenii* diſſ. de Monotheliſmo Honorii Vitemb. 1710.

(9) Vtrum a viculo *Maronia*, *Antiochiae* proximo, vel a *Marone* aut *Maro* autore dicti fuerint, nondum penes omnes eſt indubium. *Marus* ille ſtatuiſſe dicitur, in Chriſto duas eſſe naturas, vnam voluntatem, vnum opus et vnam perſonam. Hi demum Saec. XII circa A. 1182. eiurato priſtino errore, *Latinorum* fidei ſe adſociarunt. Vid. *Hier. Dandini* Ieſ. iter ad montem Libanum et *Io. Ern. Gerhardum* in diſſ. de eccleſia Maronitarum Ien. 1668.

(10) Vid. *Hotting.* Hiſt. Orient. it. Alcoranum Mahummedanum, editum Norib. 1664. it. *Korthold* de religione Mahummed. *Calixti* de idololatria Mahummed. *Holms* breuis conſideratio Theol Mahummed. porro de cauſis et mediis, quae religionem Mahummed. partim introduxerunt, partim conſeruant, *Moebii*; et nouiſſime die eröffnete ottomaniſche Pforte. Vitam Muhamedis *Abulfeda* Muhamedanus, princeps Hamae in Syria conſcripſit. *Io.* autem *Gagnier* arabice et latine edidit Oxoniae 1723. fol. qui etiam Amſtelod. 1732. la vie de Mahomet iuris publici fecit, itemque *Ludou. Maraccius*, *Humphredus Prideaux*, comes *de Boulainuilliers*. Plures laudat *Gudius* in bibliotheca citata p. 138.

(11) Con-

(11) Confer noſtros Theologos paſſim, id ex huius ac ſequiorum Saeculorum ſcriptoribus diducentes. Adiici memoratis huius Saeculi haereſibus poſſunt aliae ex prioribus reuiuiſcentes: *Agnoetarum*, qui DEVM quidem Verbum omnia noſſe, humanitatem vero ſecundum ſubſiſtentiam ei vnitam, permulta ignorare, proindeque Filium Patre minorem eſſe tradebant: *Pelagianorum*, in *Scotia*, *Anglia*, *Gallia et Hiſpania* repullulantium, hominemque ſine peccato exiſtere poſſe, idque ex propria voluntate, non DEI gratia, ſomniantium: *Priſcillianiſtarum*, quorum XI. errores *Oſiander* C VII. l. III. c. 7. recenſet. *Seneritarum* denique a *Senero Aquilegienſi* dictorum, qui in varia capita reſecti, alium eſſe Patrem, Filium et Spiritum Sanctum adſerebant, non tamen horum quemquam eſſe per ſeipſum natura DEVM, ſed habere communem Deitatem in ipſis exiſtentem.

§. 3. Variae hac aetate habitae *Synodi* in *Conciliorum Tomis* referuntur, quibus tamen imminenti Eccleſiae periculo haud ſatis contra fuit itum Romana praeſentibus 72. *PHOCAE* de- 606.
cretum de Eccleſiae illius infauſto primatu publicauit. (1) In *Hiſpania Hiſpali* coacta monachis 619.
interdixit, ne cum Monialibus conuerſarentur, niſi praeſentibus tribus aliis; (2) *Toleti* quoque ſuccedaneis temporibus quatuor decies Epiſcopi Hiſpaniae Galliaeque conuenerunt, partimque de *Iudaeorum* conuerſione et expulſione, partim de *Monotheletarum* haereſi, aliiſque Eccleſiarum curam concernentibus egerunt. (3) Cumque *Con-* 639.
ſtantinopoli per *Sergium Patriarcham Monotheletarum* errores adprobarentur, et expoſitio (4) illorum *HERACLII* nomine, Romam mitteretur, *Ioannes IV.* Romanus Pontifex eam damnat; (5) 640.
CONSTANS igitur Imperator promulgato *Typo* 648.
vtrinque de CHRISTI voluntate tacere iubet, quem tamen *Theodorus* Epiſcopus Rom. itidem reiecit, (6) quod a *Martino* quoque ſucceſſore

649. *Synodo Lateran. I.* praeſentibus 150. Epiſcopis factum, propterea dignitate ſua exuto. (7) Interempto autem *CONSTANTI* qui ſucceſſerat *CONSTANTINVS Pogonatus*, a *Monotheletarum* haereſi alienus *Conſtantinopoli* indicit Concilium,
680. quod vulgo *Oecumenicum VI.* ſiue *Trullanum* a *Trullo* palatio audit, quo a 162, Epiſcopis poſt diuturnas altercationes *Monotheletae* damnati, maxime vero *Sergius*, *Cyrus*, *Pyrrhus*, *Paulus*, *Petrus*, et alii, quos inter *Honorius* quoque Epiſcopus *Romanus* fuit; adſertumque in CHRISTO duas naturas, et duas eſſe voluntates. (8) Quoniam autem neque *Concilio V.* nec *VI.* fidei definitioni ſui additi erant Canones, quod tamen Synodis
692. prioribus fieri ſueuerat, ideo *IVSTINIANVS II.* Imp. ſuaſu *Callinici Patriarchae Conſtantinop.* eadem hac vrbe denuo illos congregat Epiſcopos, qui *Sextae* Synodo interfuerant, hi ad ſupplendas *Quintam* et *Sextam* Synodos (inde et haec ipſa *Penthecte* ſiue *Quiniſexta* vocatur,) 103. Canones condiderunt, inter quos et decretum, ne quis preſbyteros cogeret, a ductis legitime vxoribus abſtinere, quod ſcriptum ſit, honorabile in omnibus coniugium et torus immaculatus; abſtinere tamen iis deberent tempore adminiſtrationis myſteriorum. (9) Quod tamen *Sergius Romanus Pontifex* adprobare noluit, (10) indeque ad ſeparationem *Orientalis* ab *Occidentali* Eccleſia primus quaſi gradus factus. (11)

Infoecunda vero *Patribus* haec aetas memoratur, ob maximam, qua premebatur Eccleſia,
610. barbariem. Praecipui inter illos fuerunt *Anaſtaſius*

ſtaſius Antiochenus, (12) *Marcus Eremita*; (13)
Iſidorus Hiſpalenſis, (14) *Sophronius Hieroſolymi-*
tanus, (15) *Arbogaſtus Argentinenſis*; (16) *Cae-* 630.
ſarius Arelatenſis, (17) *Paulus Caſſinenſis*; (18) 670. 690.
Smaragdus Abbas, (19) *Adelmus Bladuinus An-*
glus, (20) *Walafridus Abbas Augiae diuitis*, (21)
paucique alii vix nomine ſatis noti. (22) *Sige-* 630.
bertus Anglorum Rex *Cantabrigienſem* Academiam
fundauit pro maioribus pietatis et eruditionis in-
crementis.

(1) Faciunt quipiam praeſentes huic Synodo Epiſcopos 62. Presbyteros 30. Diaconos 3. qua itidem circa Epiſcoporum et Pontificum electionem nonnulla conſtituta ſcribuntur.

(2) In eadem quipiam *Acephalorum* errori innutritus, ſed meliora edoctus, ad ſinceram fidem rediit.

(3) In ſuperioribus de tribus prioribus Conciliis Toletanis dictum. Vid. Saec. V. n. 15. et VI. n. 16. Nunc de iis, quae Saeculo hoc VII. habita. Quartum *Toletanum* Rege *Siſenando* coactum orthodoxam fidem ſtabiliuit, Paſchatis celebrationem, baptizandi rationem, et quaedam alia, etiam Politica ordinauit: condiditque Canones 74. V. et VI. *R. Chiutillano* fidem Catholicam contra haereticos ſtabiliuit, diſciplinamque Eccleſiaſticam reduxit. VII. contra *Theodiſcum* Archi-Epiſcopum *Hiſpalenſem* habitum. VIII. circa Epiſcopos et reliquum Clerum, Iudaeos item nonnulla conſtituit. IX. de bonis Eccleſiaſticis: X. de feſti Adnunciationis Mariae celebratione, aliisue leges ſancit, *Potamiumque Bracarenſem* Epiſcopum, qui ſponte faſſus fuerat, ſe cum foemina quapiam rem habuiſſe, deponit. XI. Clero ſacrarum literarum lectionem, mutuam item concordiam et alia commendat. XII. de votis Monaſticis, proditoribus patriae, aliisue nonnulla ordinat. XIII. XIV. et XV. pro conſeruanda fide Catholica fuere habita, ita tamen, vt Clericorum poteſtas ſe fere in omnibus ſupra ſecularem exaltauerit. XVI. *Felicem* Archi-Ep. *Toletanum*, conſtituit. XVII. Iudaeis graue extitit.

(4) Ἔκϑεσις *Heraclii* vulgo dicitur, de qua egregiam dedit diſſertationem *B. Bebelius*.

(5) Cuius Synodi prouincialis Romanae decreta hodie non amplius extant.

(6) Idem *Pyrrhum* Conſtantinopol. cum errorem ſuum faſſus eſſet, honorifice excepit, et anathemate ſoluit: poſt in priorem haereſin relapſum, ex calice ſacrato in atramentum ſtilla-

vit, ſcriptaque damnationis in eundem ſententia denuo excommunicauit.

(7) De Concilio hoc *Lateranenſi*, quod integrum extat, vid. Tom III. Conc item *Oſiand.* C. VII. l. II. 18. *Martin.* Pont. *Roma* initio *Conſtantinopolin* legatos miſerat, Imp *Conſtantem* et Patriarcham per eos a *Monotheletarum* erroribus auerſurus, qui verberibus male excepti, carcerique incluſi, tandem in remotiſſimas Inſulas deportati fuerunt. Itaque *Martinus Romae* damnauit in Synodo *Monotheletas*, vnde eundem per miniſtrum quendam dolo captum, *Conſtantinopolin*, demumque in exilium duci iuſſit Imperator. in quo multis difficultatibus preſſus, tandem animam exhalauit. *Honorium* Pont Rom. reuera Monotheletam fuiſſe *Io. Launoius* Theol. Sorbon. defendit. Vid. *Reuſer.* Anti-Bellarm p. 298. ſeq. *P. Lud. Maimburg.* in Tr. Hiſt. de inſtitutione et praerogat. Eccl Rom c. XII.

(8) De *Trullano* hoc Concilio confer *Oſiandr.* l. IV. Cent. VII, 4. *P. Diac Adon. Viennenſ. Zonaram* et alios. Vid. Röm. Pabſtthron I I, 9. §. 4. p. 208.

(9) Factum id Can. XIII. cuius verba apud *Oſiandrum* ita habent: *Quoniam Romanae Eccleſiae pro Canone traditum eſſe cognouimus, vt Diaconi vel Presbyteri, qui digni, qui ordinentur, exiſtimandi ſunt, profiteantur, ſe non amplius ſuis vxoribus coniungendos, nos antiquum Canonem Apoſtolicae perfectionis ordinisque ſeruantes, hominum, qui ſunt in ſacris, coniugia deinceps ex hoc temporis momento firma et ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum cum vxoribus coniunctionem diſſoluentes, vel eos mutua, tempore conueniendi, conſuetudine priuantes. Quamobrem ſi quis dignus inuentus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum adſumi nequaquam prohibeatur, ſi cum legitima vxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo poſtuletur, vt profiteatur ſe a legitima cum vxore conſuetudine abſtenturum: ne ex eo a DEO conſtitutas et ſua praeſentia praedictas nuptias iniuria adficere cogamur, Euangelica voce exclamante: Quae DEVS coniunxit, homo non ſeparet: et Apoſtolo docente: honorabiles nuptias, et thorum immaculatum: et, adligatus es vxori? ne quaere ſolutionem. Scimus autem, ſicut et, qui Carthagine conuenerunt, et miniſtrorum grauitatis honeſtatisque curam gerentes dixerunt; vt ſubdiaconi, qui ſacra myſteria, contrectant, et Diaconi et Presbyteri, propriis terminis a conſortibus abſtineant, vt et, quod per Apoſtolos traditum eſt, et ab ipſa vsque antiquitate ſeruatum, nos quoque ſimiliter ſeruemus, tempus in omni re ſcientes, et maxime in ieiunio et oratione. Oportet enim eos, qui diuino altari adſident, in ſanctorum tractandorum tempore, eſſe omnino continentes vt poſſint id, quod a DEO ſuppliciter petunt, obtinere. Si quis Erga praeter Apoſtolicos Canones incitatus ſit, aliquem eorum, qui ſunt in ſacris Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum, coniunctione cum legitima*

vxore

vxore et conſuetudine priuare, deponatur. Similiter et, ſi quis presbyter ſubdia onns ſuam vxorem pietatis praetextu eiecerit, ſegregetur; et, ſi perſeueret, deponatur. Qui Canon diſt. 31. C. Quoniam repetitur; quanquam Pontificiis hodie non placeat, qui integram propterea Synodum pro Pſeudo-Synodo habent.

(10) Eapropter graue apud Imp. *Iuſtinianum II.* incidit periculum, cuius iuſſu *Conſtantinopolin* in vincula trahendus erat! quod autem exercitus Romanus ſeſe opponeret, *Sergioque* adhaereret, *Iuſtiniani* minae fuerunt irritae. Vid. *Chemnit.* in Exam. Conc. Trid. *Muller.* de patrocinio Coniugii Cleric. ex Or. et Occid.

(11) Praecipue in puncto Clericorum matrimonii, cum in aliis controuerſiis iam ante diuortium aliquoties inter vtriusque partis Eccleſias fuiſſet factum: ſunt et adhuc aliae huius Saeculi Synodi, quibus prolixe recenſendis immorari opus haud eſt. Sufficiat quaſi digito indice easdem notaſſe. *Alexandrina* pro *Monotheletis* vnam in Chriſto Dei virilem voluntatem et operationem adſeruit. *Antiſiodorenſis* Ethniciſmi reliquias tollit, de Quadrageſima et Synodo annua ſancit, de Dominicae item celebratione, autochiris et aliis leges tradit. *Africanae* et *Anglicanae* quaepiam ſtatuta Eccleſiaſtica ordinant, orthodoxiamque contra *Monotheletas* ſtabiliunt. *Aquilegienſis Mariae* Deiparae virginitatem ſtatuminauit. *Bracarenſis III.* abuſus et exceſſus quosdam corrigit. In *Cabilonenſi* firmata diſciplina Eccleſiaſtica. In *Caeſaraugustana* de Regia *Hiſpaniae* vidua ſtatutum, vt monaſterium ingrediatur, nec ad ſecunda vota tranſeat. *Clypiacenſi* fanum *S. Dionyſii* ſaeculari poteſtati exemtum. *Francica*, de mittendis ad idololatras Apoſtolis delibera. *Hiſpalenſis II. Acephalos* impugnauit. *Hieroſolymitana* ſub *Sophronio* Epiſcopo *Monotheletarum* impoſturas detexit. *Matiſconenſis III.* aliquot Epiſcoporum et Monachorum componit controuerſias. *Mediolanenſis* fidem orthodoxam confirmat, Epiſcoposque cur *Conſtantinopolin* ad Concilium venire haud poſſint, excuſat. Denique cum *Columbanus et Gallus Bauaricis* Eccleſiis nouas quasdam ceremonias vellent obtrudere, coacta in *Bauaria* Synodus iisdem reſtitit.

(12) *Niceuus* a nonnullis dicitur, cuius quaedam ſcripta in Bibliotheca Patrum, item ſeparatim extant.

(13) Duplex eius nominis fuiſſe videtur, quorum vnus in Saeculum hoc vel antecedens, alter in ſubſequens reiiciendus eſt. Dedit gnomas Graece ee Latine extantes

(14) Multorum ſcriptorum autor induſtrius, vtut Graece et Ebraice vix ſatis doctus. Inter eius ſcripta nonnulla hodie ſpuria circumferuntur. Conf. *Coc. Gerhard. Oſiandr.* Huic *Iſidoro* Canonum et Conciliorum collectionem tribuere nititur *Card. de Aguirre* T. 1. Collect. Concil. p. 34. ſeq.

(15) Inuitus functionem ſuſcepit, Monotheletas et ceteros illius

ueni haereticos maſcule impugnauit, hoc vno infelix, quod Mahummedicam tyrannidem Hieroſolymis regnare cerneret.

(16) Poſt mortem prope patibulum, peculiaris forſan meriti ſpe, tumulari voluit.

(17) Monachus initio *Lirinenſis*, poſt Epiſcopus *Arelatenſis*, varias ſcripſit homilias, de quibus Cenſores Patrum videri poſſunt. A nonnullis in Saec. V. vel VI reiicitur.

(18) Dedit hic *vitam Gregorii M. P. R.* item *Pontificum Metenſium*, et alia.

(19) *Benedictinus S. Michaelis*, cuius Commentaria in Euangelia et Epiſtolas extant.

(20) Ex eius ſcriptis ſuperſunt aenigmata et pauca alia.

(21) Libro de comparatione dignitatum mundanarum et Eccleſiaſticarum, item officiis diuinis, clarus.

(22) Ex iis fuere praecipui *Amandus Vltraiectinus*, ſanctitatis fama clarus. *Anaſtaſius* Perſa, a Coſroe propter Chriſtianiſmi profeſſionem martyrio ſublatus: *Antiochus* Monachus, qui *Hieroſolymam* a *Perſis* captam, tanquam alter *Ieremias*, threnis ſuis defleuit. *Audoënus*, alias *Dado* adpellatus, *Rhotomagenſis* Epiſcopus. *Beulanus* presbyter *Anglus* vxoratus; *Eimeranus Ratisbonenſis*, inter ſanctos relatus: *Eligius Nouiomenſis* in *Gallia*, et *Flandrorum* Apoſtolus. *Eulogius Alexandrinus* varios haereticos impugnauit, *Leonemque* M. Epiſcopum Rom. maſcule defendit. *Eugenius*, *Ildefonſus et Iulianus Toletani*, quorum alter de illibata *Mariae* virginitate, hic contra Iudaeos de vera mundi conditi epocha ſcripſit: *Ioannes Eleemon* ſiue *Eleemoſynarius*, Alexandrinus Epiſcopus, inſigni liberalitate in profugos ex Palaeſtina, ac captiuorum redemtione eximius: *Ionas Scotus*, variorum vitas pertexuit. *Lupus Aurelianis*, quo de fabuloſa nonnulla finguntur. *Maximus* ob defenſam ſtrenue orthodoxiam, et conculcatam *Monotheletarum* haereſin multa dira paſſus abſciſſa tandem lingua, in exilio martyr obiit. *Ottilia*, principis *Alſatiae* filia, prima Abbatiſſa *Hohenburgenſis*, cum aliis.

§. 4.

Iudaei toties oppreſſi quieſcere nondum poterant, (1) ſed contra *PHOCAM*, *HERACLIVM*, *Hiſpaniaeque* Reges varias excitarunt ſeditiones, graui propterea poena ſemper adfecti. *PHOCAS* ſiquidem eos eiecit *Antiochia*, *HERACLIVS Hieroſolymis*, praecipue cum cognouiſſet, Chriſtianis ingens impendere a gente circumciſa periculum, quod Caeſar pariter, et *Siſibutus Hiſpaniarum*

niarum Rex de Iudaeis fuerunt interpretati, inde *Hiſpania* quoque exturbati in Gallia *Dagoberto* Rege eandem ſortem experiebantur. Pauci *Iudaicorum* Doctorum memorantur, quique in cenſum noſtrum referri haud merentur. (2)

Scriptorum vero *profanorum* potiora nomina ſcriptaue haec ſunt: *Maximus Caeſar Auguſtanus*, qui de *Gothorum* rebus geſtis; *Theophilactus* 610.
Simocates, (3) *Priſcianus Caeſarcenſis*, celebris *Grammaticus*, *Aegidius* Monachus *Benedictinus*, Medicus. Hic *Turcicam* ſeu *Mahummedanam* deinceps adnectere breuiter placet hiſtoriam. *Muhammed* ille Anno ſuperioris Saeculi 70. natus poſt varia ſeruitia *Chadigae* coniugio altius ſubvolare intentus peſtiferum illud dogma *Meccae* in patria diſſeminauit, inde a Magiſtratu pulſus (vnde *Turcici* Computi ſiue *Hegirae* initium) 622.
Medinam ſe contulit, vbi auctis quotidie viribus aemulos oppreſſit, regnique limites per IX. annos ampliauit; (4) poſt eius obitum *Abubecer* 632.
Syriam ac Boſram intercipit; (5) hinc *Omar Perſis* ſuperatis *Damaſcum* debellat, *Hieroſolymam et* 634.
Antiochiam capit, *Palaeſtinam* ſubiugat, *Aegyptumque et Alexandriam* ſub poteſtatem redigit, itemque *Macedoniam* et alias *Orientis* prouincias. (6) Succeſſor eius *Othman* multoties per duces 644.
felicia geſſit praelia cum *Romanis*, *Africanis*, *Cy* 648.
pro et Rhodo Inſulis, auxitque haud parum vim ſqq.
Saracenorum, (7) huic ſuccedens *Aaly* ex *Ma-* 655.
hummedis progenie inteſtinis maxime agitatur diſcordiis, (8) eoque occiſo *Saracenico* praeficitur 660.
Imperio *Muauias*, qui Mare *Aegeum* piratica infeſtat,

feſtat, *Siciliam* vaſtat, *Conſtantinopolin* fruſtra op-
pugnat, ſiquidem claſſis eius per Mechanicum
673. *Callinicum* igne Graeco exuritur, (9) *Hiſpaniam*
quoque inuadit, at magnam ſentit ſtragem. Eius
680. Filius *Iezid* pacta cum *Romanis* pace, quibus auri
tria librarum millia, quinquaginta nobiles capti-
vos cum totidem equis quotannis promittit, re-
eod. gno ſe abdicans *Maruan* habet ſucceſſorem, hic-
681. que *Abdelmelechum*, *Damaſci* ſedem Regni con-
ſtituentem, qui cum *IVSTINIANO* doloſam et
ſpecioſam ſancit pacem, quam rumpit, non ſine
690. ingenti ſuorum damno Imperator, (10) *Arme-
niam* ipſis linquere coactus, inde *Africam* tur-
bantes pelluntur, magnaque clade in *Syria* vin-
cuntur. (11)

(1) *Antiochiae* magna crudelitate in Chriſtianos ſaeuierunt, et *Anaſtaſii* Patriarchae cadauer, abſciſſis orique iniectis pudendis, in foro combuſſerunt. Sic et *Conſtantinopoli* in ludis Circenſibus tumultuati fuerunt. Sic in *Hiſpania* habitantes cum *Africanis* Iudaeis in euerſionem Chriſtiani nominis conſpirarunt, qua de cauſa bonis omnibus exuti, in ſeruitutem redacti, et filii ſeptennio maiores a parentibus abſtracti fuerunt. *Korth.* H. E. p. 283.

(2) *Gaeonaei* hi dicti, celebres habuerunt Scholae *Pumbedithande* Rectores, R. *Channa*, *Iſaac*, *Rabba*, *Buſtanaeum* et quosdam alios.

(3) Al. *Simocatta*, Aegypti praefectus, *Mauritii* geſta, epiſtolas morales, ruſticas, amatorias et emblemata phyſica reliquit, abundante prudentia, cuius tamen ſcribendi genus ad veterem eloquentiam haud adſcendit.

(4) Gladio plurimos in ſuam traxit ſententiam *Mahummed*, totius *Arabiae* vrbes, prouincias et Respubl ſubiugans. Vnde etiamnum Doctores *Mahummedici*, populum docentes, euaginatum gladium iuxta ſe reponunt vel manu tenent.

(5) Poſt impoſtoris obitum magna de ſucceſſione in Califatu ſiue Imperio controuerſia orta: *Abubecer* enim cognomine iuſtus, cuius filiam *Aiſcham* ille praeter alias vxores in matrimonio habuerat, primas ſibi rapuit et obtinuit partes, *Hieroſolymam* deuaſtauit, *Iracum et Boſtram* occupauit, *Syriam* inuaſit, Romanorumque partes dereliquit. Poſt cuius obitum interregnum

gnum fuit, quo tamen *Gaza* obſeſſa, et *Romani* in fugam coniecti fuerunt.

(6) Qui initio parui admodum pendebatur, breui tempore maximas acquiſiuit vires, donec tandem quaſi inſuperabilis factus eſt. *Omar* quoque *Mahummedis* ſocer magnam *Africae* partem et Aegyptum cum *Perſia* et *Palaeſtina* ſibi ſubiecit, a quo tempore per plura Secula haec in *Saracenorum* manibus haeſit.

(7) Et hic ſocer Pſeudo Prophetae fuit, *Nubiam*, *Armeniam*, *Africam et Choraſan* ſub ditionem redegit: ex *Rhodo* capta 900. Camelos aere Coloſſi oneratos abduxit, tandem a ſeruo confoſſus fuit.

(8) Qui multa contra Chriſtianos moliri, diſcordiis inteſtinis praepeditos, haud valuit. Necato *Aaly* filius eius *Haſſenus* imperio ſe abdicauit, illudque *Muaniae* tradidit.

(9) De igne Graeco vid. *Pancirollum* et *Hanouii* diſſ. translata in theodiſcam quae reperitur in Hamburg. Magazin. T. XII. P. III. Victus ita a Graecis et Imp. *Conſtantino* pacem redimere fuit coactus his conditionibus, vt Saraceni magnam vim auri Romanis exſoluerent, cum inſigni equo et puero nobili. *Siciliam* tamen antea vaſtauerat, captis *Syracuſis*, armaque in *Mauritaniam* intulerat, ex qua ſequenti Saeculo in *Hiſpaniam* deſcenderunt *Saraceni*.

(10) Cauſam praetendens, quod monetam ſua ſignatam imagine haud penderent. Ipſi itaque *Saraceni* ſublatis in acie pacis tabulis, DEVM periurii vltorem implorarunt, atque *Sclauorum* transfugio foedam *Romanis* cladem intulerunt.

(11) Caeſis ad *Samoſatam* circiter 200000. Saracenorum. Vid. *Paul. Diac. Blondus*, *Zonaras* et alii. *Wolfg.* it. *Drechsleri* Chronicon Saracenicum, et *Hotting.* Hiſt. Orient.

SAECVLVM VIII.

§. 1.

Felix hoc nobis *Germanis* illuxit Saeculum. Plurima Maiorum noſtrorum pars idolorum cultui, *Irmenſulae*, (1) *Crodoni*, (2) *Mercurio*, (3) *Zeduttae*, (4) *Veneri* (5) aliiſque daemonibus (6) hactenus fuerat addicta, et quanquam Religione Chriſti iam ante (7) eſſent imbuti, ea tamen relicta ad priſtinam idololatriam reuerterant. Auſpicio igitur *CAROLI Magni*, Francorum regis, et

800. et ſub finem huius Saeculi ipſo feſto Natalitio a
populo Romano per manum Pontificis Leonis III.
coronati Imperatoris Romanorum in Occidente,
(8) *Saxones. Thuringi, Weſtphali* aliique Germa-
niae populi, per *Suibertum*, (9) *Bonifacium*, (10)
Willibrodum (11) aliosque conuerſi, multique ad
retinendos in fide populos conditi ſunt Epiſco-
776. patus, vt *Oſnabrugenſis*; (12) *Selinſtadienſis*, inde
777. 780. *Oſteruicum*, ac demum *Halberſtadium* translatus;
784. (13) *Mindenſis*; (14) *Monaſterienſis*; (15) *Ver-*
786. 788. *denſis*; (16) *Bremenſis*; (17) *Hildeſienſis*; (18)
794. *Paderbornenſis* (19) *et Hamburgenſis*; (20) et hoc
798. modo barbara *Germanorum* hactenus gens iugum
tandem Chriſtianum, vtut ferocibus primum ani-
mis a *Wittikindo* (21) multoties excitatis, ſuſce-
pit. Conditi quoque hoc tempore Epiſcopatus
786. *Salisburgenſis*, vel certe reſtauratus primo Epi-
742. ſcopo *Arnone*; (22) *Würzburgenſis* ſiue *Herbipo-*
744. *lenſis*, primo Epiſcopo *Burchardo Bonifacii* con-
ſanguineo; (23) *Eichſtedenſis* per *Wilibaldum*
Anglum. (24) Fundatum denique circa haec
744. tempora a *Bonifacio Fuldenſe* monaſterium, primo
illius loci abbate *Sturmo*. (25) Epiſcopi hi et
Abbates tradendis Chriſtianae Religionis myſte-
riis et informandae ſedulo iuuentuti erant in-
tenti. (26)

(1) Non idem huic Deaſtro ab omnibus nomen imponitur, quippe Irmenſul, jedermanns Säul, Arminſul, Hermanſäul, a quibusdam adpellatur, neque apud omnes conuenit, vnde nomen hoc deuenerit. Omnium forſan rectiſſime ii ſentiunt, qui in *Arminii Cheruſcorum* Ducis, et ſtrenui *Variani* exercitus oppugnatoris memoriam conſecratum, et a poſteritate pro numine cultum fuiſſe tradunt. Imago erat hominis cataphracti, dextra tenentis haſtam, ſiniſtra libram, in clypeo leonem. Colebatur non vno in loco, praecipue tamen in *Eresburg*. Columna,

lumna, cui deaſtrum hoc olim inſiſtebat, etiamnum in cathedrali apud *Hildeſienſes* templo conſpicitur. Conf. prolixe *Heur. Meibom.* de Irmenſula: *Wikelmannus* in notit. hiſt. Pol. veteris Saxo Weſtphal. *Elias Schedius* de DIS Germanorum: *Arnoldi* Addit. ad Alex. Roß. de diuerſis religionibus orbis c. 8. *Fr. Paullini* T. I. Zeitkürzende erbaul. Luſt. p. 327. ſeq.

(2) Erat hic Deaſter *Germanorum Saturnus*, qui columnae impoſitus percae piſci ſquammoſo et aſpero inſiſtebat, macilentus, capite nudo, dextra vaſculum roſis impletum, ſiniſtra rotam tenens, de quo *Arn.* c. 7. it. *Sched.* Syngr. 4. Colebatur in Harteſburg haud procul a *Goslaria.* Omnis malitiae hic artifex creditur, vnde Krodenteufel ortum.

(3) Huic Germanos ſacra feciſſe ex *Tacito* conſtat. *Arnoldus* eum *Wodan* dictum, regioque habitu, dextra gladium, ſiniſtra parmulam gerentem, cultum opinatur. Vid. c. IV. it. *Sagitt.* in antiqu. Gentiliſmi et Chriſtianiſmi Thuring.

(4) Cuius ſimulacrum ita formant: Statuae inſiſtebat armati effigies, dextra manu ceſtum, acutis verruminatum ſtigmatibus, ſiniſtra clypeum tenentis, cui equus nineus in ſcuto roſeo inhaerebat. Si iuxta quorundam recenſionem huius origo victoria fuit per *Lotharium* Sax. ab *Henr.* V. Imper. reportata, inter antiquiora Germaniae gentilis idola referri haud meretur.

(5) Freia haec dicta fuiſſe maioribus videtur, pictaque ſtans in curru nuda, myrto capite cincta, ardentem facem in pectore, dextra mundi globum, ſiniſtra mala tria aurea ferens, poſt quam nudae Gratiae nexis manibus poma geſtantes, aueſiſque inuicem vultibus dona conferentes erant, iugales item quadrigae, cygni gemini, totidemque columbae, qua forma *Venus* in arce *Magdeburg.* culta dicitur *Cranzio*, it. *Chron. Magd.* p. 4. Aliam tamen eius figuram exhibet *Arnold.* in addit. c. 6.

(6) De reliquis antiquiorum Germ. idolis vid. *Schedius* l. c. *Ad. Bremenſ. Arnold. Sagittar.* et alii.

(7) Ex ante dictis conſtat, quomodo Chriſti nomen ſuperioribus etiam Saeculis diuerſis Germaniae populis fuerit nunciatum. *Theodoretus* inter gentes ab Apoſtolis conuerſas Germanos numerat. *Lucius Cyrenenſis*, Pauli commilito et cognatus Saec. I. in *Vindelicia*, *Rhaetia* prouinciisque *Iſtro* conterminis Chriſtianae pietatis ſementem feciſſe ſcribitur. Sic *Creſcens Pauli* diſcipulus in *Dalmatia*, *Clemens* eius collega *Meti*, *Matenus* vnus a LXX. diſcipulis, *Eucherius et Valerius Petri* diſcipuli in *Alſatiae* finibus, *Treuiri et Coloniae*, docuiſſe feruntur; quanquam non vniuerſae ſimul gentes, neque *cis et trans-Rhenanae* ſimul Chriſto ſe addixerunt, ipſaeque non ſatis conſtantes in hac fide extiterunt. Saeculis IV. et V. teſte *Ammiano Marc.* et *Hieron.* variae in Germania Eccleſiae per barbarorum irruptio-

irruptiones deſolatae fuernnt, quae ante illa tempora ibidem fuerant plantatae. Vid. *Vrſinus* de Eccleſ. Germ Orig.

(8) Vid. *Conring*. Tr. de Imperio Rom. it. *Krebſi* diſſert. Anti-Baron. nec minus Pabſtthron l. II, I. n. 23. ſeq. p. 273. ſeq. *Natal. Alexand.* in Select. Hiſtor.

(9) Aliis hic *Wigbertus* dicitur, ſub initium Saeculi in *Weſtphaliam* venit, cum circa *Rhenum* barbaris Chriſtum praedicaſſet, multosque illic ac circa *Monaſt rium* et *Bileueldium* conuertit, denique in vico Kaiſerswerth ad *Rhenum* condito templo obiit.

(10) De *Bonifacio* vide, quae ad § III. huius Saeculi inferius dicentur.

(11) *Willibrodus* Anglo Saxo primus *Friſiae* Epiſcopus a *Sergio* Papa conſtitutus, conuertendis iis omnem nauauit operam, quamquam ſimul Romanis ſuperſtitionibus propagandis ſedulo incumberet: obiit anno aet. 81. Socium in *Friſiorum* et *Weſtphalorum* conuerſione habuit *Marcellinum*, item S. *Willehadum*, quod poſt *Bonifacii* necem multa gentilium millia Chriſto adduceret, *Saxonum et Friſiorum Apoſtolum dictum*.

(12) *Carolus M.* ſuperatos et deuictos *Saxones*, vt in fide retineret, hinc inde varias condidit Eccleſias, quibus ſibi fidiſſimos ac fideliſſimos praefecit Doctores. Illarum primiceria fuiſſe ſcribitur *Eccleſia Oſnabrugenſis*, quanquam circa tempus conditi huius Epiſcopatus non vna omnium ſit ſententia. Conf. *Erruini Erdmanni* Chron Oſnabr. it. *Gryphiand*. de Weichb. Sax. c. 29. et 33.

(13) Videſis haec prolixe didocentem *Sagittarium* in Hiſtoria Halberſtadienſi: it. *Budaeum* in Chronolog. Epiſcoporum Halberſt. *Winnigſtadium* in Chron. Epiſcoporum Halberſtad. *Melchior. Neofanium* et alios. Primus hic Epiſcopus fuit *Hildegrinus*. Hodie Epiſcopatus in Principatum verſus, ſub clientela *Brandenburgica* viuit.

(14) *Wittikindus* nouiter conuerſus hic *Caroli M.* iuſſu Eccleſiam fundauit, Epiſcopatumque *Carolus* condidit, *Herimberto* primo Epiſcopo conſtituto. *M. Iul. Schmid* Catalogum, Epiſcoporum Mindenſ. reliquit. Parem cum *Halberſtad.* ſortem *Epiſcopatus Mindenſis* noſtro Saeculo expertus, in ſaecularem Principatum conuerſus, et Electori *Brandenburgico* ſubiectus fuit.

(15) Locus, vbi hodie *Monaſterium* eſt, olim dicebatur *Alimingerode*, ſed a condito poſtmodum illic virginum Monaſterio nomen iſthoc accepit. Primus eius Epiſcopus fuit *Ludgerus*, cuius vitam varii ſcripſerunt. *Anabaptiſtarum* ſuperiori Saeculo furor *Monaſterii* exercitus et repreſſus notus eſt.

(16) Statuunt quipiam, *Verdenſem* Epiſcopatum initio a *Carolo M. Bardanici* erectum, poſtmodum vero *Verdam* translatum fuiſſe. Sed rectius haec edocet *CL. Sagittarius* in Hiſtoria Bardo-

Bardouic. c. 1. §. 6. ſeqq. Primus loci Epiſcopus fuit *Snibertus.* Saecularis hodie itidem Principatus eſt.

(17) *Willebadus* hic inter Epiſcopos primo numeratur. Vid. *Adam. Bremenſ.* in Hiſt Eccleſ. Poſtmodum *Hamburgum* aliquando translatus, inde *Bremam* rediit, et poſt bellum Germaniae tricennale in Principatum ſaecularem conuerſus Epiſcopatus, *Sueciae* Regi ceſſit. Conf. Metrop. *Alb. Cranzii.*

(18) Apud *Elzium* vel aulam Regiam in concurſu *Salae* ac *Linii* coepiſſe fertur hic Epiſcopatus, *Auliceuſis* initio dictus, et a *Carolo M.* fundatus, poſtmodum a *Caroli* F. *Ludouico Pio* illuc traductus, vbi hodie *Hildeſia* vel *Hildesheim* ſita eſt: primus gubernauit Epiſcopatum hunc *Guntharius* vel *Guntherus.* Vid. *Onuphr. Meinroſen* Chron. Hildeſ.

(19) Huius initia *Carolus M.* in *Heeriſtellio*, arce munitiſſima ad *Viſurgim* fixit, poſtmodum in *Paderbornenſem* agrum transtulit, vbi etiamnum reſidet. *Hadamarius* vel *Harimarus* primus loci Epiſcopus nominatur, *Burchardi Würzburgenſis* diſcipulus. Videſis praeter *Gobelinum Perſonam* in Coſmodrom. *Monumenta Paderbornenſia Epiſcopi Paderborn. Furſtenbergii.*

(20) Qui cum *Bremenſi* demum coaluit, de quo *Ad. Brem. Cranzius, Lambecius* et alii. Adde his Eccleſiam *Schirenſem,* itidem a *Carolo M.* fundatam, poſt per *Brunonem et Tanquardum* Saxones in *Vallersleben* ſuper *Ericam* transpoſitam, inde per *Henricum I.* in *Vroſe*, oppidum *Nordthuringiae*, et tandem per *Ottonem M.* Saec. X. *Magdeburgum* translatam: (Vid. ad illud Saec.) item Capellam in *Eresberg* loco idololatrici *Irmenſulae* cultus a *Carolo* erectam.

(21) De *Wittikindo* vide praeter ſcriptores antiquos *Boeclerum, Reineccium, Winkelmannum, Schurzfleiſchium* aliosue ex recentioribus.

(22) *Salisburgenſi* ſiue *Iuuauienſi* Epiſcopatui, hodie Archi-Epiſcopatui, anteriora quidem tempora, et Saeculum VII. initia dediſſe ſcribuntur, *Rudperto* ex Regali *Francorum* progenie orto fundamenta eius ponente; ſed *Arno* primus a *Leone* III. R. Pont. Archi-Epiſcopale pallium accepiſſe ſcribitur. Vid. Wigul. Hund. it. Meiers Salzburgiſche Chronik.

(23) Vocatur ab aliis *Richardus* vel *Rurchardus*, et pro deponendo *Franciae* R. inerte ſtrenue apud Pont. laborauit, quo impetrato a *Pipino* gratiae loco *Ducatum Franciae Orientalis* obtinuiſſe ſcribitur cum omnibus ſucceſſoribus, vnde verſus:

Herbipolis ſola iudicat enſe, ſtola.

Conf. *Io. Reinhardi* Würzburgiſche Chronik, it. *Laur.* Fiſchers Hiſtorie der Biſchöffe zu Würzburg.

(24) Qui itidem ex conſanguineis *Bonifacii* fuiſſe dicitur. Antiquitates huius Epiſcopatus *Iacobus Gretſerus* Ieſ. cum aliis ſcripto conſeruauit.

(25) Coenobii *Fuldenſis* antiquitates et alia circa idem notabilia refe-

referunt *Chriſtoph. Brouwerus*, *Eberhardus Fabritius*, *Valent. Munzer*, *Paullini* aliiue: Idem *Brouwerus* quoque tradidit vitam *Sturmonis*.

(26) Erant quippe Monaſteria primis temporibus Scholae et Collegia, in quibus viri nobiles aliique ingenti ſtudio in religionis ac pietatis fundamentis ceteriſue artibus ſolerter inſtituebantur, vſque Saec. X. et XI. literaturae morumque barbaries ingrueret. Ceterum hoc quoque Saeculo *Chabas Auarum* ſatrapa, *Caroli M.* hortatu, Chriſtianam religionem fuit amplexus, imo *Hunni* et *Auares* a *Carolo* deuicti, Chriſto manus dare cum *Venedis* fuere coacti, qui poſtremi praecipue a Duce *Ingone*, vilem plebeculam Chriſtianam in conuiuio lautiſſime excipiente, nobilibus contra gentilibus panem et aquam offerente, ad ſacra haec colenda fuere perducti.

§. 2.

Interim alibi Eccleſia diras paſſa eſt perſecutiones; *Saraceni* enim non *Orientale* modo Imperium continuis depraedationibus laceſſiuerunt,
706. ſed et *Africam* occuparunt, atque *Hiſpaniam*,
713. *Roderico* Rege coeſo, ſubegerunt, ſuoque veneno
721. infecerunt; inde *Pyraeneos* transgreſſi *Galliam* miſere vaſtarunt, *Burdigalam* diripientes, ſaeuitiam ſuam vbique exeruerunt; quos tamen *Carolus Martellus* inſigni clade ſuperauit; (1) Acceſſerunt *Dani* (2) *et Sclaui*, (3) *Saxones* (4) quoque et *Friſii*, duce praecipue *Radbodo*, infenſiſſimo Chriſtianorum hoſte, qui conuerſas ad CHRISTVM gentes vndique perſecuti et funditus euertere adniſi ſunt.

Maior vero clades inferebatur Eccleſiae diſſidio inter *Orientalem* et *Occidentalem* Eccleſias orto. Scilicet locuti hactenus fuerant Patres *Orientales* de *Spiritu Sancto* ita, vt cum a Patre per Filium procedere dicerent, (5) quam locutionem poſteri deteriorem in ſenſum detorquebant, Sanctumque Spiritum a Filio procedere nega-

negabant. Acceſſit idolorum nimius in Eccleſia cultus, et veneratio imaginum: Hinc Imperatores *PHILIPPICVS Bardanes*, atque poſt eum 711.
LEO Iſauricus cum Filio *CONSTANTINO Copronymo* et nepote *LEONE IV.* imaginum cul- 723.
tum omnem damnarunt, ſtatuas et ſimulacra e templis eiecerunt atque cremarunt, atque ita *Iconoclaſtis* ſeu *Iconomachis* ortum dederunt; (6) quo ipſo *Romani Pontifices* ad maiora ſenſim adſpirantes, *Gregorius* praecipue II. et III. a Caeſaribus Orientalibus animo alienati, ingens et vſque huc nunquam redintegratum ſchiſma excitarunt, (7) omnique conamine imaginum cultum defenderunt, *Longobardorum*, et dehinc *Francorum* ambientes amicitiam, ac ſuis Imperatoribus debitum detrectantes obſequium. (8)

Vlterius quoque doctrinae purioris curſum inhibuerunt *Felix Orgellorum*, et *Elipandus To-* 783.
leti in *Hiſpania* Epiſcopi, qui CHRISTVM hominem Filium Dei tantum adoptiuum adſerebant, atque ita *Neſtorianiſmo* ſe implicabant. (9) Ne de *Monophyſitis*, *Monotheletis*, *Manichaeis* ac *Donatiſtis* ceteriſque ex antiquioribus Saeculis reſiduis haereſibus hic plura reperantur. (10)

(1) Vid. ad §. IV. huius Saeculi.

(2) *Dani* cum *Normannis* in *Angliam* irrumpentes, crudeliter eandem deuaſtarunt, vltrice tamen DEI manu omnes periere.

(3) Horum quanquam haud pauci Saec. VIII. Chriſto ſe adplicuerint, plures tamen idolis adfixi, veros Chriſticolas igne ac gladio proſequebantur ad Saec. vſque XII.

(4) De pertinacia eorum pro ſuperſtitione gentili, et libertate auita retinenda, copioſi ſunt ſcriptores aeui Carolini. *Radbodus* iam a *Wulfranno* Chriſtianam fidem edoctus, et baptizandus, de ſuis quaerit maioribus, an in coelo vel inferis eſſent? audiens vero, in inferno aeterna pati tormenta, pede ex baptiſmo retracto, ſe cum maioribus ſuis, viris illuſtribus et ma-

gna frequentia, in inferno eſſe malle, quam cum Chriſtianorum popello miſero et clericis in coelo, cuius ſui voti compos, die tertia miſere periit. De Satanae praeſtigiis, quibus eidem impoſuit, vid. *Vincent.* Specul. Hiſt. l. 33, 18.

(5) Vide *acta Theologor. Wurtenbergenſ.* cum *Hieremia Patriarcha Conſtantinopolitano*, quibus multa Patrum dicta ad examen reuocantur, et *Io. Georg. Walchii* hiſtoria controuerſiae graecorum latinorumque de proceſſione Spiritus S. Ien. 1751.

(6) Cum aduerterent Imperatores Orientis, Muhammedanis Saracenis, magno tum impetu Thraciam et Bithyniam inuadentibus, Chriſtianos auerſandi et infeſtandi anſam praebere imaginum cultum, et hunc et illas abdicarunt. Quanquam forte multa parum moderata tum ab ipſis, qui abolitas cuperent imagines, tum ab aliis, qui ſeruatas vellent, interuenerint.

(7) Quippe decreuerunt Romani, ne Imp. *Philippici* tanquam haeretici nomen, aut chartas, aut figuram ſuſciperent, imo nec eius effigiem, more antiquo, in Eccleſiam introduxerunt, nec nomen inter ſacra protulerunt. Conf. *Chemn.* Exam, Conc. Trid.

(8) Cum *Langobardi* capta *Rauenna*, Exarchatui finem impoſuiſſent, Pontifices huius ditionibus et vrbibus inhiantes, quanquam *Alpes Cottias*, illi donaſſent, iugum *Langobardicum* excuſſuri, *Gallorum*, praecipue *Pipini*, quem in thronum euehi conſenſerant, auxilia impetrarunt, quibus coactus *Aiſtulphus Langobardorum* Rex *Exarchatum* et *Pentapolin* reſtituit; ſed quod pactis vbique haud ſtaret *Deſiderius*, *Langobardorum* itidem Rex, victus a *Carolo M.* et captus, *Langobardico* regno vltima promouit, reliquitque victor *Carolus* Rauennam et alia, qua vſum in poteſtate Pontificum. Vid. *Coring.* de fin. Imp. R. G. Pabſtthron pag. 227. ſeq.

(9) Quanquam *Georg. Calixtus Neſtorianam* labem a *Felice* remouere contendit, in Programm. de controuerſia, an Chriſtus ſecundum carnem ſit filius DEI naturalis vel adoptiuus A. 1643. adfixo; quem tamen nomine ſuppreſſo refutauit *Dorſchaeus* in collatione ad Conc. Francof. 1649. Vid *Forbeſi* Inſtit. Hiſt. Theol. L. VI. c V. p. 296. et *Io. Trellund* theol. hafnienſis in exercit. hiſtoricotheol. de Felia, vrgelitani et Elipandi toletani haereſi. vulgo adoptiana, Hafn. 1699. quae recuſa eſt in *Io. Vogtii* biblioth. hiſtor. haereſiol. T. I. faſc. II. et III. vbi p 347. 410. ſcriptores de adoptianis commemorantur. Excepere hanc eiusdem *Trellundi* exercitationem aſſertio plenior genuini ſtatus controuerſiae orthodoxos inter et adoptianos Saec. IIX. agitatae, 1715. et quaeſtionum theologicar. Felicianae controuerſiae adfinium decas, 1716. v. *I. A. Fabricii* biblioth. lat. mediae et infimae aetatis, L. V. p. 279. v. *Elipandus* et L. VI. v. *Felix* vrgellenſis, p. 482. ſ. vbi ſcriptores de haereſi adoptianorum, p. 484. magno numero enarrantur.

tantur. Adde D. *Bernh. Frid. Quiſtorpii* exegeſin theol. notionis bibl. filior. Dei, Roſt. 1752. *Chriſt. Guil. Franc. Walchii* hiſtoriam Adoptianorum, Gotting. 1755.

(10) *Monophyſitae* cum *Monotheletis* in *Thracia* et *Oriente*, *Manichaei* vero et *Donatiſtae* in *Africa* repullularunt.

§. 3.

Quod *PHILIPPICVS* Imperator *Monotheletis* faueret, indicta *Conſtantinopoli* Synodo *Concilium Sextum* abrogat, ſanctasque CHRISTI et *B. Ma-* 712.
riae aliasue imagines nullo cultu ac veneratione dignandas ſancit: (1) At *Romae* Papa *Conſtanti-* 713.
nus conuocata alia Epiſcoporum Synodo diris Caeſarem deuouit, ſanctasque imagines veneratione proſequendas eſſe edixit. Cumque de abrogandis illis ſimulacris edicta etiam propoſuiſſet Imperator *LEO*, (2) *Gregorius II.* coacta 725.
in *Laterana* Synodo, imaginum venerationem ad excitandam plebis memoriam adſeruandam eſſe ſtatuit; cumque Caeſar imaginum defenſores perſequi pergeret, (3) *Gregorius* idem non modo *LEONEM* excommunicauit, ſed et eius ſucceſſor *Gregorius III.* habita *Romae* alia Synodo cum 732.
93. Epiſcopis decreuit, *ſi quis poſthac veterum vſum contemnens ſacrarum imaginum venerationem abrogare praeſumſerit, ſit extorris a corpore et ſanguine Domini noſtri IESV CHRISTI, vel totius Eccleſiae vnitate.* (4) *LEONIS* Filius *CONSTANTINVS*, *Copronymus* vulgo dictus, de imaginibus collegit *Synodum Conſtantinopoli*, 754.
quae *Oecumenica VII.* vocatur, qua praeſentibus 338. Epiſcopis damnati *Monotheletae*, ſimulque imagines, et non adoratio tantum, ſed et vſus reliquus reiectus, imo ab omnibus imperio ſub-

iectis iusiurandum fuit exactum, ſe ſanctas impoſterum imagines deſpecturos. (5) Miſit Synodi illius decreta ad *Pipinum* (6) *Galliae* Regem, vt ad eandem opinionem eum perduceret, ſed con-
767. vocatis in villa *Gentiliaco Epiſcopis* de imaginibus et Spiritus S. proceſſione diſputatur contra
769. Graecos. (7) In *Conſtantini* Papae depoſiti (8) cauſa *Stephanus* III. Romae agit Synodum, cuius
770. acta ibidem reſcinduntur; (9) ſicut et in *Wormatienſi CAROLVS* Rex clero, ne in bellum exeat, imperat, (10) alibique varias Epiſcoporum et Procerum de Regnorum ſuorum ſalute congregationes agit, ſimulque de Germanorum conuerſione neceſſaria cum ſuis deliberat. (11) In imaginum denuo cauſa a CONSTANTINO VI.
785. eiusque matre *Irene* Synodus *Conſtantinopoli* congregata cum reducere imagines vellet, a plebe diſturbatur; inde impulſu Pontificis *Hadriani Niceae* redintegratur, atque praeſentibus 350. Epiſcopis, et Pontificis legatis concluditur, *ſacras imagines, non tantum haberi poſſe ad vſum hiſtoricum, ſed illas omnino neceſſarias eſſe in Eccleſia, imo venerandas, ſalutandas, oſculandas, colendas et adorandas.* (12) Vocatur haec Synodus vulgo *Oecumenica VII.* Huius acta ad CAROLVM cum eſſent delata, Synodum in Germania
794. ex 300. fere Epiſcopis conuocat *Francofurti CAROLVS*, vbi *Felicis* ac *Elipandi* damnata haereſis, ſimulque *Synodi Nicenae* acta reſcinduntur, ac decernitur, ſeruandas quidem in meliorem rerum memoriam in templis eſſe imagines, non tamen adorandas. (13) Idem quoque piiſſimus Rex

Rex prope *Lutetiam* aliud inſtituit Colloquium, quo Graecos Romanis conciliare circa Spiritus Sancti proceſſionem, ſed fruſtra, fuit adniſus. (14)

Ceterum rara *Patrum* hoc Saeculo fuit eruditio. Vixerunt primis eius temporibus *Germa-* 720.
nus Archi-Epiſcopus *Conſtantinopolitanus*, (*15*) *Bonifacius*, alias *Wunefridus* dictus, Germanorum Apoſtolus, Scripturae et literaturae cultioris ſat imperitus, vtpote, qui, cum rudis quidam ſacerdos in *Bauaria* in nomine *Patriae*, *Filiae et Spiritus Sanctae* baptizaſſet, illegitimum illum baptiſmum adſeruit, defendentibus eum aliis, et confirmante tandem *Zacharia* Romano Pontifice. Idem quoque *Vergilium* Epiſcopum; quod antipodes ſtatuiſſet, haereſeos accuſauit apud aeque indoctum Pontificem. (16) *Io. Damaſcenus*, qui ſcriba erat principis Saracenici, qui tamen imaginum cultum, miſſas aliaque dogmata defendit.
(17) *Beda* quoque Britannus, Monachus et 730.
Presbyter inclaruit, vir vndiquaque doctiſſimus,
ex vitae ſanctitate et morum grauitate *Venerabi-* 740.
lis nomen adeptus. (18) *Coſmas Hieroſolymita-*
nus; (*19*) *Clemens* Scotus, qui Archi-Epiſcopo 750.
Moguntino Bonifacio ſe oppoſuit, (20) *Flaccus* 760.
Albinus ſiue *Alcuinus*, *Bedae* diſcipulus, et CAROLI 770.
M. praeceptor, qui eius iuſſu *S. Biblia* deſcribentium incuria deprauata emendauit, (21) *Ioannes Hieroſo-*
lymitanus, (22) *Baſilius Ancyranus*, (*23*) *Antipater* 780.
Boſtrenſis, *Claudius Clemens* Scotus, Epiſcopus 790.
Altiſiodorenſis, (24) et *Io. Mailroſius* Scotus. (25) Hiſtoricus quoque tum floruit *Paulus Diaconus*,

Deſiderio Longobardorum Regi a ſecretis, qui a CAROLO captus, et poſt libertate donatus, iuſſuque illius poſt offenſam aliquam relegatus, tandemque in Monaſterium *Caſſinenſe* receptus, *Longobardorum* hiſtoriam et alia complura exaravit. (26) Quo autem iſti literarum inſcitiae, et variis Scripturae corruptionibus obicem poneret
792. Rex CAROLVS, ſuaſu *Alcuini* et aliorum Scotorum *Pariſienſem* hoc Saeculo condidit Academiam, pluresque in Germania erexit in Monaſteriis Scholas, queis iuuentus in artium ſtudiis ſedulo imbueretur.

(1) Picturam ſex Synodorum vniuerſalium, in templo S. Sophiae antea extantem, eradi iubet Imp. *Philippicus.* Ceterum tribus prioribus N. T. Saeculis Chriſtiani nullas templis intulerant imagines, quanquam infirmis e gentiliſmo conuerſis domi habere permitterent; poſtmodum propter ſanctorum et Martyrum memoriam, et ad excitandam pietatis virtutisque aemulationem et imitationem, baſilicarumque exornationem, exemplo *Hieroſolymitani* templi ducti, in templis imagines ſuſpenderunt, neque tamen adorandas expoſuerunt, vſque ſequioribus Saeculis cum ſuperſtitionibus aliis longo numero inuectis adoratio quoque imaginum reciperetur, imo tanquam neceſſaria praeciperetur.

(2) Non omnes tantum imagines Conſtantinopoli in forum adduci et cremari iuſſit *Leo* Imp. ſed et cultores earum capite truncauit, aut alia corporis parte mutilauit, aut combuſſit, quod Oecumenio Profeſſori cum 12. Collegis contigit, aut de reliquo grauiter adflixit.

(3) Sunt, qui *Rauennae* hoc Concilium habitum tradunt, quo *Leonis* decretum abrogatum, ipſe cum Patriarcha *Anaſtaſio* excommunicatus, et dignitate ſua priuatus, tributa et vectigalia ex *Italia Conſtantinopolin* deferri prohibita fuerunt. Vide tamen *Io. Launoii* ſententiam apud *Reuſer.* in Anti-Bellarm. p. 422

(4) Condita hic decreta XIX partim recte, partim inique ſententia. Interim dum imaginum cultum abrogatum cupiunt, D virginis *Mariae*, aliorumue ſanctorum interceſſiones ſtabiliunt

(5) *Pipinus* deiecta ſolio regali familia *Merouingica*, et depoſito *Chilperico* inerte, Rex Galliae ex Maiore domus conſtitutus fuit. Recte an ſe[illegible] *Zacharias Chilpericum* deponi voluerit,

rit, examinat *Io. Launoius* Theologus et Sorboniſta Pariſ. T. VII. p. II. Ep. p. 97. vid. *Reuſerus* in Launoio teſte et confeſſore veritatis Euangel. p. 109. ſeq.

(6) Interfuerunt quippe Synodo huic Orientales quipiam et Occidentales Epiſcopi, quanquam, quid in illa tandem fuerit ſtatutum, ignoretur. *Sigebert.* ad An. 766. it. *Baronius* ad. d. a.

(7) Ex Edicto Pontificis, idque armata manu facti. Quod autem Imperatori Orientis, et R. *Langobard.* fauere videretur, a factioſa plebe detruſus fuit.

(8) Ipſe Papa *Conſtantinus* oculis et vita priuatus fuit. Vid. Pabſtthron p. 251.

(9) Duplex *Wormatiae* Synodus circa A. 770. et 772. habita, quanquam Procerum *Germaniae et Galliae* potius conuentus, quam Synodus ſacra dici vtraque meretur, qua de Reipubl. adminiſtratione nonnulla fuerunt ſancita.

(10) *Auguſtae Vindelicorum* a *Bonifacio* Pontificis autoritas ſtabilita Epiſcoporum luxus frenatus, quod idem in *Francia* quoque ſtatutum. *Ratisbonae* A. 792. *Felix* erroris conuictus, *Romamque* ductus, haereſi ſpecietenus renunciauit, poſt vero ad vomitum rediit. In *Bauaria Thaſſitone* duce, varia fuerunt circa Eccleſiam et Rempubl. conſtituta; quem dein *Carolus* in *Ingelheimenſi* conuentu perfidiae accuſauit, atque in Monaſterium relegauit.

(11) Vt mulierculae vulgo in ſuperſtitionem ſunt procliues, ita regnante muliere, regnum denuo obtinuit cultus ſuperſtitioſus, quanquam *Irene* forſan ideo hac in parte Pontifici ceſſit, vt contra Saracenos facilius ſubſidium ex orbe Chriſtiano occiduo impetraret. Proinde vt placaret iram Pontificis, non ſoceri exuuiis, non filii vitae pepercit, illas quippe effoſſas cremari, cineresque per mare ſpargi iuſſit, hunc erutis prius oculis in carcere interemit. Haec fuere pro imaginum cultu argumenta, quarum concluſiones parricidia ingrediebantur et caedes cruentae.

(12) Conf. ſup. laudatam B. *Dorſchaei* collationem ad Conc. Francof. Hiſtoriam huius diſſidii docte ex antiquitate pertexuit *Io. Dallaeus* Libris IIII. de imaginibus, Lugduni Batau. 1642. Satis diu libro huic nihil oppoſuerunt Romanenſes, donec *Natalis Alexander* in hiſtoria eccleſiaſtica ſaec. VIII. diſſertationem edidiſſet de vſu et cultu imaginum, in qua Dallaeum preſſo pede ſequitur, atque rationes illius conuellere annititur. Iam antea *Ludou. Maimburgius* iuris publici fecerat hiſtoriam iconoclaſtarum, gallico ſermone compoſitam, qua omnia, quae ad argumentum hocce ſpectant, ſe exhauſiſſe inaniter gloriantur, etſi multa ibi legantur, quae fabulam Romanenſem longe magis redolent, quam hiſtoriam accurate ſcriptam. Vtrique huic *Fridericus Spanhemius* F. oppoſuit hiſto-

riam imaginum reſtitutam, luce publica donatam 1686. et recuſam in operum Tomo II. col. 707. ſeqq.

(13) Forſan cum conuentu ad *Gentiliacum*, de quo ſup. idem hic fuit. Non praetermittendum hic Conc. Romanum Anni 774. quo ab *Adriano* Papa et 153 Epiſcopis atque Abbatibus ius eligendi Pontificem, et ordinandi ſedem Apoſtolicam, dignitas quoque Patriciatus, inſuper Archi-Epiſcopos et Epiſcopos per ſingulas prouincias inueſtiendi conceſſum fuit *Carolo Francorum* tum Regi. Vid. Pabſtethron p. 288. ſeq. A. 797. *Aquisgrani* a 360. Epiſcopis baſilica ſolenniter dedicata, ac nonnulla ordinata fuiſſe ſcribuntur.

(14) Qui quod iconolatriam defenderet, ſponte ſe abdicauit officio, vel a Leone Imp. in exilium fuit pulſus.

(15) *Bonifacius* natione *Anglus*, poſt iacta variae eruditionis in patria ſpecimina, in *Friſiam* venit, pro conuertendis ad Chriſtum gentibus: inde poteſtate accepta a Pontifice praedicandi in *Germania* Euangelium ſtrenuo id in *Bauaria*, *Franconia*, *Thuringia*, *Saxonia*, *Haſſia* et alibi egit, gentilium idola euertit, Chriſto templa condidit, Pontificias tamen ſuperſtitiones grauiter defendit et inuehit, atque inde redhoſtimenti loco Archi-Epiſcopus *Moguntinus* conſtituitur: tandem in *Friſia* prope *Docum* a praedonibus vna cum ſociis fuit interemtus, *Fuldaeque* conditus. *Serar.* l. III. rer. Mogunt. *Sagittar.* in Antiqu. gentiliſmi et Chriſtianiſmi Thuring. aliosue. Quod autem *Germanorum Apoſtolus* haud ſatis vere dicatur, idem *Sagittarius* l. c. prolixe diducit, cui adde *Paullini* T. II. zeitkürz. erbauliche Luſt pag. 496. 628. ſeq.

(16) *Io. Damaſcenus*, *Damaſci* natus, Patrem habuit Praetorem *Saracenicum*, Chriſtianis haud iniquum, quibus filium informandum tradidit: inde *Saracenicas* quoque literas addidicit, ſeque a fide *Muhammedis* haud alienum profeſſus, cum Rege ad ſepulchrum impoſtoris profectus, adorauit ibi, et publice praedicauit, vnde honores ampliſſimos reportauit, ſed poſtmodum in Monaſterium abiit, et presbyter factus, contra Impp. Conſtantinopolitanos Iconomachos acerrime pugnauit, et habita Synodo anathematizauit; inde calumniis oneratus, iuſſu *Saraceni* digito vel brachio priuatus fuit, quanquam Mariae ope reſtitutus fingatur. In ſcriptis nimis credulus, et fabularum ſtudioſus deprehenditur. Propter magnas ingenii dotes *Io. Chryſorhoas* vel *Chryſoras* dictus fuit. Vid. *Gerh.* Patrolog.

(17) *Anglus* hic fuit, in *Girwicenſi* coenobio, inde ab Archi-Epiſcopo *Eboracenſi* educatus, latinitatis, et variae literaturae fuit ſtudioſiſſimus; Diaconus initio, tandem Presbyter, qui et lapidibus praedicaſſe, ab iisue nomen *venerabilis* reportaſſe narratur. Vide tamen de hoc nomine *Io. Pincierum* Prof. Marpurg. in Parergis otii Marpurg. Scripta eius multa fuere,

de

de quibus *Bellarm*, *Balaeus*, *Sixt. Sen. Gerh. Cent. Magd*, it. *Cocus*.

(18) Praeceptor creditur fuiſſe Damaſceni, nec ipſe *Hieroſolymitanus* Epiſcopus, ſed ſub Patriarchatu Hieroſ. praefuit Epiſcopatui.

(19) Quippe *Adelberto Gallo* ſe iungens, coelibatum ſacerdotum, et Pontificis autoritatem nimiam impugnauit, qua de cauſa infenſi non parum ipſi ſunt Pontificii.

(20) In tanto apud Imp. aeſtimio vixit, vt Magiſter Caroli deliciosus adpellaretur. Non tamen ſine naeuis fuit, quos recenſet *Oſiander* Hiſt. Eccleſ. Cent. VIII. I. IV. 2. Scripta eius vide apud *Gerhardum*.

(21) De quo non omnia adeo certa eſſe videſis apud *Baron*. A. 749. n. 3.

(22) Primo hic imaginum cultum improbauit, quanquam poſtea mentem immutauerit.

(23) Taurinenſis hic, non *Autiſiodorenſis* fuiſſe Epiſcopus videtur, nec cum priore *Clemente* Scoto confundendus. *Bedae* diſcipulus, Graece ac Lat. ſingulariter doctus, multorumque in libros Bibl. Commentariorum autor fuit.

(24) A pluribus hic *Meilioſius* indigitatur, fuit itidem *Bedae* diſcipulus, ſuperioris ſocius, venalem ſe habere ſapientiam in foro publico profeſſus, cuius ope *Papienſis et Bononienſis* conditae Academiae. Recenſitis hactenus Eccleſiae Doctoribus adiici poſſunt nonnulli alii, vt *Aegidius* Monachus et Eremita, Medicinam profeſſus, *Benedictus Biſcopius*, Bibliothecae in *Anglia* collector, *Brituualdus Cantuarienſis*, *Corbinianus Friſingenſis*, *Cyrus* ex Conſtantinopolitano Patriarcha denuo Abbas, *Daniel Ventanus*, *Hidda Doreeſtrenſis*, *Hildegrinus Halberſtadienſis*, *Habertus Leodienſis*, *Ludgerus Monaſterienſis*, *Paulinus Aquilegienſis*, *Felicis* et *Elipandi* impugnator, *Sebaldus* agri *Norici* doctor, vnde et *Noribergenſium* quondam Patronus, *Taraſius* Conſtantinopolitanus, *Wulfranus Senonenſis* aliiue nonnulli, ſuperſtitionum tamen Papalium vtplurimum foecundi propagatores.

(25) A Patre hic *Paulus Warnefrid*, ab officio, quod Aquilegiae geſſerat, *Diaconus*, et a Monaſterio, cui ſe tandem abdidit, *Caſſinenſis* dictus fuit. Vltimi Regis *Langob*. Deſiderii erat Cancellarius, et cum eodem a *Carolo* captus, atque initio magni habitus, poſt in *Diomedis* Inſ. deportatus, apud *Aregiſum Beneuentanum* Principem delituit, tandemque in coenobium abiit. Iuſſu *Caroli* hic hiſtorias et lectiones per totum annum ſingulis feſtiuitatibus ſanctorum congruentes ordinauit, vel, ſecundum *Sigebertum*, optima quaeque de ſcriptis Catholicorum Patrum decerpens, lectiones cuique feſtiuitati conuenientes, per circulum anni in Eccleſia legendas compilauit. De ipſo, ſcriptisue eius prolixus eſt *Mollerus* in diſſert. de P. Diacono, et

I 5 *Io*.

Io. Henr. Thameri ſchediaſma de origine et dignitate pericoparum; Ien. 1734.

(26) Vid. Hoſpinianus de orig. ſcholar. et Monachatus, *Io. Launoius* de ſcholis a Carolo M. per occidentem inſtitutis ex edit. *Io. Alb. Fabricii*, *Georg. Gothofr. Keuffel* hiſtoria originis ac progreſſus ſcholarum inter chriſtianos, Helmſt. 1743.

§. 4.

Iudaeorum celebriorum vix quiſquam hoc
722. Saeculo cognitus: (1) Interim *LEO Iſauricus*, dum cogere eosdem ad *Chriſtianam* fidem ſatagit, multos ad propriam combuſtionem vel baptiſmi eiurationem compellit praefracta ſuperſtitio. (2) Imo et *Syrus* quidam infauſto denuo conatu Meſſiam ſe venditauit.

Ex *profanis* hoc aeuo Scriptoribus nullus celebratur. At apud *Mahummedanos* imperii fines, et ſtudia quoque dilatabantur. In Oriente enim ſemper quid Romano nomini decerpebant, et quanquam haud ſemel ingenti clade ſuccumberent, maioribus tamen vtplurimum viribus aucti reuertebantur. (3) Sic in *Gallia* quoque poſt occupatam *Hiſpaniam* longe lateque omnia depopulantes a *Carolo* Martello, eiusque nepote Carolo Magno ingentibus praeliis vincuntur. Interim eorum Reges ſtudia aliquantum coeperunt excolere, praecipue vero Arabum Rex *Almanzor*, Poëticis inprimis deditus.

(1) Nomina equidem nonnullorum recenſentur ab *Hottingero* Hiſt. Eccl. Saec. VIII. p. 533. ſeqq. ſed reapſe ſatis obſcuri.

(2) Praecipue deteſtatio cultus imaginum, quem omni niſu auerſabantur Iudaei.

(3) Contentione quippe inter *Leontium et Iuſtinianum II.* Imperatores orta, *Saraceni Africam* recuperarunt, ex qua in *Hiſpaniam* arma proferentes, crudeliter eam deuaſtarunt, coeſoque *Roderico* vltimo *Weſt-Gothorum* R. ſibi ſubiecerunt, *Gallicia* ſola excepta, in qua *Pelagius* Chriſti nomen retinuit; Conſtanti-

ſtantinopolin oppugnantes, magna clade reiecti, igne partim, partim aquis conſumti ſunt, vt ex 3000. nauium claſſe non niſi quinque euaſerint: ex *Hiſpania* porro in *Galliam* penetrantes *Burdigalam* occuparunt, a *Carolo Martello* aliquantum repreſſi; qui poſtmodum inſigni eos clade proſtrauit, caeſis 380000. ex ſuo autem exercitu vix 1500. amiſſis; inde *Auenionem Carolus* recepit, *Saracenosque* vniuerſa *Gallia* eiecit, quas victorias et nepos *Carolus M.* continuauit, vtut initio *Rolandum* cum 40000. amitteret. Succeſſionis autem *Saracenicorum Califarum* haec fuit ratio: *Abdelmelecho* ſucceſſit F. *Walid II.* ſub quo res Arabum inſigniter floruerunt. Excepit eum frater *Solimann*, veneno necatus: poſt quem *Omar* inuitus regnum fuit adeptus, qui conſuetam anteceſſoribus maledictionem *Aaly* ſuſtulit; ſucceſſorem nactus *Iezid II.* qui regnum in morte reliquit fratri *Hiſiamo*, alias *Haſchan* dicto: hic vero *Walidi III.* quem ob auſteritatem interemtum excepit *Iezid III.* ſed et huius Imperium breuis aeui fuit. Peſte quippe menſe 5. conſumto, ſceptrum accepit *Ibrahimus*, et poſt eum *Meruan II.* cuius regnum itidem morbis quam maxime fuit repletum, vſque dum poſt eum regnum *Saracenicum* ab *Ommiadis* ad *Abaſſidas* deuolueretur, ex quibus primus fuit Mahummed Saffahus, ſecundus *Abugiafer Almanzor*, auaritia et ſorditie *obolarii* nomen adeptus, tertius *Mahumed Muhadis:* quartus fuit Moſes, et denique *Aaron Ereſchyd*, qui *Carolum M.* legationibus et muneribus coluit, *Nicephorum* autem Or. Imp. ad pactiones pudendas adegit. Qui omnes variis partim expeditionibus, partim vero Meſchidarum ſiue templorum mirandis extructionibus nominis famam quaeſiuerunt. *Hotting.* S. VIII. pag. 489. ſeq.

SAECVLVM IX.

§. 1.

Hoc quoque Saeculo felice ſidere multis barbaris, et denſiſſimis hactenus tenebris immerſis gentibus nomen CHRISTI fuit exortum. Senſerunt hanc felicitatem *Dani*, apud quos 823. ſs.
Ebbo (1) et *Ansgarius* (2) pietatis ſementem fecerunt; ad quorum *Suecorumue* (3) conuerſionem promouendam *Hamburgenſis* fundatus Archi- 832.
Epiſcopatus; (4) Et licet *Haraldus* Danorum Rex,

Rex, ſacro ſe baptiſmate cum ſubditis plurimis
perlui paſſus eſſet, inconſtantes tamen in fide
860. hac fuerunt; (5) quod et *Poloni* egerunt. (6)
ſs. *Ruſſi* praeterea ſiue *Moſcouitae* (7) et *Bulgari* (8)
per BASILIVM Orientis Imperatorem ad Graecam
Eccleſiam fuerunt adducti; praecipue cum
illi Euangeliorum librum igni admotum diuina
862. virtute haud cremari viderent. *Morauis* (9)
item, et *Sclauis* (10) *Ludouici* Germaniae Regis
iuſſu a *Methodio* adnunciatum Euangelium, qui
ſacra lingua vernacula peragi voluerunt, indul-
894. gente *Nicolao* Pontifice. (11) Ex iis ad *Bohemos*
verbi translata fuit praedicatio. (12) Inter
875. *Rugianos* quoque per *Corbeienſes* Monachos religio
CHRISTI plantata fuit; (13) denique et
Normanni (14) aliquotiens hanc fidem admiſe-
884. runt, tandemque victas manus, duce *Rollone*,
Chriſto dederunt. Vidit *Germania* porro in
Chriſtianae religionis vberiora incrementa condi-
822. tum Coenobium *Corbeienſe*; (15) et paulo poſt
830. *Hirſaugienſe*, (16) *Comite de Calbe* primo hic
895. abbate; Denique circa Saeculi finem *Cluniacenſe*
a *Bernone Burgundiae* Comite fundatum. (17)

(1) Fuit *Ebbo* Rhemenſis Archi-Epiſcopus, quem *Paſchalis* Papa ad *Danos* praedicandum miſit.

(2) *Ansgarius* primus ſcholae *Corbeienſis* Rector a *Ludouico* fuit vocatus, et *Haraldo Danorum* Regi, qui opem Imperatoris imploratum in *Germaniam* venerat, *Moguntiaeque* baptiſmum ſuſceperat, comes datus, fidem Chriſti illinc et hinc, *Danis*, *Holſatis*, *Nortalbingis* ac *Suecis* praedicauit, inde nouiter inſtituto Archi-Epiſcopatui *Hamburgenſi* primus datus Praeſul; ſed cum barbarorum feritate *Hamburgum* eſſet dirutum, et aliquanto tempore *Ansgarius* in Monaſterio *Turholt* latuiſſet, per *Ludouicum II.* Imp. coniunctis *Hamburgenſi et Bremenſi* Eccleſiis primus datus fuit Archi-Epiſcopus, vnde *Danos* antea a Chriſti fide relapſos denuo Saluatori ſubdidit, *Suecosque* in eadem

dem confirmauit, *Bremae* tandem dyſenteria mortuus. Vid. *P. Lambec.* Orig. Hamburg. it. *Paullini* in theatro illuſtrium virorum Corbeiae Saxon. c. 2.

(3) *Biornus* horum et *Gothorum* Rex primus fuit, qui Chriſto victas dedit manus, *Herberto* concionandi locum concedens; quem ſecutus *Olaus* ſuaſu *Anſgarii* plura Chriſto templa condidit.

(4) Quod *Carolus M.* animo meditatus, morte tamen praeuentus reliquerat, filius et ſucceſſor *Ludouicus Pius* perfecit, pro *Aquilonarium* prouinciarum conuerſione Archi-Epiſcopatum *Hamburgenſem* fundando, cuius diploma idem *Paullini* l. c. adfert. Sed 19. poſt inſtaurationem anno *Dani* IESV nomen exoſi, vrbem et Eccleſiam *Hamburgenſem* incendio delerunt, vnde poſt aliquod interſtitium ex *Bremenſi et Hamburgenſi* Epiſcopatibus vnus Archi-Epiſcopatus, *Nicolai I. P.* R. conſenſu fuit conſtitutus.

(5) Quanquam enim *Heraldus*, *Ericus et Froto* Reges *Danorum* in Chriſti ſacra tranſirent, ſubditos tamen, vt conſtantes iisdem adhaererent, permouere haud potuerunt.

(6) Rectius *Sclaui* et *Dalmatae* per *Methodium et Cyrillum*, Poloni autem Saeculo demum ſeq. Chriſto adducti fuerunt.

(7) Vid. Zonar. l. III. it. *Hartknoch.* Hiſt. Eccleſ. Pruſſ. l. I, c. p. 12. it. Diſſert. de rebus Pruſſ. XIV. p. 204. Adde *Chriſt. Fr. Paullini* T. III. zeiterbauliche Luſt p. 86. rectius *Ruſſorum* conuerſio ſequenti Saeculo adſcribenda.

(8) Iam olim *Bulgaria* Chriſto acceſſerat, ſacra tamen haec iterum eiurauerat; tandem vero Princeps *Bulgariae Boioris* fruſtra diu per ſororem Chriſtianam monitus, de fide vera ſuſcipienda, peſte ingruente, a Chriſto petiit et impetrauit opem, vnde cultui eius ſe addixit, et a Latinis Doctores petiit, qua de cauſa inter Orientales et Occidentales Eccleſias de dioeceſi orta fuit contentio, quanquam ipſi poſt *Bulgari* dimiſſis ſacerdotibus Latinis, Graecos ſuſceperunt.

(9) Hi cum Duce *Suatoplugo* vel *Zuentibaldo* Chriſto ſe addixerunt, ſed ad vomitum dein redeuntes, Chriſtianos grauiter infeſtarunt.

(10) De his vide dicta num. 6.

(11) *Ioanni* VIII. P. R. id alii tribuunt, qui *Baronio* teſte, *Morauis* eandem poteſtate vel indulſit vel confirmauit. Vid. *Kortholt* Tr. de lectione Bibl. in linguis vulgo cognitis, deque ſacris publicis, idiomate populari peragendis p. 184.

(12) Fuerant *Bohemi* fere vſque ad finem Saeculi idolorum, praecipue *Kroſinae et Suantouiti* cultibus addicti; ſed *Boriuoius* eorum Dux in *Morauia* apud *Suatoplucum* Chriſtiana ſacra edoctus, Chriſti nomen profeſſus fuit, atque per *Methodium* non ſemel modo et coniugem *Ludomillam*, ſed et procerum cum plebe magnam partem vero Deo initiari fecit. Imo *Caianus*

ianus Hunnorum Rex infelici cum *Bauaris* praelio victus, victas quoque Chriſto manus porrexit.

(13) Tempore *Ludouici* Imp. qui ſimul patroni ſui *S. Viti* memoriam et venerationem, pro ſuperſtitioſi Saeculi more, ipſis imbiberunt, vnde factum, vt Chriſti nomen breui exuerint, Suantorito, i. e. vt credo, S Vito, loco illius, diuino honore excepto Vid. de plenaria *Rugianorum* conuerſione not, ad Saec. XII. §. 1.

(14) Magna apud Scriptores horum *Normannorum* ſiue *Noruegorum* cum *Danis* offenditur confuſio, quod vicina vtraque et Septentrionalis ſit gens. Hoc autem Saeculo *Godefridus* Rex *Normannorum* cum ab Imp. *Carolo Craſſo Friſiam* cum *Gisla* Lotharii filia vxore accepiſſet, Chriſtianus factus fuit, quanquam hoc tempore *Normanni* in fide haud conſtantes permanſerint, vſque ad ſequens Saeculum.

(15) Ad formam *Gallicanae Corbeiae* conditum hoc Monaſterium ab Imp. *Ludouico Pio*, vt bonae ibidem artes docerentur. Prolixam eius deſcriptionem dedit *Io. Leznerus*.

(16) Itidem nobile Benedicti coenobium fuit, cui prima fundamenta Saec. VII. iacta, ſed IX. demum ad ἀκμὴν perducta fuiſſe ſcribuntur. Legatur de eod. *Io. Trithemius*, it. *Bucellinus* in Germ. Sancta.

(17) Idem *Berno* primus illius loci Abbas fuit. Vid. *Hiſt. Magd.* Cent. IX. *Natal. Alex.* in Select. hiſt. ſacc. IX. et X.

§. 2.

Sed et maximo feruore hoſtes Eccleſiam perſequebantur, praecipue *Saraceni* in *Cypro*, *Rhodo* et *Hiſpania*, (1) *Dani* in *Saxonia*, *Anglia* et *Hybernia*, (2) *Hungari* (3) in *Germania*, ac *Normanni* (4) in *Gallia*, *Scotia et Italia*, tanta crudelitate, vt publicis etiam ſupplicationibus inſertum fuerit: *A furore Normannorum libera nos Domine!* Hi omnes continuis perſecutionum procellis agitabant CHRISTI nauiculam. (5)

Socias illis in fidei orthodoxia euellenda ma-
847. nus tulerunt haeretici huius *Saeculi*, inter quos prae reliquis eminuerunt *Godeſcalcus* Belga natione, et circa *Moguntiam* presbyter, elato animo, ac nouarum rerum cupidus, (6) qui diu ante

ante ſepultam *Praedeſtinatianorum* reuocans ſententiam, Deum quosdam ad mortem et ad vitam aeternam praedeſtinaſſe docuit, neque eum omnium ſalutem velle, ſed quos ſaluos tantum velit. (7) Item *Bertramus Presbyter et Monachus Gallus* de S. Euchariſtia iuſſu *CAROLI Calui* libro conſcripto impugnauit transſubſtantiationem non modo, ſed et veram ac realem corporis ac ſanguinis Chriſti (vt nonnullis placet) praeſentiam. (8) *Ioannes* porro *Erigena Scotus*, Philoſophus, maximus ingenio, corpore puſillus, eundem cum *Bertramo* errorem erraſſe videtur, Graece alias, Arabice et Chaldaice mire doctus, et Profeſſor Pariſienſis, quem ob ſuum illud dogma a diſcipulis poſt graphiis confoſſum fuiſſe referunt. (9) De nouo etiam orti *Pauliciani* et *Attingani*, qui ex gentiliſmo, Iudaiſmo et Chriſtianiſmo nouam conflabant religionem; (10) ſicut contra *Sadducaeorum* errores reproduxerunt alii, reſurrectionem mortuorum, Daemones, et Prophetarum autoritatem impugnantes; (11) alii vero *Felicianorum* (12) aut *Donatiſtarum* (13) reſuſcitarunt ſcintillas. Ne denique de variis circa haec tempora in veram fidem irrepentibus erroribus circa bona opera, miſſas, ſanctorum cultum, templorum aedificationem, reliquiarum ſuperſtitionem, aliaque religionis capita dicam, (14) cum Pontifices ipſi vel ſuismet Scriptoribus atteſtantibus ſedem Romanam deteſtandis factis deturpauerint. (15)

(1) De *Saracenorum* contra Chriſtianos ſuſceptis expeditionibus, quibus omnino CHRISTI Eccleſia dira multa perpeſſa fuit, vide inferius ad §. IV, notata.

(2) Pro-

(2) Propter inteſtinas de regno contentiones *Haraldus* in Germaniam profugus occaſionem dedit hoſtibus, *Nordalbingorum* terram non modo, in qua nouiter conditum erat *Hamburgum*, ſed et *Friſiam*, imo et *Angliam* ac *Hyberniam* inuadendi, ibidemque ſuae ſaeuitiae monumenta relinquendi: hi tamen, quod ſupra notatum, communi cum *Normannis* nomine Scriptoribus veniunt, forſan, quod et *Normannorum* haud pauci iis fuerint iuncti.

(3) Quod Saeculo hoc coepit, ſequentique multo furore fuit continuatum, prout ibidem pateſcet.

(4) *Lotharius* Imp. *Normannis* in ſubſidium vocatis, magno Chriſtiani nominis diſpendio contra hoſtes fuit vſus, quippe qui omnem oram maritimam non modo, ſed et *Germaniae*, *Galliae*, *Burgundiae* et *Lotharingiae* complura loca miſere depraedati fuerunt, Epiſcopum *Nannetenſem* inter Paſchae celebrationem trucidantes, templa hinc inde diruentes, *Hyberniam* per 30 annos tributariam facientes, ac quam multa alia furoris gentilitii ſigna relinquentes. Tandem *Carolus Caluus* Imp. *Neuſtriam* ipſis concedere fuit coactus, quam a ſe *Normanniam* dixere, duce *Rollone*, in baptiſmo *Roberto* nominato.

(5) Graue in *Romana* Eccleſia hoc tempore Schiſma *Formoſianum* extitit, quo Pontificis *Formoſi* inuaſoris defuncti cadauer e ſepulchro erutum, in iudicium tractum, digitis dextrae manus amputatis, dehoneſtatum, denium capite amputato in Tyberim merſum fuit. Vid. *Baron.* et alios complures autores, non tamen per omnia inter ſe concordes.

(6) *Godeſchalcus* monachus initio *Benedictinus* in Monaſterio *Orbacenſi* in *Gallia Belgica* fuit, ſpinoſis quaeſtionibus admodum intentus, cum *Ratramno* vel *Bertramo* ſocio (de quo inf. n. 25.) nouitatis itidem ſtudioſo, adhuc in coenobio noua tentauit, quo egreſſus et presbyter factus in *Italiam*, inde in *Germaniam* et aliorſum venit, vbique errorem diuulgans, ſed *Rabanum Maurum* alioſque impugnatores habuit. Errores eius fuere ſequentes: duplicem eſſe praedeſtinationem, vt, ſicut Deus quoſdam ad vitam aeternam, ita quoſdam praedeſtinauerit ad mortem aeternam, 2) quod DEVS omnes homines ſaluos fieri nolit, ſed eos tantum, qui ſaluantur: ſaluari autem omnes, quos ipſe ſaluari voluerit; ac per hoc, quicunque non ſaluantur, penitus non eſſe voluntatis illius, vt ſaluentur. (3) Chriſtum non pro omnium ſalute et redemtione eſſe crucifixum, nec mortuum ſed pro his tantum, qui ſaluantur, et neminem perire poſſe, qui Chriſti redemtus ſit ſanguine; (4) reprobos baptiſmo Chriſtum emiſſe, pro iis autem neque fuiſſe crucifixum nec mortuum; (5) Trinitatem trinam eſſe, ſicut tres ſunt Trinitatis perſonae, adſeruiſſe traditur. Poſtquam in *Gallia* pertinaciter haereſi inhaereret, presbyterio amotus, virgis caeſus et monaſteriali carceri incluſus fuit, vbi tamen errores diffundere latius haud deſtitit, vnde factum, vt poſtmodum

dum in *Gallia* aliquot magni etiam nominis viri a *Godeſchalci* partibus ſtate inciperent, quos inter *Prudentius*, *Fricaſſinus*, *Florus Magiſter*, *Ratramnus* et alii, nomine *Lugdun. Eccleſiae*, quamquam in omnibus *Godeſchalci* ſententiam haud adprobarent. Ipſe tandem *Godeſchalcus* haereſi immortuus, profana ſepultura humatus fuit. Vid. *G. Green* diſſ. de haereſi veterum Praedeſtinatianorum, it. *D. Strauchii* de Praedeſtinatianis, Witteb. 1658. nec non *Lud. Cellotius* Soc. Ieſ. in hiſtoria Godeſchalci Praedeſtinatiani *Nat. Alex.* Select. Hiſt. Saec. IX. et X. diſſ. V.

(7) Sunt, qui *Praedeſtinatianorum* haereſin vnquam fuiſſe penitus inficiantur. *Iacobus* quippe *Vſſerius*, Archi Epiſcopus *Armachanus* in *Hybernia* in hiſtoria *Godeſchalci* a ſe edita oſtendere nititur, Semi-Pelagianorum fuiſſe illas technas, qui nouellae huius haereſeos nomine odioſo excogitato ipſius *Auguſtini* orthodoxam de praedeſtinatione Doctrinam praegrauare ſtuduerint, quod idem praeſtiterunt *Io. Forbeſius a Corſe*, *Ioh. Henr. Hottingerus*, *Guil. Twiſſus*, *Sam. Mareſius* et inter Reformatos alii, nec minus, qui a *Ianſenianorum* partibus ſtant inter Pontificios, *Guil. Manguin*, Io. Cabaſſutius, Henr. de Notis, et quipiam alii. At quam longe hi a vero tramite deflectantur, ex noſtratibus pariter et Pontificiis Scriptoribus oſtendunt complures. Conf. Scriptores ſupra dicti.

(8) Idem hic a nonnullis *Ratramnus* dicitur, Reformatique eum in ſuas partes trahere nituntur. Vid. *Hottingeri* H. E. pag. 691. Quam recte, vid. Theol. Würtenb. in refutat. conſenſus orthodoxi c. II. p. 180. ſeq. Adde *P. Natal. Alex.* ſelect. hiſtor. Saec. IX. et X. Diſſ. XIII. it. *Iac. Boileau* in denuo edito Bertramo.

(9) Non confundendus hic *Scotus* cum alio cognomine, Scholaſticorum ſuae ſectae Principe, de quo ad Saec. XIII. §. 3. plura. Hic autem *Oxonienſis* Doctor, cum in *Malmesburienſe* coenobium veniſſet, Monachosque ob ignorantiam et ignauiam acrius reprehendiſſet, ſtylis dicitur confoſſus, poſt mortem in Martyrum Catalogum receptus. Vide tamen aliter haec recenſentem *Malmesburienſ.* p. 172. adde *P. Natal. Alex.* l. d. Differt. XIV. Aduerſarium ſe *Godeſchalco* exhibuit.

(10) In *Phrygia* aliisue Orientis Regionibus praecipue turbarunt Eccleſias, *Manichaeorum* errores fouentes, oraculis, auguriis, et ſuperſtitioſis immolationibus dediti. Vid. *Zonar.*

(11) Vid. *Oſiandr.* Centur. IX. l. 1. 2. Reduxiſſe hos ſcribitur Orientis Imp. *Mich. Balbus.*

(12) De quibus Saec. ſuper. §. 2. plura videri poſſunt.

(13) Hi miniſterii Eccleſiaſtici efficaciam negabant, niſi per pios adminiſtretur. Addi his poteſt *Thiota vel Theodo* Pſeudoprophetiſſa, quae *Moguntiae* extremum diem et alia praedicere occipiens, cum multos dementaſſet, confeſſa tandem eſt, presbyterum quendam ſibi ea ſuggeſſiſſe: iudicio igitur Epiſco-

porum apud *S. Albanum* decretum eſt, vt flagellis caederetur.
(14) Vid *Oſiandr.* C. IX. l. IV, 7. p. 58. ſeq. *Hotting.* H. E. Saec. IX. p. 593. ſeq.
(15) Conf. der Römiſche Pabſtthron l. II, 2. p. 281. ſeq.

§. 3.

Pugnarunt contra haſce haereſes et corruptelas fideliter CHRISTI athletae communibus pariter *Conciliorum* decretis et ſingularibus *Patrum* ſcriptis. *Concilia* (1) quidem varia habita in *Gallia, Hiſpania, Germania*, nos potiora adducimus:
809. *Aquisgranenſe* de verbo *Symbolo* adiecto, FILIOQVE, deliberat, remque ad Pontificem
813. defert. (2) *Moguntinum*, de rebus nonnullis Eccleſiaſticis, et Eccleſiae fere collapſae reſtaura-
816. tione; (3) *Aquisgranenſe* de Cleri reformatione aliquoties iteratum; (4) in LVDOVICI quoque *Pii* cauſa, a filiis exagitati, agitati plures
842. conuentus, (5) *CPlitanum* per *Methodium* Patriarcham denuo imaginum cultum confirmat;
848. *Moguntinum Godeſcalcum* cum peſtifero ſuo dogmate damnauit, et deſiſtere renuentem in *Gallias* amandauit, cum iuramento prius cauere debuiſſet, in *Germaniam* ſe nunquam reuerſurum; (6) Cum autem in Oriente *Bardas Ignatium* Patriarcham *Conſtantinopolitanum*, ob inceſtum liberius illum arguentem, dignitate ſua exuiſſet, ſubſtituto *Photio*, inſignis eruditionis homine, maximum inde ſchiſma exortum fuit; cumque *Photius BASILIVM* Imperatorem, qui anteceſſorem interemerat, ſacris excluſiſſet, conuocata
869. *Conſtantinopoli* Synodo, vulgo *Oecumenica VIII.* adpellata, *Photius* ſede ſua pellitur, (7) et *Ignatius*

tius reſtituitur, ſimul etiam imaginum cultus confirmatus, et *Romanae* Eccleſiae iugum fuit ſuſceptum. (8) *Scoti* denique doctrinam *Vercellenſis* Synodus damnaſſe fertur. (9) Ceterum floruerunt hoc Saeculo *Patres: Paulus Warnefrid*, qui alias *Paulus Diaconus* dicitur, (10) *CAROLI M.* iuſſu in Epiſtolas et Euangelia Dominicalia ſelecta, Patrum explicationes collegit, quae *poſt illa* legerentur; et haec *Poſtillarum* origo eſt. (11) *Claudius Taurinenſis*, (12) *Paulinus Aquilegienſis*, qui *Felicianos* oppugnauit, (13) *Luitbertus Moguntinus*, (14) *Niceta Bizantinus*, (15) *et Oecumenius*, (16) *Rabanus Maurus*, ex Abbate *Fuldenſi* Archiepiſcopus *Moguntinus*, (17) *Ansgarius* Monachus *Corbeienſis*, (18) *Haymo Hirſchfeldenſis* initio Abbas, tandem *Halberſtad.* Epiſcopus, in integram Scripturam fuit commentatus, (19) *Ionas Aurelianenſis*, imaginum defenſor, (20) *Walafridus Strabus* Abbas *Fuldenſis*, gloſſae ordinariae in S Biblia collector: (21) *Lupus Seruatus* Presbyter, (22) *Moſes Bar Cepha Syrus*, qui de *Paradiſo* commentatus fuit, (23) *Nodgerus Leodienſis*, *Roswida* Nobilis mulier *Saxonica*, (*) *Guntherus Colonienſis*, (24) *Hincmarus Rhemenſis*, (25) *Vdalricus Auguſtanus* coelibatus impugnator; (26) *Otfridus Wiſſenburgenſis*, (27) *Photius Conſtantinopolitanus*; (28) *Paſcaſius Radbertus* Abbas *Corbeienſis*, qui *Betramum* refutauit; (29) *Rhemigius Antiſiodorenſis*; (30) et *Ansbertus Gallus* (31 32) *Hiſtorias* conſiderunt *Eginhardus CAROLI M.* Secretarius, et a nonnullis gener habitus, (33) *Turpinus Rhemenſis*,

Marginal dates: 806. 810. 820. 830. 840. 850. 860. 870. 880. 890.

ſis, (34) *Ado Viennenſis*, (35) *Freculphus Lexovienſis*, (36) et *Anaſtaſius Romanus* Bibliotheca-
873. rius, qui vitas condidit Pontificum. (37) *Oxonii* porro in Anglia hoc tempore condita fuit *Academia*, a Rege *Alfredo*. Referri huc meretur *Ioanna VIII*. Papiſſa Romana. (38) Haec mulier *Moguntiaca* virilem ſexum ementita, cum Athenis literarum ſtudiis ſedulo incubuiſſet, Romaeque docendo artes liberales egregiam ſibi fa-
855. mam paraſſet, in Pontificem electa, vltra biennium ſedi illi praefuit. Tandem a familiari compreſſa, in publica proceſſione filium enixa obiit.

(1) Praenotandum hic, Conciliorum nomine temporibus his multoties venire Conuentus de rebus ciuilibus in Imperio a Proceribus vtriusque ſtatus habitos.

(2) Quo praeciſe tempore hae voces FILIOQVE Symbolo adiectae ſint, incertum omnino eſt. *B. Bebelius* in Synopſi hiſtoriae et doctrinae Symb. probabiliſſimum cenſet, tempore *Concilii Epheſini* Saec. V. vel paulo poſt, Patres, contra *Neſtorium* negantem, quod Spiritus S. ſit proprius Filii Spiritus, ſicut eſt Patris, cepiſſe expreſſis verbis docere, quod Spiritus S. a Patre Filioque procedat. De Synodo illa *Aquisgrau*. vid. *Annales Francorum* ad A. 809. it. in opere Conciliorum acta *Smaragdi*. Adde *P. Natal. Alex.* Diſſert. 18. ad ſelect. hiſtor. Saec. IX. et X.

(3) De huius, it. *Arelat*. Synodi ſtatutis fere iisdem vid. Cent. IX. *Magdeb.* Hiſt. c. 9.

(4) Initio A. 816. *Aquisgrani* conuenientes Epiſcopi ex Patrum ſcriptis, et Canonibus Conciliorum partim de vita, moribus et officiis Clericorum, partim de diſciplina ſanctimonialium duos libros ediderunt; it. A. 817. 819. alia circa reformationem diſciplinae Eccleſiaſticae fuere conſtituta, quae in Tomis Conciliorum videri poſſunt. Idem labor An. 830. vel ſq. item A. 836, 838. nec minus 863. exercuit, atque hic vide, quam ſuo iam tempore Platina ἐπίκριςιν in *Gregorio IV*. addiderit: *Vtinam*, inquit, *noſtris temporibus*, *Ludouice*, *viueres*! *Indiget nunc Eccleſia tuis ſanctiſſimis inſtitutis, tua cenſura*: et quae ibi ſequuntur lectu digniſſima.

(5) Vide

(5) Vide neruoſe haec exponentem *Boeclerum* in hiſtoria Sacc. IX. et X. p. 64. ſqq. Pabſtsthron l. II, 2. n. 5. p. 288. ſqq.

(6) Quae in cauſa *Godeſchalci* habitae fuerunt Synodi, breuiter ſimul veniunt recenſendae: *Moguntiae* iuſſu *Ludouici* Germ. Regis conuenere Epiſcopi *Germaniae*, et *Rabanus Maurus Godeſchalcum* eo venientem haereſeosque conuictum damnauit, atque ad *Hincmarum* Archiepiſcopum *Rhemenſem in Galliam* remiſit, praeſtito prius iuramento, ne in regnum *Ludouici* amplius rediret. A. 849. in *Cariſiaco* palatio habita a *Belgicae* ac *Galliae* Epiſcopis Synodus, denuo audiuit et haereſi inſiſtentem damnauit *Godeſchalcum*, virgisque caeſum Monaſterio *Altivillarienſi* in carcerem compingendum commiſit; in quo tamen clementer ſatis cum eo actum. A. 853. ſecunda ibidem habita Synodus denuo eundem damnauit, ſcripſitque *Hincmarus* 4. aduerſus eum capitula, contra quae anonymus librum de tenenda Scripturae veritate edidit. A. 855. *Valentiniana* III. Synodus, praeſide *Remigio*, *Scotorum* quorundam errores de praedeſtinatione, gratia et libero arbitrio exploſit, condiditque Canones 23, contra *Godeſchalcum* alioſque directos. A. 859. *Lingonenſi* et *Tullenſi* Synodis *Valentina* capitula confirmata, atque ab *Hincmaro* inſigne de praedeſtinatione Volumen fuit editum.

(7) *Photinianae* tragoediae hiſtoria admodum implicita eſt, breviter eruenda: *Ignatius* ſub *Michaële* Imp. Orientis erat Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſed, quod ſui officii memor, ſcelera grauiter taxaret, cum *Bardam* (qui Imperatorio quaſi nomine imperabat) ob inceſtum excommunicaſſet, ab Imp. *Michaële* officio fuit motus, eique *Photius*, primarius a ſecretis, atque inſignis eruditionis vir, de foro eductus, ſubſtitutus. *Nicolaus I.* qui tum erat Rom. Pontifex, quem propterea *Ignatius* et *Photius* interpellauerant, grauiter cum *Michaële* expoſtulauit, legatosque *Conſtantinopolin* deſtinauit, vt cauſam inter *Ignatium et Photium* cognoſcerent, quibus praeſentibus A. 861. Synodus coacta *Photii* Patriarchatum confirmauit. Quoniam autem *Photius* Pontificis dominatum ſuper Eccleſias liberius increpabat, *Nicolaus* ei infenſus, confirmationem illius reſcidit, ſuosque legatos excommunicauit ac officiis mouit. Poſtquam autem *Michaël* Imp. a *Baſilio* ſucceſſore eſſet interemtus, *Photiusque* propterea parricidam communione excluderet, Imperator a Rom. Pont. *Hadriano II* legatos impetrat, in quorum praeſentia A. 869. Synodus *Conſtantinopolitana*, quam *Oecumenicam VIII.* vulgo, ſed falſo Latini iactitant, cum et pauci adfuerint Epiſcopi, et iniqua hic acta, *Ignatium* reſtituit, *Photiumque* damnat, tanquam iniuſtum ſedis poſſeſſorem: qui A. 870. in exilium pellitur, ſed *Baſilio* poſt conciliatus reuocatur. Cum vero *Baſilius* poſtmodum fraudes Romanas melius agnouiſſet, *Photium Ignatio* e viuis ſublato reſtituit, A. 878. comprobante *Iohanne VIII.* R. P. et confirmante Synodo *Con-*

ſtantinopolitana, A. 879. habita, quae Graecis *Oecumenica VIII.* dicitur; *Baſilio* denique A. 886. rebus humanis exemto ſucceſſit *Leo Philoſophus*, qui *Photium* ſibi inuiſum denuo ſede Patriarchali deturbauit, in *Armeniae* monaſterium incluſum. Vid. Pabſtthron p. 311. ſqq. *Nat. Alex.* in ſelect. hiſt. Saec. IX. et X. Vol. poſt. Diſſ. IV.

(8) Legati quippe Pontificis neminem Epiſcoporum in Concilio admiſerunt, niſi, qui ſubiectionem, obedientiam, et reuerentiam Rom. ſedi ſcripto fuiſſet pollicitus: vnde et in ipſa Synodo pro confirmanda autoritate Pontificia nonnulla ſtabilita fuere.

(9) Superſunt adhuc aliae Synodi verbo memorandae: *Arelatenſis IV.* A. 813. ordinauit 26. Capitula. *Bellouacenſis* A. 845. *Hincmarum* in depoſiti *Ebbonis* locum Archi-Epiſcopum *Rhemenſem* conſtituit. *Cabilonenſis* II. 67. ſancit Capitula circa diſciplinam Eccleſiaſt. *Colonienſis* A. 887. 6. Canonibus raptores bonorum Eccleſiaſticorum, pauperum oppreſſores et inceſtuoſas nuptias coërcet. *Meldenſis* A. 845. de non profanandis bonis Eccleſiaſt. 31. Canones ſancit. *Metenſis* A. 863. in cauſa *Thietbergae* coniugis et *Waldradae* pellicis *Lotharii Lotharingiae* R. cognoſcit. Vid. *Natal. Alexand.* in ſelect. hiſtor. Saec. IX. et X. diſſert. 9. Alia ibidem A. 889. celebrata 9. Canones publicauit. *Moguntiae* aliquoties conuenientes Epiſcopi partim iura et immunitates Eccleſiarum ſtatuminarunt, partim *Godeſchalcum* damnarunt, partim denique miſerum Eccleſiarum in *Germania* ſtatum emendarunt. *Nannetenſis* A. 897. 20. Canones confecit: *Pariſienſis* A. 829. iuſſit Epiſcopos religionis curam fideliter ſuſcipere, qua ſaeculares, qua perſonas ſacras. Tribus libris huius conuentus decreta extant. *Romae* varia Concilia habita, quibus circa diſciplinam, item ſtabiliendam poteſtatem Pontificiam nonnulla decreta. *Siluanectenſis* Syn. A. 863. *Sueſſionenſem* Epiſc. *Rhotoaldum* depoſitum monaſterio incluſit; et quanquam hic ad Rom. Pont. *Nicolaum* adpellaret, ipſeque eum reſtituere iuberet, iuſſa tamen huius nihili fiebant. A. 834. in *Theodonis villa Ebbo Rhem.* Archi-Ep. quod Ludouico Imp. nimium contrarius erat, depoſitus, atque cuſtodiae mancipatus fuit. *Ticinenſis* A. 855. viſitationem quaſi aliquam Eccleſiaſticam in ſacris ordinauit. *Triburienſis* A. 895. itidem collapſam diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituit; quod ipſum quoque Synodo *Wormatienſi* A. 868. habita, factum eſt.

(10) Hiſtoriae Longobardicae et miſcellae autor, de quo Saec. ſuperiori plura.

(11) Ipſae pericopae Euangeliorum et Epiſtolarum iam Saec. IV. in Eccleſia *Graeca* fuere praelectae, atque aeuo *Hieronymi* et *Auguſtini* in *Latinam* quoque introductae: conſtat autem ex Homiliario Patrum, *Carolum M. P. Diacono* mandaſſe, vt Patrum dicta ſuper Euangelia in ordinem redigeret, certas item flores ex florentiſſimis eorum pratis legeret, inque vnum quaſi ſertum

ſertum aptaret, quod dicto *Homiliario Patrum* factum. Vid. *Hildebr.* de veterum Conc. c. 3. *Loeſcherum* de pericopis Euangelicis et Epiſtolicis, *Mollerum* in P. Diacono et alios.

(12) Natione Hiſpanus a *Ludouico* Pio Epiſcopus *Taurin.* conſtitutus: forſan cum *Claud. Clem. Scoto* ſup. Saec. vnus idemque. Extat eius Apologeticus; impugnauit cultum imaginum idololatricum, et *Ionam Aurel.* earum defenſorem.

(13) Rectius forſan ad VIII Saeculum referri poteſt, tres ſcripſit contra *Felicem Orgellit.* libros.

(14) Qui contra Papam Epiſtolam miſit ad Imp. *Ludouicum.*

(15) *Nicetas* hic fuit alius a *Niceta Choniate*, alias dicitur *Nicetas Dauid* vel *Paphlago*, *Photii* aduerſarius, hinc *Ignatii* vitam dedit.

(16) Autor Catenae ex antiquis Patribus in Acta Apoſtolor. item Epiſtolas Pauli, aliasue Canonicas. Conf. locum, *Meelführ. Gerh.* et alios.

(17) Germanus hic natione, ſuo tempore maxime inſignis fuit ſcriptor, et commentariis in vniuerſam ſcripturam, aliisque nonnullis ligata et proſa oratione illuſtris, ex *Abbate Fuldenſi* Archiep. *Moguntinus* factus. Vid. *Trithemius, Bellarm. Paullini* in theatro Ill. Corbei. c. 7. et quamplures alii. ir. *P. Natal. Alex.* diſſ. XI. ad ſelecta hiſt. Saec. IX. et X. *Io. Franc. Buddei* diſſ. de vita ac doctrina Rhabani Magnentii Mauri, Ien. 1724.

(18) De quo, poſtmodum Archi-Epiſcopo *Bremenſi et Hamburgenſi*, ſuperius ad §. 1. n. 2.

(19) *Haymonis* non omnia typis exſcripta extant. Fuit diſcipulus *Alcuini*, natione *Anglus*, non tamen vno alteroue loco delirauit, *Halberſtadii* ſepultus. Conf. *Paullini* loc. c. c. 17. Commentarii in Epiſtolas Paulinas, qui ſub *Rhemigii Archi-Epiſcopi Rhemenſis* nomine proſtant, autor fuiſſe creditur. v. *Paull. Antonii* diſſ. de Haymone epiſcopo Halberſtadenſi, Hal. 1700. *Chriſt. Gothofr. Derlingii* comment. hiſtoricus de Haymone epiſcopo Halberſtadenſi, Helmſt. 1747.

(20) Edidit hic *Ionas* pro defenſione imaginum et peregrinationum ad loca ſancta contra *Claud. Taurin.* libros, quanquam imaginibus cultum religioſum deberi neget. Vid. *Gerhard.*

(21) Hic a vitio oculorum *Strabus* vel *Strabo dictus*, Monachus initio *Fuldenſis*, tandem Abbas *Augiae diuitis*: Gloſſam eius ſequentea multis Patrum ſententiis adauxerunt. Reliqua eius ſcripta vide apud *Voſſ.* de Hiſt. Lat. l. II. *Gerh.* et alios.

(22) Abbas hic fuit *Ferrarienſis* in agro *Senonenſi*, ad quem *Rabanus* Fuld. 8. libros in Epiſt. ad Rom. exarauit. Ipſe quoque nonnulla ſcripſit. Conf. *Poſſen.* et *Voſſ.*

(23) Rectius hic cum duobus ſequentibus ad ſaeculum X. referri poſſe videtur, hinc et §. 3. illic inuenies.

(*) v. *Wüſtemanni* Geſchichte der Roswithe, eines Stiftsfräulein von Gandersheim, Lipſ. 1758.

(24) Pontificem Rom. Anti-Chriſtum, lupum et tyrannum dixit, vnde *Romam* citatus et excommunicatus fuit, quod autem *Ludouicus* et *Lotharius* ſe interponerent, in aede S. *Petri Romae* fuit interemtus, famamque hoſtes eius ſparſerunt, ab angelo Domini eum ad altare occiſum fuiſſe.

(25) Dicitur alias *Hincmarus Ingumarus et Igmarus*, ex *Monacho S. Dionyſii* Archiep. *Rhem.* in *Ebbonis* locum non tamen immediate ſubſtitutus: Primatum Papae et hic impugnauit, et *Godeſchalco* fortiter ſe oppoſuit. Eius epiſtolae extant et alia operâ. Vid. *Natal. Alexandr.* Volum. poſter. ſelect. hiſtor. Saec. IX. et X. diſſ. 7. et 8. it. *du Pin* Tomo VII. Bibliothec. c. II. ſqq.

(26) Saeculo X. alius quoque *Vdalricus Auguſtae* vixit, cum quo hic neutiquam confundendus. Eius memorabilis epiſtola ad *Nicolaum I.* R. P. pro Clericorum coniugio inter orthodoxographi inuenitur, quanquam *Bellarm.* et *Baronius* fictam eſſe, ſed fruſtra tradant. De eo vid. *Paullini* Tom. II. zeitkürzende erbauliche Luſt. pag. 541. ſqq. et *Geo. Ludouici* de Hulderico ſeu Vlrico epiſcopo Auguſtano glirium expulſore, Lipſ. 1693.

(27) *Raboni* hic auditor, Monachus *S. Galli*, Euangelia carmine *Germanico* compoſita edidit, de quibus *Boeclerus* in Hiſtor. Saec. IX. et X pag. 122. ſeq.

(28) De hoc magnae eruditionis, variaeque fortunae viro vid. n. 7. Inter ſcripta eius extat Bibliotheca, quam μυριόβιβλον vocat, it. Nomocanon et quaedam alia. Conf. *Voſſ. Gerh. Meelführ. et Centuriatores Magdeburgenſes.* Adde *El. du Pin* Tom. VII. Bibl. Eccleſ. c. X. XI.

(29) Scripto libro de Sacramento altaris: Commentatus idem fuit in *Threnos Ierem.* Eius vitam exhibet *P. Natal. Alexandriu.* ſelect. Hiſt. Saec. IX. et X. diſſ. X. dicitque eum a quibusdam ad Calu. partes trahi, cum alii eum arguat primum realem in S. Euchariſtia Chriſti praeſentiam tradidiſſe. Scripta eius a Noſtratibus adulterata inſimulat idem autor.

(30) *Graece et Latine* doctus, in Cant. Cant. Prophetas minores ac Pſalmos commentatus fuit. Vid. *Cent. Magd. Bellarm. Poſſeu.*

(31) *Ambroſius Anſbertus*, ſcripſit itidem in Cant. Cant. Pſalmos, et libros X. in Apocal. Fuit hoc tempore alius *Anſbertus*, *Mediolanenſ.* Archi-Epiſcopus.

(32) Recenſitis his ſcriptoribus adiici poſſunt ſequentes: *Almannus Gallus* deſolationem *Franciae* ad inſtar Prophetae *Ierem.* planxit carmine. *Amalarius Fortunatus Treuirenſis* Epiſcopus *de officio Eccleſiaſtico* libros ſcripſit quatuor. Vid. *P. Natal. Alex.* in ſelect. Hiſtor. Saec. IX. et X. diſſ. XII. *Angelomus Gallus* in 4. libros Regum, nec non Cant. Cant. commentatus eſt. *Chriſtianus Druthmarus* presbyter *Corbeienſis* dedit expoſitionem Euangelii *Matthaei*. *Hubaldus* ſiue *Hugobaldus*,

baldus, inſignis Poëta, quod carmine 300. verſuum, cuius ſingula verba a litera *C* incipiunt, in caluorum laudem demonſtrauit. Ioannes Diac. Rom. vitam *Gregorii* M. 4. libris pertexuit. *Nicephorus* Patriarcha *Conſtantinopolitanus*, ob controuerſiam imaginum *a Leone Armenio* relegatus, et in exilio mortuus; *Rudolphus Fuldenſis*, *Ruthardus Hirſaugienſis* Monachus, *Theodorus Stadita*, *Theodulphus Aurelianenſis*, clarus itidem Poëta, qui propter conſpirationem in *Ludouicum* carceri incluſus hymnum confecit, quem Eccleſia *Palmarum Dominica* decantat:

Gloria, laus et honor Tibi ſit, Rex Chriſte, Redemtor,
Cui puerile decus promſit Oſanna pium,

quem cum praetereunte *Ludouico* Imp. hilariter decantaret, libertatem recuperauit: denique *Vſuardus* vel *Iſuardus*, natione Gallus, monachus *Fuldenſis*, martyrologii autor. Sicut in Oriente tum celebres extiterunt *Euthymius Sardic. Georg. Syncellus*, *Georgius Theophanes*, *Io. Hieroſolymitanus* iunior, *Methodius* Conſtant, *Michaël* Monachus, *Sergius* Confeſſor, *Taraſius* Conſtantinopolitanus, *Theodorus Stadita*, Abbas, qui ob imaginum venerationem a ſe propugnatam multa pertulit. Floruit et *Icaſia*, nobilis et erudita virgo; imo, nec *Baſilius* nec *Leo* Imperatores Orientis, neque *Carolus M.* Occidentis ſuo axiomate indignum iudicarunt, literas tractaſſe, quod illi variis editis opuſculis publice teſtatum fecerunt. Hic vero et *Ludouicus Pius* in ſtudiis literarum promouendis multum operae poſuerunt, quorum poſterior praecipue ſacras literas in linguam *Theudiſcam* transferre iuſſit carminice.

(33) Texit hanc fabulam *Chronicon Laurishamenſe*, refutauit autem *Baronius* ad A. 805. Imo ipſe *Eginhardus* de *Carolo* teſtatur, eum nullam filiam cuiquam ſuorum nec exterorum nuptum dare voluiſſe, ſed omnes vſque ad obitum ſuum domi ſuae retinuiſſe, quod, vt dicebat, earum contubernio carere non poſſet. Condidit vitam *Caroli M.* it. *Annales*, fuitque Hiſtoricorum German. vetuſtiſſimus, in ſylua Ottoniana natus.

(34) *Caroli* quoque geſta enarrauit, ſecutus eum in quasdam expeditiones.

(35) Autor Chronici in 6. aetates mundi diuiſi, ab O. C. ad A. 879. it. Martyrologii.

(36) Monachus hic initio *Fuldenſis*, poſt Epiſcopus *Lexouienſis* Chronici bipartiti ſcriptor, cuius parte priori geſta ab O. C. ad C. N. poſteriori vero a N. C. ad *Francorum* et *Longobardorum* regna expoſuit.

(37) Fuit hic *Anaſtaſius* Presbyter Cardinalis, a *Petro* ad vſque *Nicolaum* I vel vlterius proſecutus Pontificum geſta. Quae de eius opere et editione tradiderit *Salmaſius*, vide apud *Boeclerum* in hiſtoria *Lotharii* Imp. it. Pabſtethron. p. 304. Ex hiſtoriis huius Saeculi adhuc reſtant *Aimoinus*, Monachus *San-*

Digitized by Google

Gallenſis, libris duobus de rebus *Caroli M.* ad *Carolum Craſſum*, *Annales Francorum Bertiniani*, *Hepidannus* annalium conditor, *Nithardus* de diſſidio filiorum *Ludouici pii*, *Theganus Treuir.* Chor-Epiſcopus, vitam Ludou. Pii ſcripſit, nec minus alius anonymus.

(38) Pontificii hodierni id equidem factum toti pernegant: vid. *Baron. Leo Allatius, Florimund. Remundus, Phil. Labbe*, et ex Reform. *Dauid Blondellus*: huic tamen ſe oppoſuit *Sam. Mareſius*; Et pro adſtruenda veritate vlterius videri poſſunt *G. Calixtus, de Coniugio Clericorum* cum ſexcentis aliis. Vid. Pabſtsthron. l. II, 2. n. 7. ſeq. p. 294. ſeq. adde *Reuſer.* in *Anti-Bellarmino* p. 850. ſeq. His addantur *Caſp. Sagittarii* introduct. in H. E. T. I. c. 25. p. 676. *Frid. Spanhemii* hiſtoria Ioannae, vna cum *Wagenſeilii* diſſert. de eadem in theotiſcam linguam verſa, Francof. et Lipſ. 1737. Bibliotheca hiſtoricophilologicotheol. cl. VIII. p. 498. 926. *Io. Chriſt. Coleri* florum ſparſio in tumulum Ioannae papiſſae, P. II. variar. obſeruatt. Vinar. p. 309. *Io. Lehmann* diſſ. de infelici puerpera Ioanne VIII. pontif. Vitemb. 1669. *Leonis Allatii* confutatio fabulae de Ioanna papiſſa ex monumentis graecis, in *Schelhornii* amoenitatibus litterariis T. VIIII. p. 779. *Parthenii* epiſt. de eodem argumento, ib. p. 817. anonymi cuiusdam argumenta potiora contra hoc puerperium, T. I. p. 195. *Heumanni* diſſ. de origine vera traditionis falſae de Ioanna papiſſa, Gotting. 1739.

§. 4.

Iudaei hoc Saeculo magno ſtudio ſuas continuarunt traditiones in *Sorana* et *Pumbedithana* ſchola; (1) medicaeque arti ſedulam nauarunt operam, cuius beneficio haud paucos inter Chriſtianos, quos inter *CAROLVS Caluus* fuit Imperator, oppreſſerunt. (2)

Saraceni et *Muhammedani* (3) non Orientale modo Imperium perpetuis incurſionibus laceſſebant, ſed et *Sardiniam* et *Corſicam* depraedabantur, *Cretam* occupabant, *Hetruriam et Latium*, *Illyrium et Dalmatiam*, *Longobardiamque* inuadebant, limites ſuos laxe ampliantes. (4) Apud eosdem porro literarum ſtudia, *Aſtronomiae*, *Poëſeos* ac *Medicinae* egregie viguerunt; ſiquidem

dem Ptolomaei Almageſtum in linguam Arabicam tranſtulerunt; ipſique Imperatores Saracenici ſtrenui doctorum fautores et remuneratores extiterunt. (5)

(1) De *Iudaeorum* ſtudiis videſis *Hottingerum* Hiſt. E. Cap. IX. Sect. IV. Ceterum in Oriente fautorem habuerunt *Michaelem Traulum*, qui variis eos immunitatibus donauit, ac ſuper omnes homines adamauit; ſicut in Occidente *Bodo* quidam, Diaconus magna cum multorum offenſione Iudaeus, magnusque Chriſtianorum in *Hiſpania* perſecutor factus eſt.

(2) Fecit id *Sedechias* Iudaeus, de quo *Boecler.* in Hiſt. Saec. IX.

(3) Magna inter *Saracenorum* Califas in hiſtoriis occurrit confuſio: Nomina eorum vide apud *Scaligerum* et *Hottingerum*; *Aaronis* (de quo Saec. ſup.) ſucceſſor fuit *Muhammed* bello ciuili cum fratre colliſus; inde Fr. *Abdallas Amamon* imperſuit An. 17. Surrogatus ipſi *Muhammed Mutaſimus Billa* praefuit 40. annis, relicto Imperio filio *Aaroui II.* per 5. annos, quem excepit *Giafer Abufadlus*, *Mutenacelus* dictus, a Filio Anno 14. caeſus, qui ſibi rapuit Califatum ſub nomine *Muhammed Abugiaſar*, ſed tantum per 6. menſes obtinuit. Excepit eum *Muſtainus*, hunc *Muſtazzus* et quipiam alii, ſub quibus Saraceni a Perſis, auxilia *Turcarum* trahentibus, victi fuerunt: et ex hoc tempore *Turcae* nunquam reliquerunt *Aſiam*, adeoque in nomen et regnum *Saracenicum* ſubinde ſucceſſerunt.

(4) *Siciliam* praecipue hoc ſaeculo ſui iuris fecere, nequicquam eam protegente Imperio Orientali, quam 47. annis tenuerunt: imo *Romam* aliquoties inuadebant ac ſpoliabant. Vid. *Drechsleri* Chron. Saracen. cuius tamen calculus Chronologicus cum veterum monumentis haud aeque conuenit: it. *Sculptura temporum memoratrix*, ſiue Gedächtnißhülſ. Bilderluſt. Saec. IX.

(5) Confer hic *Hottinger.* H. E. Saec. IX. ſect. II. p. 654. ſeq.

SAECVLVM X.

§. 1.

Diuinae veritatis lux etiam hoc Saeculo non paucis adfulſit gentibus. Suſceperant 930. CHRISTI doctrinam priori aeuo *Dani*, (1) ſed rurſum abiecerant, Hoc autem *Haraldus Danorum*

rum Rex cum ſubditis plurimis baptiſmum ſuſcepit, (2) quod eius factum imitati *Vandali* (3) et *Obetriti*, (4) *Bohemi* Duce *Boleslao*, (5) *Sueci*,
969. (6) *Noruegi et Liuones* fuerunt: *Poloni* item *Mieslao* primo inter eos Chriſtiano principe autore Dominica *Laetare* idola exturbarunt templis vna cum *Sileſiis*, (7) inde et in *Pruſſia* (8) praedicatum Euangelium; imo et *Hungari*, (9) quanquam parum conſtanter religionem hanc amplexi fuerunt. *Turcis* denique lucis Euangelicae radius adfulſit. (10) Vt autem Euangelium fidelius poſſet adnunciari gentibus, plures hinc
968. inde conſtituti Epiſcopatus, vt *Miſnenſis*, (11) *Mersburgenſis*, (12) *Brandenburgenſis*, (13) *Hauelbergenſis*, (14) *Cizenſis*; (15) in *Holſatia* quoque *Aldenburgenſis*, (16) *Schleswizenſis et Ripenſis*,
972. (17) nec non *Archiepiſcopatus Magdeburgenſis*
940. inſtitutus ab *OTTONE Magno*. (18) *Bergenſe*
946. quoque Monaſterium, (19) *et Gemblacenſe*, (20) pro iuuentute in fide orthodoxa informanda fundatum; ſicut et in Polonia *Cracouienſis* (22) et *Gnesnenſis* (22) Epiſcopatus coeperunt. Idem Imperator *OTTO* ſaecularem addidit poteſtatem Epiſcopis, ſed non ſine ingenti Eccleſiae damno. (23)

(1) Vide quae ad §. 1. ſup. ſaec. n. 2. et 5. notata fuere. Ipſi *Dani* a Chriſtianiſmo deficientes idola ſua *Thor*, *Othinum* ſiue *Wodan* et *Freiam* denuo colere coeperunt, de quibus videſis *Arnoldi* adnot. ad Roſſ. c. IV. V. VI.

(2) *Haraldus* ab *Ottone M.* victus, cum vxore et filio baptiſmo fuit initiatus, et filio nomen *Suenottonis* inditum, vnde opera *Popponis* incolarum plurimi Regis exemplum ſecuti fuerunt, praecipue, cum viderent, eum in magno Procerum conuentu, pro ſtabilienda Chriſtiana veritate, ferrum ignitum ſine laeſione aliquandiu geſtaſſe.

(3) Hi

(3) Hi Rege *Miſtano* atrocem initio in Chriſtianos geſſerunt animum, qui tamen ipſe cum in ſenecta Chriſtianiſmum reciperet, et ſubditis idem faciendi autor fuit.

(4) Hos quoque Septentrionis populos R. *Henricus* Auceps fidei ſacrae addixit.

(5) *Boriuoius* Dux *Bohemorum* a ſubditis nonnullis varie exagitatus, *Bohemiae* faſces *Spitigneo* Chriſtiano conceſſit, qui initio rem Chriſtianorum valde auxit, poſt ab iis auerſus breui obiit, ſurrogato fratre *Vratislao*, cuius vxor ethnica *Drahomira Bohemorum Ieſabel* fuit: Poſt illius obitum res Chriſtianae denuo admodum fuerunt attritae, *Methodio* Epiſcopo defuncto, et Pontifice *Ioanne XIII. Bohemis* et *Slauis* vſum linguae vernaculae in ſacris reuocante. *Wenceslaus* F. *Vratislai Bohemiae* Dux reſtabilire conatus fidem veram, a fratre *Boleslao* caeſus fuit, dum autem illius necem vindicaturus adproperat, *Otto* Imp. *Boleslaus* gratiam eius ambiens Chriſto nomen dedit, religionemque hanc impoſterum *Bohemia* conſtanter retinuit. Vid. *Green.* Diſſ. de Eccleſia Bohem.

(6) Ad *Suecorum* conuerſionem multum contulit ſacrificulo gentili a Deo immiſſa coecitas, et reſtitutus poſt imploratam Chriſti opem viſus. *Noruegi et Liuones* iitidem tum de Chriſti nomine quaedam inaudiuerunt, illo tamen aeuo eius cultum non penitus admiſerunt.

(7) De *Polonorum* conuerſione vide Hartknoch de Rep. Polon. II. 2. 3. it. *Cunaei* Chron. Sileſ. p. 37.

(8) Primus, qui *Pruſſis* hoc Saec. Euangelium praedicauit, *Albertus* fuit, ſ. Adelbertus Epiſc. *Pragenſis*, qui confirmatis in fide *Polonis*, ad *Pruſſos* conceſſit, a quibus, cum hinc inde DEI verbum adnunciaſſet, trucidatus fuit. Inde quidam *Bruno*, et poſt hunc *Bonifacius Ottonis III.* conſanguineus, ſimili ſtudio *Pruſſorum* conuerſionem promouere, ſed ſua pariter vterque nece, tentauit. vid Hartknochs hiſt. Eccleſ. Pruſſ. I. I. 1. it. Diſſert. eius de rebus Pruſſ. XIV. p. 204. ſq.

(9) Factum id occaſione matrimonii *Geiſſae Hung.* Regis, cum *Mieslai Poloniae* Ducis ſorore: praecipue vero *Stephanus Geiſſae* F. circa finem Saeculi cum gente ſua in Chriſti nomen condixit. vid. §. 1. Saec. ſeq.

(10) Quibus alii quoque, vt *Rugii Scandiae* populi, *Ruſſi*, et nonnulli *Saxones* accenſeri merentur, qui in fide Chriſti ſaeculo hoc magis magisque fuerunt confirmati.

(11) *Henricus* Auceps poſt debellatos *Hungaros* non modo *Miſenae* vrbis fundamenta iecit, qua irruptiones barbarorum cohiberet, ſed et A. 934. baſilicam illic condere coepit, quam ſucceſſor et Filius *Otto M.* abſoluit, atque A. 970. *Otto II.* Epiſcopatu donauit, primo loci Epiſcopo *Burcardo*. Vnde dictum: *Henricus mandauit, Otto I. incepit, Otto II. perfecit.*

(12) Factum id ab *Ottone M.* A. 968. primo Epiſcopo *Baſone.*

(13) A.

(13) A. 960. idem Imp. *Brandenburg*. Epiſcopatus fuit conditor, cuius Epiſcopum primum *Dulimum* vel *Dudelimum* conſtituit.

(14) A. 946. quo *Venedos Otto M.* in fide Chriſtiana et obſequio contineret, fundamenta *Hauelbergenſis* Epiſcopatus iecit, primo Epiſcopo *Vdone*. Vide *Angeli* Annales Manſ. Brand. fol. 48. Adde huic Epiſcopatum *Libuſienſem a Mieslao Polono* A. 965. conditum, cuius primus Epiſcopus *Stephanus* quipiam fuit.

(15) Huius Epiſcopatus fundator itidem fuit *Otto M.* Imp. circa A. 968. conſtituitque primum illic Praeſulem *Hugonem*, qui ab Archiepiſcopo *Moguntino Adelberto* vno eodemque die cum Epiſcopis *Miſnenſi*, *Mersburgenſi et Hauelbergenſi* fuit ordinatus. Epiſcopatus hic poſtmodum *Naumburgum* fuit translatus. vid. *Caſp. Sagittarii* diſp. de hiſtoria Eccardi II. marchione Miſniae et de translatione ſedis epiſcopalis Ciza Numburgum, edita a C. G. Buder, Ien. 1718.

(16) Initia huius in A. 948. referuntur, de quo et *Wicelino*, primo hic Epiſcopo, *Helmoldus* in Chron. Slau. l. I, 72. ſub *Henrico Leone*, Sax. Duce hic poſtmodum *Lubecam* migrauit.

(17) *Slesuicenſis et Ripenſis* Epiſcopatus itidem *Ottonem M.* circa A. 948. fundatorem habuere. De *Slesuic.* conf. *Cypraei* Annales Epiſcoporum Slesuicenſium.

(18) *Otto M.* in gratiam *Editae Magdeburgum*, vbi antiqua arx erat, condidit, et poſt plures annos, circa An. 972. metropolitana dignitate, ac *Primatis Germaniae* titulo honorauit. Vid. *Werner*. in Chron. Magdeb. *Streuesdorf*. et alios.

(19) Conſtruxerat initio Magdeburgi *Otto* coenobium ordinis *Benedicti*, ſed cum poſtea Archiepiſcopatum in dicta vrbe erigeret, coenobium extra ciuitatis moenia tranſtulit, ac *Bergenſe* adpellauit, de quo *Petrus Vlnerus Abb.* it. *Chronic. Bergenſe Meibomii* videri poſſunt.

(20) *Gemblaci* vulgo *Gemblours in Brabantia*.

(21) Epiſcopus *Cracouienſis* XIIX. vrbium, et Ducatus *Seuerienſis* Dominus eſt, ac ſacris operans pallio vtitur margaritis diſtincto. Vid. Hartknoch de Rep. Polon. l. II. 3. p. 327.

(22) Archiepiſcopatus alter *Poloniae* eſt, cuius Praeſul ſimul legatus Pontificis natus et Regni Primas, magnaeque in eodem, praecipue interregni tempore, eſt autoritatis. Inſtitutus ab *Ottone III.* et *Boleslao Chrobri* Rege *Poloniae*.

(23) Vid. *Couring*. de conſtitutione Epiſcoporum, item Röm. Pabſtsthron. l. II. 3. p. 379. ſq.

§. 2.

Aſt et hoſtes CHRISTI Eccleſiam ſatis infeſtabant. Quippe *Dani*, (1) *Slaui*, (2) *Hungari* Germa-

Germaniam et Italiam depraedantes, (3) *Pruteni* (4) quoque cum *Bohemis* (5) acriter ſe *Chriſtianae* fidei initiis oppoſuerunt: *Mahummedani* quoque *Iudaeis* adſociati ferocem in Chriſtianos geſſerunt animum, (6) quanquam illorum proceres non raro faciles ſe his exhiberent. (7)

Acceſſerunt *haereſes* partim ex anterioribus Saeculis reſiduae, *Mahummedana*, (8) *Manichaea* (9) et aliae; partim recens introductae; ſiquidem in Italia diu ſepulta *Anthropomorphitarum* dogmata recruduerunt, DEO membra corporea adfingentia. (10) Plures praeterea in veram fidem irrepſerunt errores, de transſubſtantiatione, quam *Odo* Epiſcopus *Cantuarienſis* praecipue defendebat, omni ſe niſu opponente illius Eccleſiae Clero; (11) de cultu reliquiarum, (12) et imaginum, primatu Pontificis, quem ceteris impoſuerunt, (13) campanarum baptiſmo, (14) per *Ioannem XIII.* coepto, coelibatu Clericorum, 968 omnibus viribus in Anglia introducto, (15) aliisque Chriſti doctrinam haud parum obfuſcantibus dogmatibus. Quin et *Nicephorus* Orientis Imperator milites ſtrenuos in praelio occumbentes Martyrum loco coli voluit, contradicente Conſtantinopolitano Patriarcha, atque exin etiam ſchiſma ortum Eccleſiae. (16) Auxerunt temporum horum miſeriam a virtute maiorum plane deficientes Pontifices, Apotactici, Apoſtaticiue potius, quam Apoſtolici, quique omni ſe vitiorum coeno penitus immerſerunt. (17)

(1) *Dani* Rege praecipue *Gormone*, crudeliſſimo in Chriſtianos tyranno, ſaeuitiem ſuam ſatis demonſtrarunt.

(2) Hi cum *Danis Saxoniam* praecipue vaſtarunt, *Sleſuicenſeque* templum euerterunt.

(3) Sub *Conrado* et reliquis Imperatoribus multoties in *Germaniam*, *Galliam* et *Italiam* excurrentes, ingentem Chriſtianorum ſtragem, barbarae *Hungarorum* gentes ediderunt, tandem ab *Henrico Aucupe* et *Ottone* attriti ac debellati.

(4) Conf. Hartknoch Hiſt Eccleſ. Pruſſ. p. 17. ſq.

(5) *Drabomira* praecipue in Chriſtianos ſaeuiſſimam ſe oſtendit, Chriſtianaeque religionis cultum publice inhibuit, tandem a dehiſcente terra deuorata

(6) Prolixe id recenſet *Hottingerus* H. E. Saec. X. p. 114. et 170.

(7) Ita *Califa Mucțadirus Billa* tributum Chriſtianis impoſitum ſuſtulit, deſtructaque eorum templa reſtituit.

(8) Praecipue in Oriente ſubinde nouas vires acquirens.

(9) Cui addictos *Zimiſces* Imp. e confinibus *Antiochiae Philippopolin* tranſtulit.

(10) Praecipue *Paraſſium Longobardiae* ciuitatem totam infecerunt.

(11) Ita de verbis inſtitutionis et pane Euchariſtico nata contentio, dum alii priorem panis ſubſtantiam remanere, nihilo tamen minus verum Chriſti corpus ſimul porrigi aſſerebant; *Odo* vero priorem elementorum ſubſtantiam prorſus euaneſcere, et in Domini corpus tranſire ſtatuebat, atque ita transſubſtantiationis figmentum introducebat, fictisque miraculis vel praeſtigiis roborabat. v. *I. G. Walchii* hiſtoria transſubſtantiationis pontificiae, Ien. 1738.

(12) Vid. *Oſiand.* H. E. Cent. X. l. IV. 8. p. 124. it. *Calixtus* de cultu reliquiarum.

(13) Vid. Röm. Pabſtthron l. II. 3.

(14) Idem l. III. 2. p. 961. *Boecler.* Hiſt. Saec. IX. et X. p. 344. Hodie negant Pontificii, eum verum eſſe baptiſmum, ſed tantum conſecrationem et benedictionem.

(15) Conf. *Calixtum* de Coniugio Clericorum, it. *Müller.* de coelibatu Clericorum. Pabſtthron. p. 1060.

(16) Illud ex controuerſia de quarto coniugio, quod Patriarcha Conſtantinopolitanus concedere nolebat, auctum, cui alia lis de compaternitate, vtrum coniugii eſſet obſtaculum, acceſſit. Vid. *Zonaras.*

(17) Conf. Pabſtthron l. II. 3. Certe huius Saeculi Pontifices a ſuis Scriptoribus nominantur Anti-Chriſti, fures, inuaſores, magi, prodigi, tyranni, ſimoniaci, facinoroſiſſimi, monſtra, portenta, periuri, graſſatores, diuinarum et humanarum legum violatores, ſceleſtiſſimi, etc. Vid. *Hottinger.* H. E. p. 40. ſq.

§. 3.

Oppoſuerunt ſe autem *Imperatores* pariter et *Patres* huius Saeculi corruptelis grauiſſime, variasque

riasque celebrarunt *Synodos*, quarum tamen cauſa praecipua luxus Eccleſiaſtici et Papalis dominationis coërcitio, (1) vel confirmatio. *Erfur-* 932.
tenſis ab *HENRICO Aucupe* inſtituta inter alia *Apoſtolicorum* feſtorum ſancit celebrationem: (2)
In *Gallia Sueſſione Hugo Rhemenſis* Epiſcopus ſedi 941.
ſuae reſtituitur, quamuis adhuc puer eſſet electus; (3) qui tamen in *Ingelsheimenſi* denuo pel- 948.
litur. (4) *Romae* (5) *Ioannes XII.* Pontifex per 963.
vim in ſedem iſthanc intruſus cum vitae turpitudine dignitatem ſacram deformaſſet, in publica Synodo ad dicendam cauſam vocatur, tandemque abſens, praeſide *OTTONE M* Imperatore deponitur, ſurrogato illi *Leone VIII. Wintonienſis* in *Anglia* per Archiepiſcopum *Cantuarienſem Dunſtanum* coacta, coelibatum Sacerdotum introducit, quicquid ex ſacris literis opponerent Presbyteri; certe, dum de re ea actum, ſubito vox tanquam ex imagine CHRISTI prorumpens, rectius artibus Magicis excita, non bene ſentire, qui coniugatis fauent Presbyteris, pronunciauit. (6) *Anthropomorphitarum* vero haereſin Pontifex et Italiae Epiſcopi non Dei verbo, ſed hoſtili gladio extirpare ſunt adniſi. (7)

Ceterum qua *viros doctos* infelix merito hoc Saeculum audit, et obſcurum: Oriens equidem habuit *Theophilactum Bulgarorum* Epiſcopum, 910.
Euangelia, Epiſtolas Paulinas et alia ſacra ſcripta illuſtrantem. (8) Occidens vero *Rathbodum* Epiſcopum *Vltraiectinum*, (9) *Radulphum* Monachum *Flauiacenſem*, in *Leuiticum et Paulum* commentatorem; (10) *Odonem* Abbatem *Cluniacen-* 920.
ſem;

930. *ſem;* (11) Ratherium Epiſcopum *Veronenſem*,
940. qui *Anthropomorphitas* impugnauit; (12) *Hilde-*
970. *bertum* antiſtitem *Moguntinum;* (13) *Abbonem*
990. *Floriacenſem* Abbatem; (14) *Arnulphum* Epiſco-
pum *Aurelianenſem*, qui contra Pontificis Prima-
1000. tum ſcripſit. (15) *Brunonem* Archiepiſcopum
Rhutenorum, (16) et *Leuinum Scotorum;* denique
Smaragdum Abbatem *Britannum*; (17) *Hatto-*
nem, ob immitem in eſurientes pauperes animum
a muribus corroſum, (18) et *Willigiſum Mogun-*
tinos. (19) (20) Hiſtoriae edendae operam na-
910. uarunt Radulphus *Flauiacenſis*, (21) Rhegino Ab-
950. bas *Prumienſis*, (22) *Frodoardus* Abbas *Rhemenſ.*
Chronologus (23) *Luitbrandus Ticinenſis* Diaco-
nus, *Berengarii* in Orientem legatus, poſt Epiſco-
pus *Cremonenſis;* (24) *Witikindus* Monachus *Cor-*
beienſis; (25) *Aimonius* Monachus *Floriacenſis*,
(26) paucique alii.

(1) De vitiis et ſceleribus Cleri hoc aeuo conqueritur *Auentinus* lib. IV. Hiſt Boii.

(2) Vid *Baron.* ad A 932. quamquam *Lamb. Schaffnaburg.* quid magna hac Synodo decretum fuerit, neminem referre ſcribat.

(3) *Artaldus Rhem.* Archiepiſcopus hic depoſitus, quod iuraſſet, ſe nullum vnquam Archiepiſcopatum accepturum: poſt tamen in *Virdunenſi*, *Moſomenſi*, *Ingelheimenſi*, *Treuirenſi et Romana* reſtituitur.

(4) De *Ingelheimenſi* modo dictum.

(5) Hiſtoriam ex *Baronio* aliisue Autoribus recenſent et defendunt *Boeclerus* l. c p. 337. ſq. Pabſtthron. pag. 384. *Io. Launoius* Doct Pariſ. et alii. Conf. *Natal. Alexandr.* Diſſert. XVI. ad ſelect. hiſtor. Saec. IX. et X.

(6) Vid. *Polyd. Virgil.* l. VI. Hiſt. Anglic. it. *Balaeus* Cent. II. pag. 140. et *Matth. Weſtmonaſt.* ad A. 974.

(7) Memoratis Synodis adiici poſſunt huius Saeculi aliae: *Altheimenſis* A. 916. rebelles Imperatori et inmorigeros excommunicat. In *Anglicanis* multoties habitis cauſa presbyterorum ob honeſta coniugia expulſorum viciſſet ſine dubio, niſi fraude confictí oraculi *Dunſtanus* Monachos feciſſet ſuperiores. *Confluentana* coniugium intra ſeptimum cognationis gradum prohibuit.

hibuit. *Conſtantinopolitana* ſub *Ottone II.* de *Polyeucti* Patriarchae in *Nicephorum* Imp. iniuſte auſis cognouit; alia A. 973. *Baſilium* deponit. *Diugelſingenſis* Imp. *Henrico* habita de bonis et reditibus Eccleſiaſticis, Clericorumue moribus: *Duisburgenſis* in cauſa *Bennonis Metenſis* Epiſcopi excoecati acta. Duae *Gallicanae* prior *Fulconem* Archiepiſcopum interemit, quod aulicis aliisque ſaecularibus, prouentus ſacros ad ſe rapientibus, fortiter reſtitiſſet; poſterior de caedis autoribus inquiſiuit. *Rauennatenſis* A. 903. decreta *P. Stephani* aboleuit, et contra *Berengarium Lambertum* defendit. Alia ibidem A. 967. habita *Otto* Pontifici *Ioanni XIII.* Exarchatum reſtituit. *Rhemenſes* tres in cauſa *Arnulfi* Archiepiſcopi et *Gerberti* cognouerunt. *Romanae* aliquot *Leoni IV.* iuſte electo et ordinato oppoſitae fuere, quarum aliqua *Benedictus* Anti-Papa declaratus, ſed a *Leone* iterum depoſitus fuit; nec minus alia de cauſa Archiepiſcopi *Magdeburg. Giſleri* iudicat, quem vicini ex aemulatione *Romam* detulerant, qui ſibi demtum exiſtimabant, quicquid *Magdeburgo* acceſſiſſet. Rurſum alia *Adelbertus Pragenſis* Epiſcopus ex monaſterio ſuo Epiſcopio reſtitutus fuit; item *Vlricus Auguſtanus* ſanctorum Catalogo adſcriptus.

(8) *Vulgarius* alias dicitur, a *Photio* Conſtantinopolitano *Acridae* in *Bulgaria* Epiſcopus ordinatus; *Chryſoſtomi* fuit epitomator, et cum Graecis proceſſionem Spiritus S. a Patre et Filio negavit. Vid. *Gerh. et Meelführ.* De aetate tamen, qua vixerit, haud omnes inter ſe conueniunt, cum *Labbeus* eum in ſequens Saeculum reiiciat.

(9) Praeter alia ſcripta Paraphraſin in *Iobum* reliquit metro et proſa Manuſcriptam, it. laudes quorundam Martyrum decantauit.

(10) Fuit hic iuxta *Sixt. Senenſ.* vir in literis politioribus clariſſimus, diuinum ingenium in explanandis ſcripturis ſortitus. Edidit praeterea hiſtoriam *Francorum* et breue *Chronicon. Labbeus* eum cum aliis ſequentis Saeculi facit ſcriptorem.

(11) Vitam huius dedit *Ioannes Cluniacenſis*; eleganti in homiliis ſcribendis ac declamandis, nec non decantandis Sanctorum laudibus eum ingenio fuiſſe praedicat *Sigebertus.*

(12) Idem de ſuo exilio, in quod a R. *Hugone* pulſus, nec non de *corpore et ſanguine Domini*, *libros* porro *Confeſſionum* et nonnulla alia ſcripſit.

(13) Hic claris natalibus ortus, in *Fuldenſi* coenobio initio literis operam dedit, eiusque abbas, poſt *Moguntinus* Archi-Praeſul creatus fuit, inque *Ottonis* coronatione, prae *Colonienſi et Trevirenſi*, ipſe negotium illud et ſolemnia peregit. *Boecler.* hiſt. Saec. X. p. 281.

(14) Qui ſcriptis variis Theologicis, Philoſophicis, Hiſtoricis et Aſtronomicis opuſculis eruditionis famam adeptus, a Monachis ſuis tandem confoſſus, vel etiam in *Vaſconia* An. 1004.

martyr factus fuit. Scripta eius *Surius*, *Baluzius et Mabillonius*, alia *Pithoei* fratres ediderunt.

(15) Vid. *Catalog. teſtium veritatis* p. 381. et *Baron.* ad A. 992. n. 14.

(16) In *Pruſſia* martyrio coronatum. *Marian. Scot. Sigeb.* Hartknoch.

(17) Qui praeter Latinam linguam *Graece et Hebraice* doctus ſcripſit in *Pſalterium*, item explicationem epiſtolarum et Euangeliorum Dominicalium, de quibus tamen pauciſſima extant. Quanquam dubia nonnulla circa eum *Labbeus* moneat.

(18) Adſerunt rei veritatem *Trithemius*, *Bruſcheus*, *Lycoſthenes*, *Merſaeus*, *compilatio Chronologica* et alii, agnoſcitque ipſe *Drexelius* Ieſuita: negare tamen conatur *Serarius* in *rebus Moguntinis*. Notandum autem, Saeculo hoc duos *Hattones Moguntiae* Archipraeſules fuiſſe, quorum prior *Alberti* Comitis *Bambergenſis* necem perfide promouit, tandem corpore et anima a Daemonibus abreptus, et, vt credebatur, in Aetnam praecipitatus; alter autem a muribus deuoratus. Vid. *Richter.* axiom. Eccleſ. p. 161. *Erdm. Guil. Volland* comment. de Hattone, archiepiſcopo Moguntino, Lipſ. 1753.

(19) *Willigiſi* pater rhedarius fuit, vnde humilis huius originis memor parietibus adpinxiſſe rotam, et adſcripſiſſe fertur: *Willigis, Willigis, recole, vnde veneris.* Hinc etiam *rotae* in Inſignibus *Moguntinis* deriuantur initia v. *Cph. Frider. Ayrmanni* comment. de rota moguntini archiepiſcopatus inſigni, rec. Ien. 1747.

(20) Viris hoc Saeculo claris adnumerari poterunt *Adalbertus* Epiſcopus *Auguſtanus*, *Bernhardus Halberſtad.* pro retinenda ſua dioeceſi admodum tenax, qua de cauſa etiam Imp. *Ottonem* excommunicauit. *Bruno Colon.* Imperatoris *Ottonis M.* frater, et gubernator *Lotharingiae*, Comment. in Pentateuchum et 4. Euangelia, it. vitis Sanctorum aliquot notus: *Dithmarus Hirſaug.* *Dudo Neuſtrius*, *Giſelbertus*, libri, quem altercationem Synagogae et Eccleſiae inſcripſit, autor: *Hadamarcus Fuldenſis*, *Methodius Moranorum* Epiſcopus, *Moſes Bar-Cepha Syrus* de Paradiſo commentatus, *Notgerus Leodienſis*, conſignauit hiſtoriam de incenſione Monaſterii Stabulenſis: *Udo Seuerus Cantuarienſis*, de Euchariſtia ſcripſit: *Orgerus Spirenſis*, *Ottoni* Imp. in creatione *Leonis VIII.* R. P. contra *Ioannem* Papam ſceleratum adſtitit, poſt cuius diſceſſum a *Ioanne* captus, flagris caeſus et iurare adactus fuit, ſe curaturum, vt Imperator cum Pontifice in gratiam rediret: ſed priusquam ad Caeſarem veniret, *Ioannes* obtruncatus fuit. *Lehmanni* Chronic. Spir. V. 11. *Roswida* ſiue *Hroswita* monialis, poſt abbatiſſa *Gaudersheimenſis*, quae Latine et Graece docta, ſcripta quaedam reliquit, *Stephanus Leodienſis*, *Vtricus Auguſtanus*, et *Vnno Hamburgenſis*, loco *Ledradi* ab Imp. *Conrado I.* deſignatus, deformitatem corporis animi pulchritudine reſarciit. Inter Graecos Imp. *Conſtan-*

Conſtantinus Porphyrogeneta ſcriptis variis ſuaque eruditione magnam nominis meruit celebritatem.

(21) Reliquit hic *hiſtoriam rerum Francicarum*, et quoddam breue *Chroni on.*

(22) Duobus *Chronicorum* libris clarum nomen adeptus: perduxit opus hoc ad A. 907. quae ſequuntur ad A. 967. *Rhegi-noni* ſunt adiecta.

(23) Concinnauit *hiſtoriam Rhemenſem*, et *Chronicon* ab A. 919. ad A. 966. Vocatur a quibusdam *Flaualdus*.

(24) Aulicam hic fortunam ſenſit, poſt dextre obitum legationis munus in exilium a *Berengario* actus *Francofurtum* venit, vbi de rebus ſuo tempore in *Europa* geſtis *VI. hiſtoriarum libros* ſcripſit.

(25) *Windichinus* aut *Winduchindus* quibusdam dicitur. Hiſtoriam *Saxoniae* tribus *Annalium* libris fuit complexus, reliquit item *de rebus geſtis Ottonis I. librum*, et alia quaepiam.

(26) *De origine ac geſtis Francorum* ſcriptor, a primo Rege *Pharamundo ad obitum vſque Ludouici Pii.* Reliqua vſque ad Annum 1165. alterius labor ſunt.

§. 4.

Iudaeorum ſtudia quod concernit, magis magisque a pietate et fide genuina defecerunt, traditionibus plane immerſi. Ex *Sorana* autem Academia, quam in Oriente hactenus illuſtrauerant, dilapſae literae aliorſum ſe contulerunt, immenſo ceteroquin in Chriſtianos pariter ac Mahummedanos flagrantes odio. (1)

Mahummedani vero licet varias in partes diſtraherentur, ſaepiusque cruentis ſe bellis inuicem laceſſerent, (2) nihilo-tamen-minus variis
Chriſtianos adfecerunt calamitatibus, hincque *Sa-* 910.
raceni Apuliam ac Calabriam inuadebant, inde *Li-* 935.
guriae vrbem primariam *Genuam* depopulaban-
tur, *Beneuentumque* incendebant, quanquam non 952.
ſemel etiam a Chriſtianis diras paterentur clades, (3) ab *OTTONE* praecipue *I.* et *II.* Hi autem *Mahummedani* ſatis feliciter bonas excoluerunt artes, Poëſin praecipue, hiſtorias, Mathemata,

aliaque ſtudia, fauentibus eaque promouentibus ipſis etiam Caliphis, et aliis magnae inter eos autoritatis viris. (4)

(1) Prolixius eorum hiſtoriam exponit *Hottingerus* Saec. X. ſect. IV. p. 134. ſqq. qui conſulendus.

(2) Inteſtina *Muhammedanorum* bella ex ſcriptoribus Arabicis idem Autor exponit l. c. p. 89. ſq.

(3) *Saraceni* enim *Garilianum* montem tenentes, et ex illo viciniae mille damna inferentes, occidione deleti, ſtatim ſub initium Saeculi. Inde cum ex Africa partim aduentantes, partim ex Fraxineto excurrentes, *Italiam* vexarent, hi magna clade ſuppreſſi ſunt A. 934. Eorum imperium in *Sicilia* quoque adhuc valebat, vbi *Nicephori* Ducem *Manuelem* cum tota claſſe caeciderant, quanquam Imperator dictus alibi aduerſus *Saracenos* praeclara quaepiam egiſſet. Sic *Hugo* eos in *Italia Fraxineto* expulit, eorumque claſſem exuſſit. *Otto M. Italia* eiicere conatus, *Garganum* montem recepit, atque A. 977. *Creta* Inſ. pulſi fuere. Nec minus *Otto II.* feliciter initio cum *Saracenis* conflixit, vnde *pallida Saracenorum mors* dictus, poſt tamen in *Calabria* magnam ab iisdem cladem, *Graecorum* et *Romanorum* perfidia, perpeſſus fuit, fuga vix elapſus ope, quam probe callebat, linguae Graecanicae.

(4) Memorantur a quibusdam hoc Saeculo *Muhammedes Alfraganus* ſiue *Alferganus*, Arabibus *Logiſta* dictus, cuius *elementa Aſtrologica*, et alia *ſcripta Mathematica* extant: item *Muhammedes Aractenſis*, ſiue *Albutegricus Syrus*, qui libro *de ſcientiis ſtellarum* cognitus eſt. *Voſſius* tamen vtrumque Saeculo praecedenti vindicat.

SAECVLVM XI.

§. I.

Non aeque fertile conuerſionibus gentium hoc erat Saeculum, atque praecedens;
1001. *Hungari* tamen *HENRICI II.* Imperatoris auſpiciis, Regi ſororem *Geyſam* ſiue *Giſalam* iungentis ſacra perfuſi vnda, cum CHRISTO diu reſtitiſſent, victas tandem porrigunt manus, (1) quod eorum factum et *Transſyluani* feliciter aemulati fuerunt.

fuerunt. (2) Quin et ſub finem Saeculi per *Godofredum Bullioneum*, Ducem *Lotharingiae*, erepta Saracenorum manibus *Hieroſolyma*, et Chriſtianis reſtituta fuit, quam nonaginta fere annis 1099. tenuerunt. (3) Conditus quoque hoc Saeculo fuit Epiſcopatus *Bambergenſis*, (4) obſtante initio *Würzburg*. Epiſc. qui illam ſua inſpectione 1008. eximi Eccleſiam inique ferebat. (5)

(1) Quamquam *Stephanus* Rex per *Giſelam* vxorem, et *Henricum II.* Imp. Chriſto non ipſe modo ſe ſubiecerit, ſed et gentem ſuam ad baptiſmum adduxerit, poſt eum tamen plebs aliquoties iugum Chriſti excutere molita eſt, praecipue a *Petro R.* deficiens, *Andreaeque* ſe ſubmittens ea conditione, vt Chriſto exploſo Deorum cultus reuocaretur; vixque duris tandem ſuppliciis ad fidei conſtantiam permoueri potuit. v. *Io. Iony* diſſ. de auſpicio regio Stephani I. Hungarorum apoſtolo, Ien. 1717.

(2) Quorum Princeps *Giula* etiam ſatis inuitus a *Stephano* Hung. Rege baptiſmum cum ſuis ſuſcepit. Adde his *Sorabos*, quorum lucum, idolo *Zuttiberi* ſacrum excidit *Wigebertus*, *Merſburg.* Epiſcopus. Vid. *Oſiand.* Cent. XI. p. 129.

(3) Bellum hoc ſacrum pro liberanda e *Saracenorum* manibus *Hieroſolyma* ſuaſu *Petri* cuiusdam Monachi ſuſceptum fuit, pluresque exercitus in *Orientem* contenderunt, adeo, vt vel ſexcenta hominum millia cruce ſe ſignari, pro illius aeui more, permitterent. Capta bello *Nicaea*, *Antiochia* et *demum Hieroſolyma* Idibus Iulii A. 1099. primum Regem habuit *Godofredum* e *Bullionia* gente, *Lotharingiae* Ducem, qui diadema tamen aureum recuſauit, quod ſeruator illic ſpineum gesſiſſet. Vid. inf. ad §. quartum.

(4) Liberaliter Epiſcopatum *Bambergenſem* Imperator *Henricus II.* cum coniuge *Cunigunda* dotauit, totam ipſi haereditatem Caeſaream legans, Epiſcopumque Metropolitani cuiusuis inſpectione eximens, quaedam etiam Electoratuum ſaecularium feuda ipſi ſubiiciens, non tamen ipſos Electoratus, quae multorum hactenus erronea fuit ſententia: Primus ex Cancellario Epiſcopus hic conſtitutus fuit *Eberhardus*. Vid. *Io. Cygnei* Annal. Bamb. Prodr. it. *Io. Epiſcopi* Bamberg. Chron.

(5) Hinc in Synodo *Francofurtana* Imperator Antiſtiti *Würzburgenſi* agri illam partem, quam *Bamberg.* Epiſcopatui ſubiecerat, liberaliter compenſauit.

§. 2.

Ceterum maiores *perſecutionum* flammae CHRISTI Eccleſiam perdiderunt: Vt *Saracenorum* et *Iudaeorum* haereditaria in Chriſtianos odia ſilentio obtegam (1) *Vandalorum* (2) *Sclauorum* (3) *et Polonorum* (4) non pauci ad gentiliſmum relapſi vera CHRISTI membra diris adflixerunt modis. (5) Imo maximum in Orbe Chriſtiano ſchiſma excitarunt *Conſtantinopolitanorum* Patriarcharum in Imperatores Orientis dominium ſibi adrogantium, (6) et inauditae Romani Pontificis *Gregorii VII. Hildebrandi* alias dicti ambitiones; (6) quippe hic ipſum Imperatorem *HENRICVM IV.* heroa alias fortiſſimum excommunicare et regno priuare fuit auſus; Qui temerarius conatus ingentia verae doctrinae damna intulit, quae vſque huc in *Romana* durant Pſeud Eccleſia; ſiquidem reliquiae vndique magno ſtudio conquirebantur et colebantur, (8) ieiunia magis extollebantur, (9) ſpherularum precatoriarum (quas *Paternoſter* Pontificia adpellat ſuperſtitio) vſus introducebatur, (10) chriſma baptiſmo iungebatur, (11) presbyteris coniugium interdicebatur (12) operum merita denique cum figmentis innumeris aliis confirmabantur; prae ceteris vero omnibus Papalis omni-
1041. potentia et Vice-Deatus ſtatuminabatur; (13) indeque *Poloni Caſimirum* Monachum Regem petentes, non niſi promiſſis *S. Petro* nummo, tonſura quaſi Monachali et ſtola, a pontifice impetrarunt. (14)

Porro

Porro ex *haereticis* huius Saeculi notus *Berengarius*, natione Gallus, et Eccleſiae *Andegauenſis* Archi-Diaconus, qui diu ſepultam de negata corporis et ſanguinis CHRISTI in Sacra Coena praeſentia ſententiam ab orco reuocauit, dum transſubſtantiationem impugnare ſedulus adnititur. (15) *Aureliis* porro in *Gallia* Atheiſmus ex Italae cuiusdam mulieris ſeductione irrepſit, vbi omnia in Sacris literis de Deo, mundi creatione, virtutum ſtudio, praemio poenisque aeternis tradita pro fabulis venditabantur, breui tamen is tum euanuit. (16) Quin et *Anabaptiſtarum* errori fanatico fundamenta quidam poſuit, et bella improbauit, furto ablata repetere prohibuit, aliaque deliramenta ſanxit; (17) et ſaepius hactenus inter *Orientalem* atque *Occidentalem* Eccleſias de proceſſione Spiritus Sancti motae contentiones hoc quoque tempore recruduerunt. 1035.

(1) De quibus inferius ad §. IV. In *Aſia* certe et *Africa* florentisſimae quondam Eccleſiae diſperſae et dirutae fuerunt, adeo, vt in tota *Africa* vix quinque ex ducentis quinque ſuperfuerint Epiſcopi.

(2) *Miſtenoius* praecipue Dux crudelisſimum ſe Chriſtianis exhibuit, quod *Bernhardi Saxoniae* Ducis promiſſam in matrimonium filiam haud impetraret, Marchione *Brandenburgenſi* obnitente, et, ne cani nobilem puellam elocaret, *Bernhardum* inſtigante; cui alia crudelitatis cauſa, nimia ſcilicet tributorum exactio, accesſit. Conf. *Angeli* Chronic. March. Brand. Quanquam autem iam ſenex *Miſtenoius* Chriſto ſe addiceret, feritatem tamen gens eius haud plane depoſuit, ſed poſt *Godeſchalci* Principis necem denuo Chriſtianae fidei ingens decrementum dedit, tertioque ad paganiſmum defecit, ac *Ioannem* Epiſcopum verbum Domini praedicantem, ſaeuisſime interemit, eiusue caput Deaſtro ſuo *Radegaſt* immolauit. Conf. *Cranzii* Metrop.

(3) Qui Eccleſias Sax. grauiter deuaſtarunt: eorum defectionem recenſet *Helmoldus* c. 24. it. continuator *Hermanni* ad A. 1055.

(4) In quos *Rutheni* et *Bohemi* irruerant, ipſeque Rex Polon. *Boleslaus Stanislaum* Epiſcopum *Cracon.* ante aras obtruncauit, et canibus deuorandum obiecit; Rex vero vindices iras diuinas ſenſit, dum regno eiectus in *Vngaria* mente motus, a ſuis quoque canibus diſcerptus fuit.

(5) Addi poſſunt *Hungari*, quibus *Andreas* Rex ante ſuam coronationem quidem indulſerat, ad ſacra pagana redire, Chriſtianosque pro lubitu adfligere; potitus vero diademate, An. 1047 Chriſti fidem omnes profiteri iuſſit. Quo defuncto a *Bela* ſucceſſore denuo ſacrorum gentilium publicum exercitium petierunt, ſed vi militari ad Chriſti cultum adacti fuerunt.

(6) Patriarchae Conſtantinopolitani non modo prae Romano primatum tum ambierunt, ſed et *Comneno* Imp. qui tum erat Patriarcha *Michaël*, minatus fuit, ſe, ſicut illi contuliſſet, ita quoque erepturum Imperium; ſed in exilium propterea eiectus fuit.

(7) Prolixa ambitioſorum horum actuum recenſio legi poteſt apud illius aeui ſcriptores, ex quibus recentiores collegerunt, praecipue *Lehmannus* Chron. Spir. Pabſtthron l. II. 4. p. 444. ſqq. Conf. *Schubarti* Apologia pro Henrico IV. Imp. adde *Nat. Alex.* ſel. Hiſt. Eccleſ. Saec. XI. et XII. p. II. Diſſ. 2. *Ad. Rechenbergii* diſſ. de tatatu Hildebrandino, Lipſ. 1693.

(8) Vid. *Kortholdt* Hiſt. Eccleſ. p. 406. *Hotting.* p. 362.

(9) *Gregorius VII.* quippe eſum carnis diebus Sabbati Chriſtianis interdixit.

(10) Secundum *Genebrardum* An. 1076. *Petrus Eremita Ambienſis* primus modum orandi per calculos ſiue Pater noſter docuit. Vid. *Polyd. Virgil.* l. V. 9. de Inuent. rer.

(11) Cuius rationem *Petrus Damiani* reddit ſat abſurdam, quod Chriſtus a chriſmate dicatur, qui ſublato e baptiſmo chriſmate ſimul tollatur.

(12) Vid. *Calixtus* de Coniug. Cler. *Liebhardus* de clero Germ. pro vxoribus pugnante; Pabſtthron p. 515. ſeq. 1060. ſeqq.

(13) Maxime in *dictatibus* illis *Hildebrandinis*, tanquam pleniſſimis ſupereminentis, quam ſibi adrogauit, poteſtatis teſtibus et indicibus, quos videſis apud *Hottinger.* Hiſt. E. Saec. XI. p. 286. Pabſtthr. p. 488. ſqq. De quibus ſententiam quoque tulit *Io. Launoius* epiſt. part. 6. penult. Vid. *Reuſerum* in I. Launoi. p. 166. ſq.

(14) Vid. *Baron.* ad A. 1041. n. II. Pabſtthron p. 431.

(15) Hinc contra eundem complures habitae Synodi fuerunt, quibus eius dogma damnatum, ipſeque *Berengarius* ad palinodiam coactus fuit, quamquam aliquoties ad vomitum rediit. Conf. *Hotting.* p. 534. Vide integram *Berengarianiſmi hiſtoriam D. Mülleri* Roſtoch. traditam, it. in compendio a *D. Kortholto* in H. E. p. 413. ſqq. exhibitam. *Io. Mabillonii* diſſ. de Berengarii multiplici damnatione, fidei perpeſſione et relapſu,

relapſu, deque eius poenitentia in *Io. Vogtii* bibliotheca hiſtoriae haereſiolog. T. I. faſc. I. p. 99.

(16) Huius ἀθεότητος adſeclae *Heribertus* et *Liſoius* cum mutare mentem nollent, combuſti dicuntur: quamquam omnino ſint, qui integram hanc recenſionem in dubium vocitent, cum conſtet, Romanis adſentatoribus id non fuiſſe infrequens, haereſeos quoscunque damnare, qui ſputum eorum in omnibus lingere detrectabant: cum potius mulieris huius ſectatores errores quosdam Eccleſiae Pontificiae impugnaſſe traduntur.

(17) Vid. *Oſiand.* Cent. XI. p. 145. *Cent. Magdeb.* p. 452.

§. 3.

Synodi hoc aeuo celebratae memorantur complures, quas inter eminentiores ſunt *Tremonienſis*, (1) qua Imperator *HENRICVS Sanctus* haud parum in luxum Clericorum inuexit, ideoque pinguia aliquot nonnullis praedia ademit. *Selingſtadienſis* (2) quasdam Clero leges tulit: *Triburienſis* (3) Anabaptiſticum illud dogma reiecit: Porro cum *HENRICI III.* Imp. tempore tres ſimul de Pontificali tiara contenderent, Benedictus IX. Sylueſter III. et Gregorius VI. *Sutrii* (4) iuſſu *Auguſti* celebratus conuentus tres illos Pontifices deiicit, illum ad feras expellit, iſtum ad ſuum Epiſcopatum redire iubet, hunc vero in *Germaniam* relegat, ſubſtituto tribus *Suidgero Bambergenſi* Epiſcopo, poſt *Clementis II.* nomine inſignito; qui Romanis autor fuit, vt iuramento ſe obſtringerent, inſcio ſe Caeſare Papam deinceps nunquam electuros. (5) *Moguntina* (6) *Leo* Pontifex Clericorum Simoniam et luxum damnat. *Romana* reiicitur *Berengarius*, eiusque ad *Lanfrancum Cantuarienſem* Epiſcopum exceptas literas refellit partim Synodus, partim ipſe *Lanfrancus*; (7) citatur ad *Vercellenſem*

1006. 1022. 1030. 1046. 1049. 1050.

ipſo

ipſe *Berengarius*, qui miſſis duobus Diaconis
ſuam agit cauſam; at *Berengarius* denuo hic vna
cum *Io. Scoti* ſententia fuit damnatus; ille tamen
nihilo ſecius in errore ſuo perſeuerauit; et licet
in *Turonienſi* Synodo ſuae ſententiae argumenta
proferre iuſſus ſe communi Eccleſiae doctrinae
accedere profiteretur, eandem tamen deinceps
quoque cecinit cantilenam, proinde cum virus
1059. illud latius indies ſerperet, *Nicolaus II.* Pontifex
Romae indicta Synodo ipſum adeſſe iubet *Beren-*
garium, vbi a 113. Epiſcopis examinata eius do-
ctrina fuit et damnata, ipſeque *Berengarius* poſt
reuocatam et antiquatam ſuam opinionem, libel-
lum igni conſecrat; rediit tamen poſt ad vomi-
tum. (8) Idem Pontifex *Senenſi* (9) Synodo
praeſentibus 130 Epiſcopis Pontificum electio-
nem, Imperatoribus hactenus debitam eripit,
1062. Cardinaliumque collegio adſtringit; hinc *Man-*
tuanum (10) *Honorium II.* ab Imperatore *HEN-*
1066. *RICO III.* electum deiicit, confirmato *Alexandro*
II. quod *alia* ibidem celebrata repetitur, omnis-
que *Caeſari* circa Pontificum electionem poteſtas
praeter omne fas abrogatur. Cum vero *Germa-*
niae hactenus Clerus et Presbyteri ab vxoribus
ſuis diuelli non potuiſſent, Archiepiſcopus Mo-
1074. guntinus *Gregorii VII.* iuſſu, qui *Romae* idem
ſanxerat, ad reiiciendas vxores eos *Erfurdiae* (11)
cogere intendit, ſed reſtiterunt omnibus, queis
poterant, viribus Presbyteri, ipſique Archiepi-
ſcopo vehementius ſollicitanti praeſentiſſimum
creaſſent periculum, ni a propoſito ceſſiſſet, Ro-
mano Pontifici ſui illius decreti executionem re-
linquens.

linquens. *Wormatiae* Imperator *HENRICVS* 1076.
IV. Romam a Papa citatus, conuentum ſtatuum Imperii agit, *Gregoriumque* veneficiorum et ſcelerum complurium reum Pontificatu indignum iudicat; (12) quod idem et plures Italiae Epiſcopi *Ticini* coëuntes confirmarunt; vnde ea de re poſtea plures in Imperio Procerum congregationes habitae, quibus aliis Caeſar defendebatur, aliis vero impugnabatur, inque eius locum plures euehebantur. (13) Atque vt Laicis omne robur ſubtrahat *Hildebrandus*, variis Synodis Epiſcoporum Inueſtituras a Caeſaribus Regibusque factas improbat. (14) Cum porro in Oriente Turcarum imperium latius indies ſe porrigeret, *Vrbanus* Pont. ſuaſu *Pet Eremitae* ad *Clarum mon-* 1095.
tem in *Gallia* (15) indixit Synodum, qua praeſentibus 300 Epiſcopis Pontifex inter alia Europae Principibus *Paſſagium* (16) ſeu expeditionem pro recuperanda terra ſancta ſuadet, inde innumeri Chriſtianorum exercitus, vtplurimum tamen inermes difficillimum illud bellum ingrediebantur. (17) (18)

Ceterum floruerunt hoc Saeculo *Fulpertus* 1010.
(19) Epiſcopus *Carnotenſis; Berno* (20) Abbas 1200.
Augienſis, Burchardus (21) *Wormacienſis; Guido* 1030.
Aretinus (22) Monach. et Abbas, *Muſices Vocalis* 1040.
primus excultor; *Adelmannus* Epiſcopus *Brixienſis*, qui *Berengarium* ſcripto impugnauit, (23)
Bruno Herbipolenſis; (24) *Marbodus Redonenſis*, 1050.
(25) *Odilo Cluniacenſis*, (26) *Petrus Damiani*, (27) Monachus *Caſſinenſis*, poſt Epiſcopus Oſtienſis et Cardinalis, qui Pontificum ſcelera aliquoties dete-

1060. detexit; *Anſhelmus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, (28) contra Graecos Proceſſionem Spiritus Sancti aeque a Filio atque a Patre defendit, eius item anteceſſor *Lanfrancus*, (29) qui vehementer reſtitit *Berengario*; vt et *Algerus* Monachus *Corbeienſis*; (30) *Otto Conſtantienſis*, (31) coelibatus Clericorum impugnator, *Petrus de Bruis*, (32) qui contra Papatum ſcripſit, ſicut et *HENRICVM IV.* contra nefandos *Gregorii* auſus de-
1090. fenderunt *Conradus Traiectenſis*, (33) *Waldramus Naumburgenſis* (34) et nonnulli alii. (35) In hiſtoricis autem ſtudiis nominis famam meruerunt *Haymo* Floriacenſis, hiſtoriae a IVSTINIANO ad CAROLVM M. conditor, *Hermannus* a corporis vitio *Contractus* (36) dictus, qui praeter Muſica et Aſtrologica Chronicon quoque edidit. *Lambertus Schafnaburgenſis*, (37) Monachus *Hirsfeldenſis*, hiſtoriae ab Orbe Condito ad A. 1077. de rebus praecipue Germanorum illuſtrioribus ſcriptor; *Marianus Scotus* (38) Monachus *Fuldenſis* rerum geſtarum ſeriem ab eodem principio ad A. 1083. pertexuit; *Georgius Cedrenus* (39) hiſtoricus *Graecus*, *Ioannes* denique *Xiphilinus*, (40) Patriarchae *Conſtantinopolitani*, *Ioannis* itidem *Xiphilini* nepos, *Dionis* Epitomator. (41) Varii item circa haec tempora *Mo-*
1051. *nachorum* condi coeperunt ordines, vt *Vallis vmbroſae*, (42) quem *Ioannes Gualbertus* fundauit, cui imago Chriſti oranti capite adnuere viſa
1092. erat; *Hoſpitalariorum* (43) D. Ioannis ante expeditionem in Orientem introductus a Mercatoribus *Italis* pro cura peregrinantium; *Grandi-*

monten-

montenſium (44) Stephano autore coepit; Porro quidam *Bruno* in *Gallia* Profeſſor ob vocem quandam, a defuncto quopiam (vt credebatur) viro ſancto ter prolatam, ſe a Dei iudicio vocatum, accuſatum et damnatum eſſe, *Carthuſianos* 1086.
(45) Monachos inſtituit; *Ciſtercienſes* (46) ex 1098.
Benedictinis relicto liberiori et diſſolutiori vivendi genere prodierunt. Denique et *Flagel-* 1056.
lantes (47) hoc tempore exorti tanto feruore fuerunt, vt vno coenobio tria ſcoparum millia vix annuo ſpatio a flagellatoribus illis, *Baronio* teſte, fuerint detrita.

(1) Vid. *Dithmar.* Mersburg. lib. 6. Chron.

(2) In Saligunſtad prope *Moguntiam* Synodus haec habita, cuius acta ex *Burchardi Wormat.* recenſione vide in *Cent. XI. Magd.* c. 9. p. 445. ſq. inter alias leges hic decretum, ne quis gladium in Eccleſiam portet, Regali tantum excepto.

(3) Meminit illius *Herm. Contractus*: acta tamen vel latent, vel periere. *Cent. Magd.* p. 451. ſq.

(4) Vid. *Leo Oſtienſ. Mart. Polon. Hermann. Contr. Mar. Scotus, Lamb. Schafnab. Sigeb. Gemblac. Baron.* A. 1046. n. 1. depoſitionem hanc impugnat, defendit autem autor im Pabſtthron p. 433.

(5) Videbat enim Imp. eo licentiae factioſum quemque et potentem, quamuis ignobilem deueniſſe, vt corruptis ſuffragiis tantam dignitatem conſequeretur, quae certe, niſi ſanctitate et doctrina bene meritis, demandari cuipiam non deberet, quae *Platinae* verba ſunt. Ipſe Imp. *Henricus III.* hoc ſibi collatum ius dein aliquoties vſurpauit, poſt *Clementis* obitum Romanis *Damaſum II. Leonem IX. et Victorem II.* Pontificem deſignans.

(6) Simul prohibuit haec clero, alere canes vel aues ad venationem, ac ſecularia negotia exercere: item ante legitimam aetatem monachum fieri: denique *Spirenſis* Epiſcopus hic ſe de adulterio, accepta ſacra Euchariſtia, purgauit. Vid. *Herm. Contr. Ad. Brem. Trithem.*

(7) In ſuſpicionem haereſeos *Lanfrancum* adduxerant literae *Berengarii* ad ipſum datae et interceptae, quae *Romam* delatae Synodo occaſionem praebuere, non modo *Berengarium* damnandi, ſed et *Lanfranco* purgationem imperandi. Huic itaque Synodo *Berengarius* haud interfuit, ſicut nec *Vercellenſi.*

(8) Sane

(8) Sane vix in alia cauſa tot habitae fuerunt Synodi, atque in hac *Berengarii*. Tandem autem in Synodo *Romana* iurare coactus fuit, ſe credere panem et vinum ſubſtantialiter converti, et poſt conſecrationem eſſe verum corpus et ſanguinem Chriſti, quae vltima fidei eius fuit profeſſio.

(9) Tribuunt hoc Centuriatores Synodo *Romanae* ſub *Nicolao II.* celebratae A. 1059. Vid. Decret. diſt. 33. C. in nomine.

(10) Conf. *Baron.* ad A. 1064. Interim neque huius Concilii acta hodie proſtant.

(11) Egit praeterea hac Synodo Archiepiſcopus de decimis multoties hactenus a *Thuringis* flagitatis, quas hi exoluere ſemper renuerant, ſicut et tum omni vi eius poſtulatis reſiſtebant: Imo cum An. 1075. denuo in Synodo *Mogunt.* Archipraeſul iuſſu *Hildebrandi* presbyteris coelibatum imponere tentaret, clerici et verbis ipſi os obſtruxerunt, et manibus totiusque corporis commotione adeo in eum debacchati ſunt, vt aegre Synodo exceſſerit viuus. *Lamb. Schafnab.* autor eſt.

(12) Maxime cum *Hugo Blancus* Cardinalis Romanus idipſum prolixe ſollicitaret, variaque *Hildebrando* flagitia et ſcelera imputaret. Vid. *Lamb. Schafn.* it. *Cent. Magd.*

(13) Seriem rerum harum turbulentarum prolixius vide im Röm. Pabſtthron a p. 474. ſqq.

(14) Regali hoc Epiſcopatuum conferendorum amiſſo praecipuam ſuae Maieſtatis partem quoque amiſere Imperatores. Conf. *Saec. ſeq.*

(15) Claſſicum hic canebatur ab *Vrbano II.* ad ſuſcipiendam contra *Saracenos* in Orientem expeditionem, et recuperanda loca ſancta. Vid. *Wilh. Tyrius*, *Baron.* *Cent. Magdeb.* *et Oſiand.*

(16) Notat haec vox expeditionem in terram ſanctam. Vid. de *Paſſagiis* Diſſertat. Boecleri in Diſſertat. Academicis.

(17) Ac propterea oneri potius quam commodo fuerunt, paucisſimique inde redierunt. Vid. *Sculpturam hiſtoriar.* et temporum memoratricem. Conf. et ea, quae ad §. 4. dicentur.

(18) Cum Synodorum ferax hoc fuerit Saeculum, praecipuae adhuc aliae recenſendae veniunt. *Aurelianenſis Manichaeam* illam haereſin, per quandam mulierem ſparſam (vid. §. 3. n. 16.) damnauit A. 1017. *Bituricenſis* A. 1034. clero tonſuram Eccleſiaſticam imperat, coniugium autem prohibet. *Francofurti* A. 1006. de erigendo Epiſcopatu *Bambergenſi*, et ſatisfaciendo *Wirzburgenſi* deliberatum. *Mediolani* A. 1059. *Petrus Damiani* Simoniani extirpare iuſſit, coniugiumque clericis ſub nomine haereſeos *Nicolaitanae* interdixit. *Osborienſi* Archiepiſcopus Moguntinus *Alexandrum II.* pro legitimo Pontifice, *Cadolum* vero pro Anti-Papa An. 1062. agnouit. *Placentina* An. 1095. quaepiam Decreta contra Simoniacos fecit, poſt in Synodo Rom. adnullata. Vid. *Cent. Magd.* p. 509. ſqq. *Rhemenſis* Synodi Canones vide apud *Baron.* *Rotinghamenſi*

in

in *Anglia* A. 1097. *Anshelmus* damnatus fuit, quod Pontifici potius, quam Regi *Guilielmo* Ruffo adhaereret.

(19) Variarum epiſtolarum, aliorumue Scriptorum autor, qui morti vicinus prope *Berengarium* ſe inuiſentem immanem draconem conſiſtentem vidiſſe ſcribitur a *Wilh. Malmesb.*

(20) Aliis *Berno* hic *Bernhardus* quoque dicitur, ex Monacho *S. Galli* Abbas: vitam *Vdalrici August.* conſignauit.

(21) Libros XX. Canonum ſiue Decretorum ex Conciliis Pontificibus et Patribus collegit, atque ita Iuri Canonico praeluſit. *Conring.* de Orig. Iur. Germ. c. 19. p. 99.

(22) *Guido* hic Monachus *S. Benedicti* in *Italia* nouam cantus ſolmiſationem inuenit, qua difficillimum antea canendi Antiphona modum, vix decennio antea comprehenſibilem, ope ſcalae Muſicae expeditum reddidit, adhibens certas voculas ex hymno Diaconi *in nat. B. Io. Bapt.*

VT queant laxis REſonare fibris
MIra geſtorum FAmuli tuorum,
SOLue polluti LAbii reatum
CHRISTE REDEMTOR.

(23) Ex clerico *Leodienſi* Brixienſis Praeſul, *Grammaticus* vulgo dictus.

(24) *Conradi* Imp. patruelis, Commentariorum in Pſalmos, Cantica V. et N. Teſt. aliorumque autor. Cum An. 1045. alveum *Danubii* nauigaret, atra quaedam Aethiopis imago eum vocauit, et breui ſe iterum viſurum nunciauit: paulo poſt Epiſcopus in vico quodam diuertens, coenaculi ruina opprimitur, ac breui obiit.

(25) Aliquot operum ſcriptor extitit, quorum tamen nullum amplius ſupereſt.

(26) Feſti omnium animarum primus inuentor. Vitam eius dedit *Petrus Damiani.*

(27) Dici voluit *Damiani* a fratre, quem parentis inſtar coluit. In ſoluto pariter et ligato ſermone doctus, Pontificum Rom. nimius aliquando defenſor, eorumque poteſtatis acerrimus promachus, quamquam et de *Papae et Epiſcopi correctione* libellum compoſuit.

(28) *Lanfranci* hic fuit diſcipulus, et in munere ſucceſſor; Vir Ebraice, Graece et Latine adprime doctus, cuius varia ſcripta etiamnum extant. Conf. *Poſſevin. Bellarmin. Centur. Magdeb.*

(29) Eius opera *Lucas Dacherius Pariſiis* ſimul edidit, notisque illuſtrauit. *Berengarium* ad comburendum librum ſuum adegit.

(30) Ita *Trithemius.* Alii *Cluniacenſem* fuiſſe Monachum, et Saeculo ſequenti vixiſſe tradunt. *De veritate corporis et ſanguinis Domini in Euchariſtia* tres libros ſcripſit.

(31) Vid. *Naucler.* Cum a *Gregorio VII.* tanquam fidelis Imperatoris *Henrici IV.* paraſtata excommunicatus eſſet, Conſtan-

tia pulſus, *Baſileam* ſe contulit, ibique in exilio diem obiit ſupremum.

(32) De quo vide quae ad §. II. Saeculi ſequenti XII. notabuntur.

(33) An, 1099. a quodam negotiatore Friſio crudeliter occiſus.

(34) *Anshelmus Cantuarienſis* eum tanquam fautorem Caeſ. *Henrici* increpauit; ipſe autem rebelles ad obſequium hortatus fuit.

(35) Breuiter hi tangendi: *Ado Treuirenſis* martyrologii autor, quod tamen alii *Adoni Vieunenſi* adiudicant. *Albertus Bremenſis*, magnae in Imperio autoritatis, qua tamen praecipue ſub Imp. *Henrico*, cui morum rector datus, omnis licentiae autor fuit, grauiter abuſus, inde ſub finem vitae ſe infelicem et miſerum praedicauit, quod tantas largitiones in vanum profuderit, melius in pauperes collocandas. *Anno Colonienſis* eidem *Caeſari* initio charus, quem etiam, vt in ſua fortius poteſtate haberet, a matre dolo abſtractum *Coloniam* duxit, poſt vero perfidus factus ab eodem ad *Saxones* deſciuit; tandem foedo vlcere obiit. *Aribo Moguntinus* ex *Palatinis ad Rhenum* ortus, in Theologicis ac aliis ſcientiis eruditiſſimus, commentatus fuit in Pſalmos graduum. *Benno* Cardinalis *Hildebrandi* vitam ac ſcelera graphice depinxit, cui tamen *Baronius* ex partium ſtudio omnem omnino fidem derogat. *Bruno Auguſtanus*, Imp. *Henrici II.* frater, *Bambergenſis* Epiſcopatus erectionem tulit aegerrime. *Burchardus Halberſtadienſis* cum Monachis *Hirsfeldenſibus* de decimis litem moueret, ſubito et miſere periit. *Durandus Leodienſis* ex humili genere ad Epiſcopale faſtigium admotus, praedia Epiſcopatus male dilapidauit. *Golbodus* in eodem Epiſcopatu anteceſſor, *Flandriae* Comes, variis ſuperſtitionibus Papalibus robur addidit. *Haymo* Archidiaconus *Cantuarienſis*, in *Pentateuchum*, *Eſaiam*, *Epiſtolas Paulinas et Apocalypſin* reliquit Commentarios, *homilias item Epiſtolarum et Euangeliorum*. *Henricus Auguſtanus*, Imperatori *Henrico III.* initio admodum charus, poſt de adulterio cum Imperatrice *Agnete* ſuſpectus, et captus vulnere, quod in pudendis transfixis Imperatoris iuſſu ipſi factum, obiit. *Hermannus Bremenſis*, ſuae Eccleſiae Canonicus, Muſicam per *Guidonem* docuit, poſt *Bremam* ingreſſus non vt patrem, ſed vt tyrannum expilando ſe geſſit, eandemque dein muris circundare coepit. *Hilpericus* Monachus *S. Galli* de muſica et computo Eccleſiaſtico ſcripſit. *Hugo Lingouenſis Berengarium* ſcripto inſectatus, et ob Simoniae crimen Epiſcopatu depoſitus fuit. *Ioannes*, natione *Scotus*, a *Wandalis*, quibus Chriſtum praedicauerat, martyrio coronatus: *Leo IX.* Rom. Pont. *Graecos* ſcripto impugnauit. Sicut contra Latinos ſcripſit *Nicetas* libros de azymis, ſacerdotum nuptiis, et ſabbatorum ieiuniis. *Ruthardus* Abbas *Hirſaug.* ſacrae Scripturae maxime peritus et facundus, tandem morbo correptus, abbatiae renunciauit, poſt tamen maximopere eapropter indoluit. Alius *Ruthardus* monachus *Hirsfeldenſis*, cum ſui

mona-

monaſterii cauſa apud Imp. *Henricum IV*, eſſet, Abbas *Fuldenſis* non ſine reluctatione fuit creatus. *Stanislaus* martyr *Polonus*, Epiſcopus *Cracouienſis*, denique *Yuo Carnotenſis*, decreta Pontificum et Conciliorum collegit.

(36) Monachus *Augienſis* vel *San-Gallanus*, hiſtoriam dedit ab O. C. ad A. C. 1054. continuauit *Bertholdus* Conſtant. ad A. 1100.

(37) Eius opus continuauit Monachus *Erfurtenſis* per tria ſaecula.

(38) Natione Scotus, Mon. *Fuldenſis*, tandem *Moguntiae* vixit: continuauit eius opus Abb. *Dodechinus* ad A. 1200. ſcripſit praeterea *Concordantiam Euangeliſtarum*, item *Commentarium in Pſalmos, et libellum de Computo.*

(39) Dedit hiſtoriam ab O. C. ad A. 1057. cuius tamen magnam partem ex *Io. Curopalata* deſcripſit, ingenio quippe haud valde pollebat.

(40) Rectius hic nepos Patriarchae, quam ipſe Patriarcha fuiſſe creditur. Vid. *Guil. Caue* in hiſt. liter. ſcript. Eccleſ. Saec. XI.

(41) Adde recenſitis *Adamum Bremenſem*, in hiſt. Eccleſ. plagae Septentrionalis a Carolo M. ad Henricum IV. *Rudolphum Glabrum*, Monachum, conditorem hiſtoriae ſui temporis libris V. ad A. 1040. Literarum quoque laude tum in Oriente inſignis fuit Imp. *Conſtantinus Ducas*, qui literarum ſe maluit, quam imperii gloria illuſtrari.

(42) Ex *Polyd. Virgilio* recenſet *Oſiander* inſtitutionem hoc modo: *Gualbertum Florentinum*, cum in fraternae caedis autorem incidiſſet, deprecanti per Chriſtum crucifixum ignouiſſe: vnde cum vterque in templo coram effigie Chriſti ſuas lites transigeret, conciliationem imago adnutu capitis quaſi comprobaſſe videbatur. *Vallis vmbroſae* nomen a loco, in quo templum erectum, fuit ortum, *Gregorius VII.* ordinem confirmauit.

(43) Qui poſt largitione Principum et eleemoſynis adeo creuit, vt regna et vrbes ſibi compararuerit. Dictus poſtmodum fuit hic ordo *Ioannitarum*, quia templum illorum *Ioanni* ſacrum erat. Conf. *L. Liebhardi* de nobiliſſimo Iohannitarum ordine, it. *Aub. Miraei* de Ord. Equeſtr. l. 1. 2.

(44) *Stephanus* ille fuit nobilis Auernus, poſt cuius obitum ordinis adſeclae in *grandem montem* migrarunt, nomenque ordini fecerunt.

(45) *Baronius* huius recenſionis haud meminit, imo *Ioh. Launoius*, *Doctor Pariſ.* fabuloſam eſſe demonſtrauit libro peculiari de vera cauſa ſeceſſus S. Brunonis in eremum, edito Pariſ. et Argentor. Conf. *Reuſer.* in Anti-Bellarmin. p. 823. ſeq. adde *Natal. Alexand.* ſelect. hiſtor. Saec. XI. cap. XXI. p. I.

(46) Nomen ſortiti a *Ciſtertio* loco in *Burgundia*, vbi prima aſperioris vitae fundamenta poſuere *Roberto Moliſmenſe* Abbate.

(47) Subſequentibus temporibus maiores acquiſiuere vires, et varias regiones percurrerunt. Huic item Saeculo transſcribitur a nonnullis inſtitutio *Camalduenſium*, autore *Romoaldo Ravennate* in iugis *Apennini*, quem tamen alii in Saec. XV. reiiciunt. Rigidiſſimus eſt reliquorum, cuius Monachi, eremitarum inſtar, ſolis radicibus ac herbis victitant. Item *reſtitutio Canonicorum regularium*, autoribus *Petro de Honeſtis*, qui *Peccatoris* nomen ſibi tribuit *Vbaldo*, *Oldegario*, *Yuone Carnot*. et aliis.

§. 4.

Apud *Iudaeos*, quos Chriſtiani (1) pariter et Mahummedani acriter inſectati ſunt, literarum ſtudia in Oriente plane deſierunt, Babylone ex Iſmaelitarum odio penitus eiecta: aſt exinde migrarunt in *Hiſpaniam*, vbi Poëtica, Aſtrologica, Talmudica aliaque ſtudia lingua praecipue Arabica excoluerunt. (2)

Inter *profanos* vero Scriptores excelluerunt
1060. *Michaël Pſellus*, (3) Scriptor Graecus; qui et
1070. Medica nonnulla conſignauit, vt et *Iſaac Beimiram*; *Nicephorus* vero *Blemmida* celebris fuit Philoſophus. *Muhammedanum* imperium diſſenſionibus variis concutiebatur, (4) ipſorumque ſuperſtitio ad *Turcas* (5) propagata variis ſchismatibus fuit concuſſa; Artibus tamen liberalibus illi ſingularem, in *Arabia* inprimis, nauarunt operam, (6) atque Medicinam ex ceteris feliciter excoluit et illuſtrauit Medicus et Philoſophus inſignis *Auicenna*. (7) Eorum autem bella inteſtina Chriſtianis occaſioni fuerunt cogitandi de recipienda Hieroſolymorum vrbe, ad quam Pontificis inſtinctu vltra ſexcenta millia ex Europa in Aſiam contenderunt, Ducibus *Godofredo Bullioneo*, Lotharingiae Duce, *Euſtathio et Balduino*

eius

eius fratribus, et compluribus aliis, qui infinitis ſuperatis difficultatibus, receptisque multis Aſiae ciuitatibus, ipſam demum *Hieroſolymorum* vr- 1099.
bem *Saracenorum* manibus extortam Chriſtiano imperio denuo vnierunt, primo illic Rege ipſo *Godofredo* deſignato. (8)

(1) Praecipue ad expeditionem in Orientem abeuntes, *Spirae*, *Wormatiae*, *Coloniae* et alibi ſaeuiſſime in Iudaeos graſſati ſunt.

(2) Prolixus in recenſendo Iudaeorum ſtatu eſt *Hottingerus* Saec. XI. p. 493. ſqq. Pertinet ad hos *R. Moſe Hadarſchan*, *Narbonenſis Gallus*.

(3) Scripſit *Paraphraſin in Canticum Canticorum*, item alia, erat quippe inſigniter doctus, ſummisque fungebatur honoribus. *Iſaac Beimiram*, it. *Simeon Sethi* celebres e Iudaeis Medici fuere.

(4) Vid. *Hotting.* p. 430. ſqq.

(5) Primus ex iis, qui *Muhammediſmum* ſuſcepit, fuit *Dacacus*, cuius dein conſilio Rex *Turcarum* frequenter fuit vſus: poſteri *Dacaci* regnum ſibi pararunt et ſtabiliuerunt in *Chocaſan*.

(6) Quomodo Calligraphiam, Poëſin, Medicinam, Philoſophiam, Lexicographiam, Magiam, Theologiam Muhammedicam, Exegeticam et Scholaſticam coluerint, prolixe recenſet *Hotting*. p 460. ſqq.

(7) *Elhuſien* vel *Alhaſen-ſem*, item *Ibn-Sina* alias vocatur, et Doctor inter eos audit primarius, inſignis *Ariſtotelis* explicator, quem non *Hiſpanum*, ſed *Perſam* fuiſſe ſcribit *Nic. Anton. Hiſpalenſis* Tom. II. Bibl. Hiſpan.

(8) Expeditionem illam cum ſubſequentibus *Guil. Tyrius* libris 23. de bello ſacro aliique vberrime deſcripſerunt, qui conſulendi veniunt. Vid. *Paullin.* T. III. zeitkürzende erbauliche Luſt c. 69. p. 482 ſqq.

SAECVLVM XII.

§. 1.

Occupata priori Saeculo *Hieroſolyma*, reflorere coepit in *Oriente* Chriſtiana Religio, et in vniuerſa *Syria* magno conamine redintegrata fuit, quamquam ad Saeculi huius finem non per-

 dura-

durauerit. (1) Interim *Maronitae*, (2) circa *Libanum* et in *Phoenicia* populus bellicoſiſſimus relicto, cui dediti hactenus fuerant, *Monotheletarum* errore, *Antiochenae* partim, partim *Latinae* Eccleſiae acceſſerunt. In Septentrione vero
1111. *Pomerani* (3) et *Pruteni* (4) per *Boleslaum Poloniae* Regem, ope *Ottonis Bambergenſis* Epiſcopi, Chriſtianis adſuefieri ritibus coeperunt, inſtitu-
1127. tusque propterea *Iulinenſis* Epiſcopatus: *Rugiani*
1168. (5) quoque a *Woldemaro Daniae* Rege, et *Finlandi* (6) ab *Erico Sueco* victi, Chriſtoque initiati
1170. fuerunt. Tandem et *Liuonibus* (7) praedicatum Euangelium, et adducti hi fuerunt ad fidem ſaluificam, praecipue per Mercatores *Bremenſes* et *Saxonicos* (8).

(1) Cauſa praecipua fuit multiplex idolatria, cui Chriſtiani tum dediti, Epiſcoporum vita profana, et Principum continuatae inter ſe diſcordiae.

(2) Conf. *Wilh. Tyrium* l. XXII. 8. de bello ſacro, it. *Magd. Cent.* XII. 5.

(3) De *Pomeranorum* per *Ottonem* facta conuerſione legi poſſunt *Abbas Vrſpergenſis*, in *Henrico V.* *Stadenſis* ad A. 1118. *Cranzius* l. III. 28. *Vandal.* praecipue vero *Cramerus* in hiſt. Eccleſ. Pomeran. l. I. Rogatus enim ille, ex *Andechſenſium* Comitum in *Bauaria* proſapia ortus, *a Poloniae et Pomeraniae* Principibus, cum Monachus quidam Hiſpanus, *Bernhardus*, Chriſtianiſmum *Pomeranis* praedicans, ob humilitatem et egeſtatem ſpretus et eiectus eſſet, neque ex *Polonia* vllus ex clero idem diſcrimen ſubire amplius auderet, magno cum adparatu negotium hoc adgreſſus, infinitisque bonis et diuitiis, centum quinquaginta curribus impoſitis, oneratus, *Wartislaum* Principem, nobiles item et plebeios, non doctrina ſolum, et neſcio quorum miraculorum oſtentatione, ſed praecipue muneribus ad Chriſtianiſmum permouit. Vitam illius peculiariter conſignarunt, non modo ſcriptor anonymus, eius in conuertendis *Pomeranis* comes et ſocius, libris tribus, quem nonnulli *Siffridum Ottonis* ſcribam fuiſſe autumant, ſed et *Andreas* Monaſterii ſ. *Michaëlis* prope *Bambergam* Abbas, libris 4. de S. Ottone, quos *Gretſerus* Ieſuita, auctiores tamen *L. Valer. Iaſchius* Eccleſiaſtes tum *Colbergenſis* edidit.

(4) De

(4) De *Pruſſis* videſis Hartknochs Preußiſche Kirchenhiſtorie lib. I. 1. pag. 28. ſoqq.

(5) Vtut multoties ante *Rugianorum*, etiam per *Ottonem Bambergenſem*, (cuius acta recenſent *Surius*, *Cranzius* et *Gretſerus* in Diuis Bambergenſib.) quaeſita fuiſſet conuerſio, fruſtranea tamen ſemper adhibebatur opera, citiſſime ad auita gentilium ſacra relabentibus incolis. Anno demum 1168. *Waldemarus I. Rex Daniae* cum *Pomeraniae et Vandalorum* Ducibus eos ad ſuſcipiendum Chriſti cultum coëgit, opera vſus Epiſcoporum *Danorum Abſolonis, Suenonis et Bernonis*. Vid. *Saxo Grammaticus*, it. *Lemmius* de Inſ. Rugia. *Paullini* T. I. zeitkürzende erbauliche Luſt num. 133. pag. 404 ſqq.

(6) Vid. *Io. Magnus* l. XIX. 3. Hiſtor. Goth. *Cent. Magd.* XII. 2.

(7) Primus eorum praedicator fuit *Mainardus*, qui verbo diuino plures ad Chriſtum duxit, quos inter et *Liuonum* Princeps *Cobbe* fuit, quem ſecum *Romam* duxit, vbi *Mainardus* ab *Alexandro III. Liuonum* Epiſcopus fuit ordinatus, quamquam a circumiacentibus paganis varias perſecutiones tolerare neceſſe habuit. vid. *Arnoldi* Chron. Slau. VII. 8. ſq.

(8) Addi his poſſunt *Noruegi*, ad quos Papa *Eugenius III.* miſit *Nicolaum* quendam, ad praedicandum Euangelium, cuius ope regnum illud fidem tandem admiſit: nec minus *Sclaui* poſt aliquoties iteratas a Chriſtianiſmo defectiones ſerio tandem profiteri haec ſacra coeperunt: ita et *Vlyſippone* nouiter Epiſcopi conſtituti *Muhammedis* ſectatores illic fide Chriſti imbuerunt.

§. 2.

Felicitatem hanc Eccleſiae aegre ferens Satanas, neque hoc deſtitit *Saeculo* eandem laceſſere. Cum enim *Chriſtiani* in *Oriente* ſecum decertarent, ſuo hoc diſſidio *Saladino Aegypti* Sultano ſeu Caliphae potentiſſimo occaſionem praebuere, inuadendi, et denique occupandi vrbem *Hieroſolymam*, (1) qui *Mahummedanam* ſuperſtitionem, eiecto Chriſti nomine, reſtituit, (2) atque per
Mammeluccos, (3) hoc eſt, filios *Chriſtianorum*, ad 1187.
Alcorani dogma coactos, militesque poſtea ſtrenuos maximas *Chriſtianis* clades intulit, fruſtra easdem vindicare conantibus *CONRADO et*

FRIDERICO Barbaroſſa Imperatoribus. (4) Non minori vero feruore *Romani Pontifices* doctrina pariter corrupta, et ambitioſa regnandi cupidine turbarunt Eccleſiae et Imperii tranquillitatem, (5) tanquam, qui omnem imperialem maieſtatem ſuis ſubiicere pedibus (6) tentarent, et ſumma tandem contentione praecipuum illud *inueſtiturae Epiſcopalis* ius, quod Imperatorum hactenus fuerat, eriperent, quod *Calixtus II.* de-
1122. mum ab HENRICO V. Imperatore vi et minis impetrauit. (7)

Sed neque haereſes deeſſe huic aeuo voluit
1117. pater haereſium. *Durandus* quidam de *Waldbach* (8) in *Arragonia* matrimonium occultum meretricium eſſe adſeruit, ipſeque in errore hoc
1124. perſeuerans igne exuſtus fuit. *Tandemus* (9) quidam magnae ſubtilitatis Laicus externo ſplendore inſignem ſibi concilians autoritatem, *Antverpiae* inter reliquos errores Epiſcoporum et Miniſterii Eccleſiaſtici ordines contemnebat, Euchariſtiae vim denegabat, atque Epicureiſmum inducebat; a Presbytero quodam tandem percuſſus occubuit. *Petrus de Bruis*, natione Gallus, (10) Paedobaptiſmum negaſſe quibusdam, aliis vero Papatus vitia impugnaſſe, indeque cre-
1128. matus dicitur; (1) ſecuti eum *Petrobruſiani, et Henriciani* ab *Henrico Toloſano* (12) vocati, Miſſas itidem pro mortuis, ſanctorum inuocationes, coelibatum, peregrinationes, Chriſmatis et olei conſecrationes, feſta ſuperflua et transſubſtantiationem oppugnaſſe feruntur; quibus tamen Monachi reſiſtentes, et in his quoque *Bernhardus* plura

plura adfinxiſſe errata creduntur. (13) In ea-
dem Gallia *Pelagianorum* haereſes reuocabant
Petrus Abailardus, (14) Philoſophus *Pariſienſis*, 1143.
et Arnaldus Brixienſis (15) *Italus*, qui Deum ex
naturae neceſſitate cuncta agere, compoſitum
eſſe, Angelosque habere cooperatores ſomnia-
bant, eundemque bonorum omnium autorem
negabant. *Gilbertus* Praeſul *Pictauienſis* (16) 1147.
nouas de SS. Trinitate fingens quaeſtiones haere-
ticorum antiquorum virus reuocabat. *Eum* (17)
Magus *Britannus* CHRISTVM ſe finxit, motus
inepta ratiuncula, quod in Exorciſmo et Symbolo
Apoſtolico crederetur in *eum*, qui venturus eſt,
iudicare viuos et mortuos; perpetuo tandem
carceri mancipatus. Acceſſerunt his *Apoſtolici*
(18) qui paedobaptiſmum inter reliqua reiicie-
bant, ceteroquin purgatorium, ſanctorum inuo-
cationem et alias Pontificiorum abſurditates ne-
gabant; item ſectatores quidam *Berengarii* et
Sacramentariorum, (19) *Catharorum* aliorumque
haereticorum veterum; quibus a nonnullis *Wal-
denſes*, quamquam ſine merito adnumerantur.
Autor eorum, qui et nomen dedit, fuit *Petrus* 1160.
Waldus, (20) ciuis *Lugdunenſis* in *Gallia*, qui
fortuito caſu de vitae fragilitate monitus, et
ſcandaloſa Clericorum doctrina vitaque offenſus,
maximas ſuas opes inter egenos diſtribuit, do-
ctrinam puriorem magno Auditorum numero
expoſuit, ipſumque Papam Anti-Chriſtum, ac
Romanam Eccleſiam matrem fornicationum pro-
nunciauit; reiecit cetera a Pontificiis conficta
Sacramenta, baptiſmo et S. Coena exceptis,

hancque Laicis ſub vtraque ſpecie diſtribuit. Negauit porro purgatorium, damnauit ſanctorum inuocationem, et quamplures Pontificiorum corruptelas alias. Eius ſectatores, quod ſuis vbique ſpoliarentur poſſeſſionibus, *pauperes de Lugduno*, (21) *Leoniſtae*, (22) *Arnoldiſtae*, (23) *Lollardi*, (24) *Inſabbatharii*, (25) *Piccardi*, (26) *Patarini*, (27) aliisque nominibus ſunt adpellati. (28)

(1) Grauiſſime *Turcae* in Chriſtianos ſaeuierunt: capta quippe *Edeſſa* omnes illi, qui fidem ſuam abiurare nolebant, crudeliſſime mactati, matronaeque nobiliores in aris ſtupratae ac interfectae fuerunt: ſicut et *Laodicea* ingens Chriſtianorum numerus in miſerrimam ſeruitutem pecudum more fuit abactus. *Saladinus* vlterius expugnato caſtro de vado Iacob templi milites ſerris medios diſſecuit, ſacerdotesque capitis damnauit: demum A. 1188. poſt captas *Ptolemaidem*, *Berytum*, *Biblum*, *Tiberiadem*, *et Aſcalonem*, ipſam quoque *Hierosolymam* ſub iugum redegit, dimiſſis, qui egredi volebant, Chriſtianis, reliquis autem inhabitationem ſecuram ſub tributo conceſſit.

(2) Templa quippe omnia, vno Salomonis excepto, profanauit.

(3) Vox notat mancipium, einen Sclaven. Erant autem Mammelucci quotannis per Tartaros rapti Chriſtianorum liberi, a *Saladino* et ſucceſſoribus Califis pretio emti, et in armis pariter ac religione *Muhammedis* inſtituti, quorum ope maximas res *Turcae* geſſerunt. Conf. *Petr. Bizan.* it. *Sagredo* in hiſt. Ottomannica p. 74. quamquam hic non *Saladino*, ſed ſucceſſori *Malacſalae* eorum inuentionem tribuat.

(4) Vid inf. ad §. 4.

(5) Vnde Imperatores *Henricus IV. V. Lotharius et Fridericus Barbaroſſa* maximarum contentionum ſerram cum iisdem reciprocare neceſſe habebant. Pabſtthron a p. 538. ſqq.

(6) Ipſe certe *Alexander III. Friderici Barbaroſſae Imp.* collum *Venetiis* calcauit, addito: *Super aſpidem et baſiliſcum ambulabis, et conculcabis leones et dracones.* Imperatori autem regerenti: *Non tibi, ſed Petro:* repoſuit: *Et mihi et Petro.* Negat hanc hiſtoriam *Baronius* cum aliis, etiam ex noſtratibus quipiam, *Rupertus, Ludou. Liebhardus* in apologia pro Friderico I. quem a R. P. pedibus conculcatum eſſe nonnulli volunt, Baruthi 1668. rec. 1722. *Chriſt. Aug. Heumannus* in diſſ. fabulam de Friderico I, a P. R. pedibus conculcato refellente inſerta Poeciles T. III, L. I. p. 145. ſed rectius forſan veritas

eius

eius defenditur a *Wagenſeil* in ſynopſi hiſtor. vniuerſae, it. im Pabſtthr. p. 597. ſqq.

(7) Prolixior in recenſenda hac hiſtoria, et defendendo Imperiali iure eſt *Henr. Meibomius* Diſſ. de Iure Inueſtiturae Epiſcopalis, Imperatoribus Romanis a Pontificibus per vim et tyrannidem ademto. Adde *Kirchmannum* de Annulis c. 20. p. 197. Pabſtthron p. 556. ſqq. *P. Natal. Alexand.* ſelect. Hiſtor. Saec. XI. et XII. part. II. Diſſ. IV.

(8) Damnatus hic per Epiſcopum *Gerundenſem* et alios, Rege *Arragoniae Iacobo* praeſente, et, quod errorem deponere haud vellet, cum ſocio crematus fuit.

(9) *Tanchelinus* vel *Tanchelinus* alias vocabatur, et quod vi virus ſuum dilataret, *Sanguinarii* ſectatores eius adpellabantur. *Adamitarum* veterum errorem reuocaſſe ipſi tribuitur, qui filias in praeſentia parentum, et vxores ſpectantibus maritis corruperit, idque opus ſpirituale dixerit. Vide *Sigebertum. Nortbertus Praemonſtratenſis* Antuerpiam venit, ad diſſipandos *Tandemi* errores.

(10) *Petrus de Bruis* ſacerdos ſalutem infantibus per baptiſmum non contingere, neque fidem alienam iis prodeſſe adſeruit, templorum ſtructuram prohibuit, cruces confringi iuſſit, et quae alia ipſi tribuuntur; quamquam forſan alia longe eius intentio ac alia doctrina fuerit. Vid. *Korth.* Hiſtor. Eccleſ. Saec. XII. ſect. I. 2. num. 11. 12. *Petr. Allixius* in Adnot. ad Hiſt. Eccl. de priſcis Albigenſium Eccleſiis, cap. XIV. *Henr. Corn. Heckeri* diſſ. de Petrobruiſianis et Henricianis teſtibus veritatis Saec. XII. Lipſ. 1721.

(11) De eius viuicomburio teſtatur epiſtola *Petri Cluniacenſis* ad Archi-Epiſcopum *Ebrodunenſem.*

(12) Conf. *Baron.* ad A. 1147. *Centur. Magd. XII.* 5. *Oſiand.* III. 3. p. 282.

(13) Illo quippe tempore quicquid contra Monachorum deliria et Romanae Eccleſiae dogmata erat, confeſtim tanquam haereticum declarabatur.

(14) Philoſophiae magnam dederat operam *Petrus Abailardus*, primus eam *Theologiae* immiſcens, per quam in erroneas illas ſeductus fuit ſententias, vt eſſentiae trium Deitatis perſonarum identitatem conferret cum propoſitione, adſumtione et concluſione, aliaque abſurda, praecipue circa ſatisfactionem CHRISTI, quam negabat, ſtatueret. Conf. *Oſiand.* p. 264. *Korth.* pag. 466. quamquam forſan et *Abailardo* plura praeter eius mentem fuerint adficta, quod nec *P. Nat. Alex.* in ſelect. Hiſt. Saec. XI. et XII. p. III. diffitetur. Tandem a *Bernhardo* aliisque impugnatus, coenobium *Cluniacenſe*, poſt mutatam mentem ingreſſus obiit. Vid. *Thomaſii* Tom. I. hiſtor. ſapient. et ſtultitiae.

(15) Hic eodem in coeno cum *Abailardo* haeſit, Chriſtique mortem redimendis hominibus neceſſariam haud fuiſſe docuit, ſimul autem Pontificum et Cleri dominatum ſaecularem, quam maxime

maxime impugnauit, eoque ipſo in tantum animos illorum in ſe concitauit, vt captum tandem in crucem agerent et cremarent. Videſis *Otton. Friſing.* lib. II. 20. de rebus geſtis Frider. I. it. *Guntherus* in Ligurino.

(16) *Poireta* alias vel *Poiretanus* dicebatur; diuinam eſſentiam DEVM eſſe et proprietates perſonarum ipſas eſſe perſonas negabat, meritum autem ſoli Chriſto, nulli homini recte adſignabat; de ſacramentorum tamen efficacia minus probe ſentiebat. *Otto Friſing.* equidem ſat honorifice de eo ſcribit, damnatus tamen a *Bernhardo* fuit et aliis, cum ſe Eccleſiae iudicio ſubmitteret, in Epiſcopatu perſtitit.

(17) *Eudo* aliis dicitur. Hic in *Rhemenſi* carcere obiit, vel, vt aliis placet, vitae ſupplicium ſubiit, ad quod ductus fruſtra *terra findere*: exclamauit; adſeclas alios *Angelorum*, alios *Apoſtolorum* nominibus indigitauit.

(18) Apoſtolorum ſe ſucceſſores iactabant, quos *Bernhardus* itidem impugnauit, ruſticanos quidem homines et idiotas vocans, et prorſus contemtibiles, cum quibus tamen negligenter haud ſit agendum. Vid. *Serm. 66. in Cant. Cantic.* Conf. *Oſiand.* p. 291. *Cent. Magd.* XII. p. 843. *Io. Laurent. Mosheimi* Verſuch einer unpartheiiſchen und gründlichen Ketzergeſchichte.

(19) Tales fuere *Agenenſes* dicti, *Tholoſae* viuentes, qui de coniugio, coena Domini aliisque Sacramentis male ſenſiſſe ſcribuntur.

(20) Aliis *Ioannes* dicitur, a patria *Waldus*. Scripturam S. in linguam *Gallicam* transferebat, et cuiuis legendam commendabat, Theologiam ſcholaſticam reiiciebat, nec tamen idiota et ſtudiorum imperitus erat. Forſan hic *Apoſtolicorum*, de quibus n. 18. vel *Petro Bruſianorum*, de quibus num. 10. ſemina hauſerat. *Waldenſes* (quos tamen *Vallenſes* rectius dici *P. Boyerus* arbitratur) vita externa erant inculpabiles, teſte vel ipſo Card. *Sadoleto*. Eorum hiſtoriam prolixe dedit *Aeg. Strauchius*, peculiari Diſſertatione. Adde *Paullini* zeitkürzende erbaul. Luſt T. III. p. 7. ſqq. *Green* Diſſ. de Eccleſia Bohem. c. IV. §. ; ſqq. *Ioan. Benedicti* Mon. Dom. Hiſt. Albig. et Valdenſ. *P. Boyeri* Breuiar. Hiſtor. de Valdenſ. quo ſuperiorem autorem refutat, cum quammultis aliis. *Lutheranos* ab eorum doctrina non adeo diſcedere oſtendit *Dannhauerus* in Eccleſia Waldenſ. orthodox. Luth teſte et ſocia.

(21) Non confundendi ſunt cum *pauperibus Lugdun. Monachis*, humiliati alias dictis, de quibus inf. n. 51.

(22) Forſan ab vrbe *Lugdunenſi* vel *Leon*, vel a quopiam ſectae capite.

(23) Ab *Arnoldo Hott*, *Waldi* ſocio ita dicti.

(24) A *Lollardo Angliae* Doctore, vel *Reinh. Lollardo*, Monacho, *Coloniae* propter hoc dogma exuſto. *De Lollardis Angliae P. Allixius* c. XX. aduot. ad Eccleſ. hiſtor. de priſcis Albigenſ. Eccleſiis agit.

(25) Quod

(25) Quod ſabbatho Domini praecipuum, et maiorem longe ſolito honorem deferri vellent: vel a *Zabbatas* calceamenti genere.

(26) A *Piccardia Galliae* prouincia, vel a *Piccard* textore, vel a *picario* ſiue poculo, in quo coenam conſecrabant.

(27) Ob continuas aerumnas, quas patiebantur, ita adpellati: quamquam *P. Allixius* in hiſt. Eccleſ. Pedemont. aliam huius nominis rationem adfert, nempe ſacerdotes in Eccleſia *Mediol.* vxoratos ad certum locum *Patria* vel *Pataria* dictum fuiſſe amandatos, ibidem ſacris defungi, vnde ipſis per contumeliam nomen *Patarinorum* inditum, quod poſtea promiſcue *Waldenſibus* quoque fuerit tributum. Alia eorum nomina fuere; *Ioſephini* vel *Ioſephiſtae*, *Eſperoniſtae*, *Albigenſes* ab *Albi* oppido Epiſcopali, *Toloſani*, *Capuciati*, vel pileati, quod ſub communione pileo caput tegerent; *Paſſageri*, quod nullibi fixas haberent ſedes, *Turlupini*, quaſi medii inter lupos, *Gazari* vel *Cathari*, *Bugari*, et quam plurima alia. Vid. *Aegid. Strauchii* diſp. de Waldenſibus, Vitemb. 1659. *Ioach. Heſterbergi* eccleſia Waldenſium orthodoxiae Lutheranae teſtis et ſocia, Argent. 1668 *Petr. Werenfelſi* diſp. de Waldenſibus, Baſil. 1695. *Io. Chriſt. Harenbergii* diſp. de Waldenſium originibus in initiis Saec. XI. et XII in eius otiis Gandershemenſibus, obſ. X. *Io. Georg. Walchii* diſp. de Lollardis, Ien 1732. et de variis Waldenſium veritatis teſtium nominibus et ſectis, Ien. 1739. *Io. Legers* allgemeine Geſchichte der Waldenſer ex lingua francogallica in theotiſcam translata ab *Io. Frider. L. B. de Schweiniz*, Vratisl. 1750.

(28) Neque Graeca Eccleſia haereſibus caruit et ſchiſmatibus. Habuit *Bogomilos*, a *Baſilio* Monacho et Medico ortos, qui Trinitatem negauit, Deum tanquam hominem finxit, mundi creationem angelis malis adſcripſit, et abſurda complura alia ſtatuit. Vid. *Baron.* A. 1118. *Korth.* p. 453. ſq. Ad ignem tandem haereſeos autor fuit condemnatus. Nec minus de corruptibilitate et incorruptibilitate corporis Chr. in S. coena inter eos diſputatum. Vid. *Nicet.* in Alexio. *Oſiand.* p. 299. *Sam. Andreae* diſſ. de Bogomilis, Marburg. 1688. inſerta *Vogtii* biblioth. hiſtoricohaereſiol. T. I. faſc. I. num. 3. *Io. Chph. Wolfii* hiſtoria Bogomilorum ſectae, Vitemb. 1712. *Io. Alb. Fabricii* diſſ. de iisdem, in eius opuſculis hiſtoricocriticolitter. n. VIIII. *Chph. Aug. Heumanni* prodromus hiſtoriae Bogomilorum criticae, Gotting. 1743. *Georgiani* in bellum ituri *Georgium* inuocaſſe, de cetero Graecorum ritibus ſacra feciſſe dicuntur. Et vigebant adhuc in Oriente *Iacobitae* Eutychiani, et Maronitae *Monotheletae* haeretici.

§. 3.

Circa Saeculi initium variae in *Germania* ob diſſidium inter Imperatorem et Pontifices, atque

in

in *Anglia et Italia* ob Clericorum coelibatum et Epiſcoporum inueſtituram celebratae Synodi fue-
1121. 1122. runt; (1) vsque dum in *Würzburgenſi et Wormatienſi HENRICVS V.* Imperator Inueſtiturae ius Pontificibus tandem remiſit. (2) Sic cum
1138. Graecis quoque in *Caſſinenſi* Coenobio et *Conſtantinopoli* tentatus fuit conſenſus, ſed fruſtra.
1140. (3) *Abailardus Sueſſionenſi* (4) *et Senonenſi* (5) Synodis damnabatur; *Gilbertus* vero *Porretanus* in *Pariſienſi* (6) *et Rhemenſi* (7) examinabatur; *Eum* in poſteriori cuſtodiae arctiori adiudicaba-
1148. tur; (8) *Papienſe* (9) in Italia de duobus Papis,
1160. *Alexandro III.* et *Victore IV.* cognoſcebat, hocque adprobato illum reiiciebat, adſentiente *FRIDERICO Imp.* vnde Eccleſia haud parum fuit conuulſa. *Waldenſes* vero impugnabantur par-
1180. tim iniuſtis Conciliis, *Romanis*, (10) *Turonenſi*, (11) aliisque, partim vero ſtrictis in eos gladiis. Namque *Innocentio III.* pro eorum euerſione omnem mouet lapidem, inde crimina promiſcui concubitus, adulterii, periurii et ſpurciſſimam foeditatem illis adfingit, perſecutionisque primus
1200. eos per *Dominicum* excepit impetus, qui nullum non ſupplicii et tormenti genus in eos expedivit: (12) habitae et aliae quaedam Synodi pro Pontificia autoritate confirmanda, et Imperatorum ac Regum *Galliae*, *Philippi*, *et Angliae Henrici II.* maieſtate ſupprimenda, (13) qui poſterior ob interfectum *Thomam Cantuarienſem* Archiepiſcopum corpus nudum virgarum diſciplinae ſupponere, atque a ſingulis religioſis ictus ternos vel quinos recipere, coactus fuiſſe dicitur. (14)

Inte-

Interim inter Doctos huius Saeculi referri
primo meretur *Petrus Lombardus* (15) qui Theo-
logiam inſana curioſitate Scholaſtica explicare vel
implicare potius coepit, libris IV. ſententiarum,
hinc et *Magiſter Sententiarum* audit; quamquam
ipſe *Lombardus* per 36. annos a Pontifice fuerit
damnatus; Fuit *Pariſienſis Epiſcopus.* Adiungi-
tur huic *Petrus Comeſtor*, (16) qui, quod biblica
dicta ita memoriter recitaret, quaſi ea in memo-
riae ventrem eſu condidiſſet, nomen hoc acce-
pit; Maioris vero erat autoritatis *Bernhardus*, (17)
a loquendi ſuauitate *Doctor Mellifluus* cognomi-
natus, abbas *Clareuallenſis*, qui maximo Zelo
Romanorum ipſorum Pontificum correxit vitia,
atque vltra 160. fundauit monaſteria, octauo poſt
obitum anno in ſanctorum numerum transſcri-
ptus. Floruerunt porro *Hugo* (18) *et Richardus*
de S Victore, (19) Abbates *Pariſienſes*, *Anshelmus* 1110.
Laudunienſis, (20) Gloſſae marginalis et interli-
nearis in vtrumque Teſtamentum collector; *Ho-* 1120.
norius Auguſtodunenſis, (21) *Petrus Cluniacenſis*
Abbas, (22) *Hildebertus* (23) Archiepiſcopus
Turonenſis, qui de Romana vrbe inter cetera ſic
cecinit:

Vrbs felix, ſi vel Dominis vrbs iſta careret,
vel Dominis eſſet turpe, carere fide.

Euthymius Zigabenus Panoplias aduerſus haereſes
autor; (24) *Godefridus Vindocinenſis*, (25) *Ru-* 1130.
pertus Tuitienſis; (26) *Algerus Leodienſis*; (27)
Petrus Bleſenſis, (28) Archidiaconus *Bathonienſis*;
Guilielmus Tyrius, (29) hiſtoriae de bello ſacro
autor;

autor: Circa Saeculi finem vixit *Ioachimus* (30) Abbas, fatidico ſpiritu praeditus, *Theodorus Balſamon* (31) *Antiochenus*, aliique plures. (32) Hiſtoriam horum et priorum temporum excolue-
1120. runt *Rupertus* (33) Monachus S. Rhemigii, *Saracenicorum* bellorum Scriptor; *Guntherus*, (34) qui praeter alia in *Ligurino* ſuo egregio carmine *FRIDERICI I.* Imp. vitam condidit; *Helmoldus*
1130. (35) Chronicon *Sclauorum* edidit; *Sigisbertus Gemblacenſis*, (36) Chronologiae ab A. 381. ad 1111. autor; *I. Zonaras* (37) Hiſtoricus *Graecus*; *Leo Oſtienſis*, (38) Chronicon *Caſſinenſe* ſcripſit; *Wilhelmus Malmesburienſis* (39) Anglus, *Otto Friſingenſis* (40) Epiſcopus, Imperatorum conſanguineus, ab Orbe condito ad ſua tempora concinnauit hiſtoriam. (41) *Iuris* quoque *Ciuilis* ſtudia in Italia fere hactenus ſepulta reflorere coeperunt, (42) praecipuis eius doctoribus *Irnero* ſiue *Wernero*, (43) *Martino*, (44) aliisque. Ne autem Pontificiae autoritati hoc iuris ſtudio quid decederet, *Iuo Carnotenſis* (45) Epiſcopus, Patrum, Conciliorum et Pontificum decreta redegit in compendium, et poſt eum Monachus quidam
1120. *Bononienſis*, *Gratianus*, (46) ſine omni delectu amplificauit et compilauit, quod ab *Eugenio III.* Romano Pontifice comprobatum, et ſub *Iuris Canonici* atque decreti *Gratiani* nomine fuit publicatum. Vt autem maior ſtudiis labor impenderetur, Academia *Montiſpeſſulana* (47) in *Gallia*
1196. condita, et *Doctoratus ac Magiſterii* (48) honores et tituli bene merentibus coeperunt conferri, vnde *Academicorum* graduum origo eſt. Stabiliendae

liendae inſuper poteſtati Pontificiae haud parum
profuerunt nouiter hoc Saeculo inſtituti *Mona-* 1119.
chorum ordines, nempe *Praemonſtratenſium*, (49)
autore *Northberto Lotharingo*, quibus coelitus
ſcilicet viuendi *praemonſtrata* regula; *Carmelita-* 1170.
rum, a *Carmelo Syriae* monte, autore *Almerico*
Antiocheno Epiſcopo; (50) Ordo item *Humilia-* 1189.
torum, ex exſulibus Ciſalpinis enatus, humillimo
veſtitu Dei acquiri poſſe gratiam confiſis. (51)
Inſtituti etiam ordines militares *Templariorum*, 1128.
(52) pro defenſione peregrinantium ad loca re-
ligioſa in Syriam, et *Teutonicus*, (53) pro cura 1190.
aegrorum.

(1) De quibus infra n. 13.

(2) Rectius Imperii Comitia, quam Concilia ſiue Synodos dixeris. Interim pro more Saeculi loquimur. Vid. *Couring.* de Epiſc. Conſtitutione. *Lehmanni* Chron. Spir. Pabſtſthron l. II, 5. n. 13. p. 558.

(3) Sub *Lothario* Imp. vbi Philoſophus Graecus cum *Petro Caſſinenſi* fuit collocutus. Vid. *Oſiand.* p. 262. *Centur. Magdeb.* p. 1276. *Conſtantinopoli* autem *Anshelmus Hauelbergenſis* Epiſcopus diſputauit contra *Nechitem* Archiepiſcop. *Nicomedienſem.* Vid. eosd. ll. cc. Adde *Kromaieri* Hiſt. Eccleſiaſt. p. 398.

(4) *Sueſſione* A. 1136. vel iuxta *Natal. Alex.* Ann. 1121. declaratus *Abailardus* haereticus *Sabellianus* libroſque cremare iuſſus.

(5) In Synodo *Senonenſi* A. 1140. noluit cum *Bernhardo* congredi *Abailardus*, ſed haereſeos ſibi imputatae capita partim negauit, partim emolliuit.

(6) In *Pariſienſi* A. 1147. dogmata *Gilberti* examinata, ſed, quod maioris viderentur indaginis, in Synodum *Rhemenſem* a Pontifice *Eugenio* reiecta fuerunt.

(7) Anno ſeq. haec celebrata fuit, qua *Bernhardus Gilbertum* condemnauit. Vid. *Otton. Friſing.* I. p. 50. Adde *Natal. Alex.* ſelect. hiſt. Saec. XI. et XII. Diſſ. 9.

(8) Vid. ſup. n. 17.

(9) Cum poſt *Hadriani IV.* P. R. mortem duo Pontifices eſſent electi, Imp. *Fridericus Papiae* conuentum Epiſcoporum indicit, ad quem vtrumque electum, *Victorem et Alexandrum* euocat, vt ſuo et Eccleſiae iudicio ſchiſma tolleretur. Comparuit *Vi-*

ctor, emanſit alter, honorem adeptum in periculum adducere nolens. Hinc ille prae hoc in Pontificatu fuit confirmatus.

(10) In Synodo *Lateranenſi VII.* quam *Concilium Vniuerſale XI.* Latina Eccleſia dicit, A. 1179. vel ſequente, de electione Pontificis actum, *Waldenſes* autem anathematizati, eosque perſequentibus peccatorum promiſſa fuit remiſſio. *Cent. Magdeb.* p 1344. ſqq. Conf. *P. Natal. Alex.* in ſelect. hiſt. Eccl. cap. Saec. XI. et XII. p. III. p. II. Diſſ. 6. et 8.

(11) An. 1163. vel 1164 habita *Turonii* Synodus omni humanitatis iure excluſit *Waldenſes*. Eosd. p. 1338.

(12) Factum id praecipue Saeculo ſeq. vbi de his plura.

(13) Superſunt aliae quaepiam Saeculi huius Synodi, breuiter recenſendae: *Antiochena Radulphus* Patriarcha a Romano legato tanquam illegitime Patriarchatum adeptus, depoſitus fuit A. 1142. In Beneuentana An. 1108. *Paſchalis II.* inueſtituram laicorum et pretioſas veſtes Clericis prohibuit. *Capuana* A. 1117. vel ſeq *Gelaſius II. Henricum V.* Imp. excommunicauit cum ſua Antipapa. *Clarendonenſis* in *Anglia* A. 1164. deciſionem controuerſae electionis Epiſcopalis, item ſceleratorum Clericorum coërcitionem Regi reſeruat, ſine cuius permiſſu Archiepiſcopi cum Epiſcopis regno exhibere, aut ex Miniſtris Regiis quempiam excommunicare prohibentur. Interfuit *Thomas Cantuarienſis*. A. 1116. *Coloniae Henricus V.* denuo a Pontificio legato fuit excommunicatus, quod ibidem A. 1119. repetitum, vbi ſimul *Praemonſtratenſium* ordo, de quo num. 85. fuit adprobatus. Cum inter *Manuelem Comnenum* Imperatorem Orientis, et *Theodoſium* Patriarcham Conſtantinopolitanum de anathemate, quod in Deum *Mahommedis* vibrari nolebat Imp. contentio eſſet exorta, Conſtantinopoli tandem decretum, vt non ipſe *Mahummedis* Deus, ſed *Mahommed* potius impoſtor damnaretur. Vid. *Nicet. Magd. Cent.* XII. pag. 1297. ſqq. *Divione* Anno 1191. *Philippus Galliae* Rex, quod *Ingelbergam* coniugem amouere vellet, excommunicatus, et poſt in *Sueſſionenſi* ad eandem recipiendam commotus fuit. An. 1194. *Eboracenſis* diſciplinam Eccleſiaſticam collapſam reſtituere nititur. *Guaſtallenſis* An. 1106. circa inueſtituram et confirmationem Epiſcoporum nonnulla ordinat. *Herbipoli* A. 1120. vel ſequ. per octiduum de Epiſcoporum inueſtitura fuit diſceptatum, tandemque concluſum, regalia regno ſacra Eccleſiis relinquenda eſſe. Sic *Hieroſolymis* An. 1111. *Cuno* Cardinalis legatus Pontificis excommunicationem in *Henricum V.* Imp. vibrauit. Alia 1143. ibidem habita diſputatum de controuerſis quibusdam inter *Latinos et Armenos* fidei articulis. An 1102. Lateranenſis I *Henricum IV.* Imper anathematizat. II. An. 1112 priuilegium a *Paſchali Henrico V.* conceſſum, tanquam priuilegium damnat. III. A. 1116. *Cunonis* in Oriente acta confirmat. IV. ſiue *Concilium Oecumenicum IX.* a *Romanis* dictum pacem A. 1122. inter Imperium et ſacerdotium ſancit,

reli-

relicta Pontificibus Epiſcoporum inueſtitura. V. a *Latinis pro Concilio Vniuerſali X.* habita, inueſtituras Laicorum et Coniugia Clericorum prohibet, *Arnoldum* item *Brixienſem* condemnat. VI. A. 1168. *Fridericum I.* Imp. excommunicat. De VII. ſiue *Oecumenica XI.* vt volunt, vid. ſupra n. 10. *Lincolnienſis* in *Anglia* An. 1107. inueſtituram Epiſcoporum Regi derogat. *Londinenſis* I. Anno 1102. coniugium Clericis abrogat; II. An. 1112. ab *Anshelmo Cantuar.* inueſtituram Epiſcoporum Regi extorqueri vult, qui inde *Romam* fugatur. III. A. 1125. vel 1129. denuo coelibatum clero imponit, dum legatus Pontificius interim cum ſcorto deprehenſus eſſet. IV. A. 1143. eius, qui Clerico vim intulerit, abſolutionem ſoli Papae reſeruat. V. A. 1175. Ius Epiſcoporum *Eboracenſis* et *Cantuarienſis* determinat. *Moguntina* An. 1106. *Henricum IV.* iniuſtiſſime deponit. Aliam ibidem *Henricus V.* An. 1115. celebrare cupit, ſed pauciſſimi adſunt, pluribus per Pontificem retractis. A. 1164. *Northamptoni Thomas Cantuar.* periurii fuit accuſatus. *Trecenſis* A. 1107. Epiſcoporum inueſtituram Caeſari denegat. An. 1127. Templariorum ordini regulam et habitum praeſcribit. *Treuirenſis Hildegardis* reuelationes examinat et confirmat. *Weſtmonaſterienſis* A. 1139. denuo grauiſſime coelibatum vrget, et miſſam a ſacerdote maritato audire prohibet. Conf. *Centur. Magd.* XII. 9.

(14) Negat id *Baronius* A. 1172. ſed vide Pabſtsthron pag. 600. *Thomae* eiusd. *Cantuar.* hiſtoriam exponunt *Natal. Alex.* in ſelect. hiſt Saec. XI. et XII. p. III. Diſſ. 10. atque alii.

(15) Hauſit ſua principia *Petrus Lombardus* e *Petro Abailardo*, *Rucelini*, primi Scholaſtici Philoſophi diſcipulo, teſte *Iac. Thomaſio* Diſſ. de Doctoribus Scholaſticis Latinis, vbi de Theologia Scholaſtica ad *Lutheri* vsque tempora complura deprehendes egregia. Edidit *Lombardus* quoque Comment. in Pſalmos et epiſtolas Paulinas. Eum tamen *Alexand. III.* R. P. haereſeos damnauerat, eiusque doctrinae obuiam ire praeceperat. Conf. *Korth.* p. 503.

(16) Nominis *Comeſtoris* rationem adfert *Trithemius*; alii credunt, eum ita dictum, quod ieiunus haud fuerit Philoſophus. Erat Presbyter *Trecenſis*, et audit *Magiſter hiſtoriae Scholaſticae*, quam ex Vet. et Nou. Teſt. conſarcinauit.

(17) Fuit *Bernhardus Burgundus* origine ſat clarus, eruditione tamen, pietate et mellea facundia clarior, ad ſtuporem docendo auditores rapiens. Non tamen ſine ſcoriis eius fuit doctrina, variisque ſuperſtitionibus et naeuis implicita. Vid. *Cent. Magd.* prolixe; breuius autem *Meelführ. Gerh. Cocus* et alii. *Alexander III.* ſanctorum faſtis eum adſcripſit. Opera eius nuper *Ioh. Mabillon* denuo edi curauit.

(18) Fuit hic natione Germanus ex Comitibus *Blankenburgenſibus*, quamquam *Io. Mabillon* non Germanum, ſed Belgam eundem fuiſſe velit. Vid. *Meibom.* not. in Gobelini Coſmodr. aet.

VI. 58. *Paullini* zeitkürz. erbauliche Luſt. T. II. p. 382. ob facundiam *alter Auguſtinus* vocatus, variis ſcriptis inclaruit. Vid. *Oudin.* de ſcript. Eccleſ. ſupplem. *Cent. Magd.* XII, 10. *Sixt. Senenſ. Bellarm. Chriſt. Gottofr. Derlingii* differt. hiſtor. de Hugone a St. Victore, comite Blankenburgenſi, Helmſt. 1745. et alii. Eius Epitaphium P. *Langius* in Chron. Citiz. habet, ita ſonat:

Conditur hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo,
Quam breuis eximium continet vrna Virum!
Dogmate praecipuus, nullique ſecundus in orbe,
Claruit ingenio, moribus, ore, ſtylo.

(19) Fuit hic natione Scotus, et ingenio pollens, cuius varia monumenta reliquit, praecipue Comment. in Apocal. Vid. *Sixt. Sen. Baron. Cent. Magd. Bell.* et alii.

(20) Scholaſticus *Laudunenſis* vocatur; gloſſam ordinariam cum *Nicolai de Lyra*, aliorumue adnexis ſuae addidit. Scripſit quoque in Pſalterium.

(21) Presbyter et Scholaſticus, in ſacra et profana eruditione cumprimis verſatus.

(22) Hic ſe *Petro de Bruis*, *Iudaeis ac Saracenis* oppoſuit, ac celebris in Romana fuit Eccleſia. Verſionem *Alcorani* ex *Arabico* in *Latinum* ſermonem confecit, quae tamen hodie vix extat.

(23) Initio Epiſcopus *Cenomanenſis*, ſua dicendi libertate cleri *Romani* odium incurrit, vnde carceri fuit mancipatus.

(24) Monachus fuit Graecus, reliquitque Comment. *in Pſalmos, Euangelia* et *Pauli Epiſtolas.*

(25) Aliis *Goffridus* nuncupatur: patria *Andegauenſis* et *Vindocinenſis* monaſterii Abbas quintus.

(26) Fuit hic initio Monachus *S. Laurentii* prope *Traiectum*; Laudes eius decantauit *Trithemius.*

(27) Diaconus *Leodienſis*, poſt *Cluniacenſis Berengarium* tribus libris impugnauit.

(28) Patria *Gallus*, et *Bleſenſis*, initio Canonicus *Bithuricenſis*, poſt Archidiaconus *Bathonienſis* in *Anglia*, et *Londin.* ac *Cantuar. Archiepiſcopi Cancellarius.* Opera eius coniunctim extant.

(29) Merito hic Hiſtoricis adnumerandus, quippe XXII. libros hiſtoriarum de bello ſacro reliquit; patria erat *Gallus*, variarum linguarum adprime gnarus: Regni tandem *Hieroſolymitani* fuit *Cancellarius.*

(30) Abbas *Florenſis*, Romanae ambitionis inſignis hoſtis, hinc Romae Anti-Chriſtum praedixit. Praeter vaticinia in *Prophetas*, *Eſaiam et Ieremiam*, item *Apocalypſin* commentatus fuit. Imputatur huic error quidam circa SS. Trinitatem, vnde eius libellus in Synodo *Lateranenſi* ſeq. Saeculo fuit damnatus.

(31) Fuit hic, vtut nomine tantum, Patriarcha *Antiochenus*, cum illo

illo tempore Latini Eccleſiae illius loci praeſiderent. *Romanum* Pontificem primus hic haereticum pronunciaſſe fertur. Extant eius Commentationes in Canones Apoſtolorum, Conciliorum, et Epiſtolas Canonicas Patrum.

(32) Superſunt alii Doctoribus Eccleſiae huius Saeculi adiungendi. *Adalbertus Moguntinus Henrico V.* multorum facinorum conſultor, poſt acerrimus eius hoſtis, de quo multa *Kranzius, Bruſchius, Magdeburg.* et alii. *Bruno Treuirenſis* Epiſcopalem dignitatem, quam gratis ab Imp. *Henrico IV.* acceperat, a Pontifice poſt ad eius pedes deuolutam redemit. *Chryſolanus Mediolanenſis* coram Imperatore Orientis *Alexio* proceſſionem Spiritus S. a Patre et Filio defendit. *Conradus Salisburg.* parum gratus in Imp. *Henricum IV.* optime de ſe meritum, turpiter eundem deſeruit. *Ecbertus* Monachus *Schonaugienſis* variorum ſcriptorum autor. *Folmarus* praepoſitus *Triefenſteinenſis* in *Franconia* a communi illius aeui ſententia de *S. Coena* abiit. *Gernaſius* presbyter ſuo tempore haud incelebris. *Hugo Etherianus Graece et Latine* doctus, de anima corpore ſoluta, eiusque reditu ab inferis, nec non de proceſſione Spiritus S. contra *Graecos* ſcripſit. *Iacobus de Voragine* Archiepiſcopus *Genuenſis*, ſacra Biblia in linguam *Italam* tranſtulit, quae verſio *Rich. Simonio* nunquam fuit viſa, teſte ipſo in Hiſtor. Crit. verſionum N. Teſt. c. 40. *Io. Salisburienſis*, Epiſcopus *Carnotenſis*, vitia Romanorum Pontificum haud leuiter perſtrinxit; reliquit opus polycraticum de nugis curialium, et quaedam alia. *Malachias Hybernus*, initio Epiſcopus *Connorenſis*, poſt *Armachanus* in *Hybernia*, ſingulis Pontificibus ad haec vsque tempora ſuas quaſi teſſeras Spiritu Prophetico praenunciaſſe fertur. Vid. *Clar. autorem* der monatl. Unterredungen A. 1689. et 91. it. *Franc. Meneſtrerium* Soc. I. in refutatione Prophetiarum falſo adſcriptarum S. Malachiae ſuper electionibus Pontificum. v. *Thood. Crügeri* comment. hiſtor. de ſucceſſione continua pontificum R. ſecundum vaticinia Malachiae archiepiſcopi Armaghani a dubiis Claudii Franc. Menetrierii Carrierii aliorumque vendicatam, Vitemb. 1723. *Wigellum Wireker Angl.* Monachum *Benedictinum*, *Cantuar.* praecentorem, hypocritas ſui ſaeculi, nec minus Romanum clerum acriter perſtringentem, prohibitionem eſus carnium damnantem, coniugia ſacerdotum defendentem, peculiari diſſert. exhibuit *Iac. Thomaſius*. Scripſit ille Speculum ſtultorum, *Brunellum* dictum. *Obertus Leodienſis* Epiſcopus *Bullii* caſtellum ſuae Eccleſiae certo pretio redemtum adiecit. *Odo Tornacenſis* primus Miſſae Canonem Commentariis illuſtraſſe fertur. *Petrus Alphonſus* ex *Iudaeo* conuerſus, Iudaeos confutauit. *Philippus Haruengius* ſingulari in pauperes liberalitate *eleemoſynarii* nomen meruit, de damnatione Salomonis librum edidit, variasque vitas compoſuit. *Rudolphus Cantuarienſis* elati animi parum Regem ſuum reuerens, coronam excutere ei tentabat, quod ipſe non coronaſſet. *Thomas Cantuarienſ-*

tuarienſis inquieti ac turbulenti animi homo, Regi ſuo multoties reſtitit, poſt a ſicariis confoſſus, interque ſanctos relatus fuit. *Thomas Eboracenſis* noluit foeminam contrectare, ex pudicitiae ſtudio, vtut pro conſeruanda vita medici ſuaderent et amici Apud *Orientales* eruditionis fama inclaruerunt *Alexius Comnenus* Imp. qui contra *Latinos* aliquoties diſputauit, item *Georgius Metropolita*, purgatorium Latinorum exploſit. Inter foeminas huius ſaeculi literarum laude celebris fuit *Hildegardis*, Abbatiſſa monaſterii *S. Ruperti* prope *Bingam*, variis reuelationibus notabilis, quas lingua Latina, quam tamen haud didicerat ſcripſiſſe et dictaſſe fertur. Conf. *Seckendorff.* hiſt. Luther. lib. III. p. 339. *Hildegundis* item, virum mentita, monaſteriumque ingreſſa inter monachos vixit: adde *Eloyſam Petri Abailardi* coniugem, poſt *Abbatiſſam Pariſienſem*.

(33) Libris X. hiſtoriam belli Chriſtianorum contra Saracenos expoſuit.

(34) Editus a *Spigelio et Rittershuſio*.

(35) Incepit a temporibus *Caroli M.* et peruenit ad An. 1168. Continuatorem nactus *Arnoldum Abbatem Lubecenſem* ad A. 1209.

(36) *Gregorio VII.* aperte, praecipue circa coelibatum Clericorum ſe oppoſuit, Imperatori *Henrico IV.* fidus. Eius *Chronologiam* continuauit *Anshelmus Gemblacenſis*, vsque ad An. 1136. et *Robertus Montenſis** ad A. 1210. Reliquit etiam duos libros de Viris illuſtribus

(37) Fuit Conſtantinopolitanus, hiſtoriam texens ab O. C. ad An. 1118. Continuauit *Nicetas* ad A. 1206. *Euſebii* opera frequenter vſus fuit *Zonaras*.

(38) Adhuc Monachus *Caſſinenſis*, eius coenobii Chronicon confecit, ab An 542. ad A. 1086. Quartum librum adiecit *Petr. Caſſinenſis* ad A. 1138.

(39) Monachus Anglicana ſua hiſtoria fere ſolus inter populares ſuos hiſtorici nomen meruit. Coepit narrare gentis geſta a primo *Saxonum in Britanniam* ingreſſu ad A. 1143. *Anglicanosque* Pontifices peculiaribus 4. libris expoſuit, ac Eccleſiae *Glaſton.* antiquitates deſcripſit.

(40) Imp. *Conradi III.* germanus, Philoſophiae ſtudium primus fere in *Germaniam* inuexit. Chronicon conſcripſit ad A. 1146. continuauit poſtmodum *Otto de S. Blaſio* ad A. 1210. Sicut *Ottonem* in *Friderici I.* vita continuauit *Radevicus Canon. Friſingenſis*.

(41) Hiſtoricis his iungendi *Nicephorus Bryennius*, in Imperio *Graecorum* magnae autoritatis, de rebus Byzantinis libros 4. confecit ab A. 1057. ad 1081. Eius vxor *Anna Comnena* patris *Alexii* Imp. vitam libris XV. *Alexiados* ad Annum vsque 1118. depinxit, continuatorem nacta *Io. Cinnamum* ad A. 1176. Sicut et *Henricus Huntingdonenſis* libris VIII. *Anglicanam* hiſtoriam expoſuit, a prima gentis origine, ad mortem vsque

Stephani:

Stephani: et *Florentius Wigornienſis* Monachus Chronicon ex Chronicis confecit ab initio mundi ad A. 1118. deductum, quod aliquis eiusd. coenobii eruditus ad Annum 1141. produxit,

(42) Maxime *Bononiae*. Conf. *Conring*. de origine iuris Germ. c. XX. XXI. p 105 ſqq. Factum id non tam iuſſu Imp. *Lotharii II.* vt vulgo hactenus creditum, quam ſuaſu *Mathildis* in *Italia*.

(43) De hoc, *Germano* patria, conf *Io. Strauchii* Diſſertat. peculiarem: Irnerius non errans, it *Dd. Bononienſes* apud *Conring*. l. c.

(44) Fuit et hic apud *Bononienſes* iuris Romani doctor, cum *Irnerio, Bulgaro, Hugone, Iacobo* et quibusdam aliis. De quibus *Irnerius* iam morti vicinus, quem ſucceſſorem ſibi deſtinaret, quaeſitus, hoc tuliſſe iudicium fertur:

Bulgarus os aureum: Martinus copia legum:
Hugo mens legum: Iacobus eſt, quod ego.

(45) De quo iamtum ad ſup. ſaeculam n. 35. dictum.

(46) Fuiſſe hic ſtatuitur a nonnullis P. *Lombardi* frater, Monachus *Benedictinus S. Proculi, Bononiae*. Edidit decretum circa An. 1151. quod Papa *Gregorius XIII*. A. 1582. emendauit et confirmauit. Ad *Codicis Iuſtinianei* formam poſtmodum *Raimundus* de *Penna forti, Greg. IX. Capellanus et Confeſſionarius* V. libros *Decretalium*, cum confirmatione dicti Pontificis edidit, quibus *Bonifacius VIII*. per *Wilhelmum* Epiſcopum *Ebrodunenſem, Berengarium Dieterenſem* et *Magiſtrum Richardum* de *Senis ſextum Decretalium* librum adiecit. Sequebantur *Clementinae* a *Clemente V*. coeptae, a *Ioanne XXII*. abſolutae, et quinque libris Digeſtae: quas excipiebant *Decretales Ioannis XXII*. et *Extrauagantes*. Denique *Io. Paulus Lancellotus*, iuſſu *Pauli IV*. R. P. conſcripſit *Inſtitutiones Iuris Canonici*, a Papa *Gregorio XIII*. qui *librum VII. Decretalibus* quoque adiecit, confirmatas. Haec ſumma eſt totius iuris Canonici. Vid. Hiſtoria iuris variorum, it. *Calixti* adparatus, et *Paullini* Tom. II. zeitkürzender erbaulicher Luſt n. 85.

(47) Faciunt tamen alii *Montiſpeſſulanam* Academiam recentiorem.

(48) Si non hoc ipſo Saec. XII. certe tamen ſequente graduum Academicorum collatio coepit in *Gallia*. Conf. *Conring*. Supplem. ad Differt. de Antiquitat. Academ. p. 362. it. *Paullini* l. c. p. 261. ſqq.

(49) *Notbertus Praemonſtratenſium* autor, poſt Archiepiſcopus *Magdeb*. coenobium ſuis in loco *praemonſtrato* condidit, magnamque breui adſeclarum frequentiam vidit, dilatantibus ſe Monachis his in *Syria, Hiſpania, Anglia, Gallia* et alibi. Vnde breui tempore ex maxima paupertate ditiſſimus euaſit, trigeſimoque anno poſt centum eius Abbates conuenere, Vid. *Nat. Alex.*

Alex. ſelect. Hiſt. p. I. Saec. XI. et XII. addatur adpendix ad *Sigebertum* A. 1134.

(50) Hoc quidem Saeculo circa *Carmelum*; in *Palaeſtina*, habitare coeperant Eremitae, ſed ſequente demum in ordinem Monaſticum coierunt. Vid. *Polyd. Virgil. Sabell. Cent. Magd.* pag. 944. et alii. *Eliae* tamen Prophetae ipſi ſua principia adſcribere gloriantur.

(51) Quod *Mediolanenſes* aliique *Ciſalpini Friderico I.* ſaepius rebellarent, magnam eorum portionem Imp. ex patria in *Germaniam* et aliorſum migrare iuſſit, qui poſt habitu candido induti ad pedes Imp. proſtrati, longiusque exilium deprecati, reditum in patriam impetrarunt, habitum et vitae genus retinuerunt, quibus *Innocentius III.* regulam praeſcripſit. Vid. *Conrad. Vrſperg.* ad Annum 1212. in Chron.

(52) Hi pro coërcendis in *Syria* latronibus exorti, breui tempore ad ſtupendas peruenere diuitias. Vid. *Aegid. Strauchii* Diſſert. Hiſt. de ordine militum templi.

(53) Conf. *Venatoris* Beſchreibung des Marianiſch-Teutſchen Ritterordens. Adde *B. Lud. Liebhardi* Diſſ. de Teutonicorum ſiue Marianorum Equitum ordine: it. Hartknoch Deſcriptionem Pruſſiae. *Nicol. Gürtleri* hiſtoriam templariorum, Amſtel, 1691.

§. 4.

Iudaei hoc tempore ad ſacras tandem literas reuerſi variis eas (1) Commentariis illuſtrare
1120. coeperunt, quos inter eminuerunt *R. Moſe Ben Maimon* (2), qui *Rambam* a ſuis dicitur, *R. Abraham Ben Ezra* (3), *R. Salomon Iarchi* (4), in vniuerſa Biblia et *Talmud* commentatores, *R. Dauid Kimchi* aliique (5) magnae autoritatis *Rabbini*. Pellebantur autem illi et *Anglia* et *Gallia*, vbi tamen breui poſt recepti fuerunt (6).

Saracenorum arma vndiquaque adhuc diffundebantur (7), quibus tamen *CONRADVS* et *FRIDERICVS* Imperatores obicem poſuerunt (8), non parum interim *Graecorum* perfidia laudabiliſſimos hos conatus retardauit (9). *Mahumme-*

hummedani autem in *Africa* et alibi literarum quoque ſtudia egregie amplificarunt, ex quibus hoc loco nominandus venit *Auerrhoës* (10) celebris Medicus.

(1) Siquidem ex quo in *Europam* migrarunt *Iudaei*, eorum Doctores, qui ſoli *Talmudi* antea incubuerant, operam Scripturae explicandae maiorem impenderunt.

(2) Natus *Cordubae*, ſed in Aegypto educatus, hinc *Aegyptii* nomen ipſi tribuitur. *Rambam* nomen ex literis nominis initialibus compoſitum, more Iudaeis ſueto. Nullis equidem in S. Scripturam Commentariis, ſed alio opere, quod *Iad* vocatur, item Moreh Nepuchim, i. e. Doctor perplexorum (quod *Auguſtinus Iuſtinianus, Epiſcopus Nebienſis* latio donauit,) inclaruit. Ipſi Iudaei de hoc *Moſe* tradunt: *A Moſe legislatore vsque ad Moſen Aegyptium non fuit, qualis iſte Moſes:* et *Caſaubonus, eum primum inter ſuos nugari deſiiſſe* indicat.

(3) In omnes antiqui foederis libros commentatus fuit.

(4) R. *Gerſonis* diſcipulus, *Trecis* vixit in *Gallia.* Anteceſſores ſuos in legis explicatione ſuperauit, vnde legis interpres, a ſuis autem *Raſchi* vocatur.

(5) *Moſes Ben Nachman Gerundenſis*, R. *Alfes*, R. *Nathan*, autor *Aruch* ſiue Lex Talmudici, R. *Iehuda Leuita*, R. *Moſe*, R. *Kimchi* frater *Hiſpanus*, cum quibusdam aliis. *Hotting.* ſect. IV. c. XII.

(6) Factum id in Gallia, R. *Philippo Auguſt.* Vid. eund.

(7) Ita *Edeſſam* et omnem ferme *Macedoniam*, magna Chriſtianorum ſtrage edita, receperunt: *Damaſcum* obſidione liberarunt, *Raimundum Antioch. R.* cum ſuis deleuerunt, *Guidonem* Hieroſol. R. 20500. ſuorum occiſis ceperunt, *Hieroſolymam* A. 1178. receperunt, cum vniuerſa Iudaea, vix *Tyro, Tripoli et Antiochia* conſeruatis: *Ioppem* denique, miſere in captos ſaeuientes, ſui iuris fecerunt.

(8) Vterque magno exercitu *Aſiam* ingreſſus fuit: ſed prior exercitu fame confecto redire neceſſe habuit; Fridericus in aquis periit.

(9) Farina quippe gypſo mixta multis militum necis cauſa extitit. Accedunt inteſtinae ſimultates inter Duces Chriſtianorum, quae omnem bene gerendi occaſionem perdidere.

(10) *Abenroës*, vulgo *Auerroës*, Philoſophus inter *Arabes* hoc tempore praecipuus, Commentariis quoque in *Ariſtotelem* inclaruit. Eius vitam prolixe expoſuit *Nicol. Anton. Hiſpal.* Tom. II. Bibl. Hiſpan. p. 240. ſqq.

SAECVLVM XIII.

§. 1.

Illuſtrata hactenus CHRISTI religione fuerat
vniuerſa Europa, nec quicquam reſtabat quod
huic fidei fictas non porrigeret manus, extremis
ſaltem et paucis gentibus exceptis, de quarum
conuerſione parum ſollicite laborabatur (1).
1205. *Liuones* tamen cura *S. Meinardi et Alberti* ad fidei
1230. Chriſtianae regulam adducti (2); *Lithuani* mili-
tum *Teutonicorum* ac *Cruciferorum* opera ad ean-
dem fidem duci coeperunt (3); quam vero
ſumma animi leuitate poſt denuo exuerunt (4);
1255. *Pruteni* hactenus inſtabiles ab *Ottocaro* Bohemo
1270. firmius CHRISTO adhaerere coacti (5). *Tar-
tari* quoque, gens *Scythica*, cum Rege *Caſſabam*
ad ſaluificam hanc CHRISTI religionem fuerunt
1229. promoti (6). Interim *FRIDERICVS II.*
Imperator *Hieroſolymitanum* Regnum, dotis loco
cum vxore acceptum, extorſit quidem *Saracenis*
(7), ſed inane tantum nomen, vrbe paulo poſt
denuo amiſſa, retinuit. (8).

(1) Quod dominatui ſtabiliendo Pontifices, ambitioni, gulae ac ventri ſatisfacientes Epiſcopi ac Clerici illius aeui maiorem impendebant operam, quam Regno Chriſti amplificando.

(2) Fuit *Meinardus Segebergenſis* olim Canonicus primus inter *Liuones* Epiſcopos. Vid. *Balthaſ. Ruſſou.* Chronicon Liuoniae. Socium *Meinardus* habuit *Albertum* quendam.

(3) *Mandauus* tum *Lithuanorum* Rex fuiſſe dicitur, qui cruciferorum vel perſuaſionibus vel armis victus, Chriſti verbum admiſit.

(4) Idem *Mandauus* paulo poſt denuo Religionem Chriſtianam cum ſuis abiecit. Vid. *Cromer.* hiſt. Polon.

(5) *Chriſtianus* et *Albertus* Monachi a Pontifice Rom. in *Pruſſiam* miſſi omnem operam in conuertenda gente poſuerunt; cum autem ſaepius Sacra Chriſtiana eiurarent, idem *Chriſtianus Conrado Maſſoniae* Duci autor fuit, vt *Equites Marianos ordinis* Teuto-

Teutonici, cruciferos dictos, in *Pruſſiam* euocaret, quorum ope in Chriſto adducendis *Pruſſis* vteretur, quod et factum: hoc modo ordo ille primas ſedes poſuit in *Pruſſia*. Vid. haec vberius apud Hartknoch in deſcript. Pruſſ. et Hiſt. Eccleſ. it. Diſſert. XIV. in *Chron. Duisburg. Ottocarus* quoque *Bohemiae* Rex, ſocio *Ottone Brandenb. Prutenis* victos, vt Chriſtianam religionem conſtantius fouerent, armis coëgit, *Regiumque montem* condidit. Praeter hos porro *Eſthones, Senogalli*, aliique ſinus *Venedi et Codeni* accolae, exploſo falſo Deorum cultu, pietatem Chriſtianam recepere.

(6) Vid. *Vincent. Bellouac. Cent. Magd.* XIII, 2. De *Tartarum* tamen conuerſione res admodum eſt dubia, et de autore illius ac promotore non aeque inter ſe conueniunt ſcriptores.

(7) Quippe *Io. Brennus Hieroſol.* Rex *Iolantam* filiam *Friderico* in vxorem dedit, qui pactis cum Sultano induciis decennalibus, vrbem *Hieroſolymam* cum aliis ſibi reſtitui fecit, vbi et coronatus fuit, vel ſibi ipſi, quod excommunicato a Papa officium illud Epiſcopi denegarent, coronam impoſuit.

(8) Nam circa A. 1242. *Coraſineni Parthorum* natio, a Sultano Aegyptio in *Palaeſtinam* amandati, vrbem hanc Chriſtianorum, manibus denuo eripuerunt, vt ita pro obtinenda et retinenda ea infinitus *Chriſtianorum* ſanguis fuerit profuſus.

§. 2.

Contra *Waldenſes* nihil non Romani tentabant Pontifices, quos in *Arragoniam, Illyricum, Germaniam et Bohemiam* pellebant, atque ita vbiuis terrarum eorum dogmata ſpargebantur (1). *Tartarorum* quoque innumera multitudo in *Ruſ-* 1242.
ſiam, Poloniam, Sileſiam ac Vngariam effuſa, tantam ſuſtulit *Chriſtianorum* multitudinem, vt vel in *Sileſia* auriculis, quas ſingulas ſingulis praeciderant, nouem complerent ſaccos (2). Ne per Reges et Eccleſiarum praeſules neceſſaria ad Chriſtianiſmi ſalutem ordinarentur, diſſenſionum inter eos concitata incendia, ſuffuſo oleo auxit ἄσπονδος Eccleſiae hoſtis (3); ſiquidem *OTTO IV. et FRIDERICVS II.* Imperatores, pluresque alii Reges et Principes (4) Romanorum Pontifi-

cum

cum inſidias omni conatu vix potuerunt effu-
1273. gere. Ipſa certe *Germania* vsque ad R*VDOL-PHI* Imperatoris (5) tempora, qui ex comite *Habsburgico* in Romanorum Regem ab Electoribus fuit adſcitus, diras paſſa eſt calamitates, per Pontificum praecipue molitiones (6); Et ne quid deeſſet, quod, cuius filii ſint Romani Praeſules, ad oculum demonſtraret, *Conradinus* F*RIDERICI.II.* ex filio *Conrado* nepos, cum paternam haereditatem in *Sicilia* et Regno *Neapolitano* adiret, per *Carolum Andegauenſem* Ducem victus et captus, ſuaſu Pontificis inclementis *Clementis IV.* publice *Neapoli* fuit decollatus (7); atque
1268. ita Galli *Siciliam* cum Regno *Neapolitano* breui occuparunt (8), at et amiſerunt. Namque An.
1282. 1282. Feria II. Paſchali ad pulſum campanae veſpertinum omnes *Galli* per vniuerſam *Siciliam* tanta quidem feritate necantur, vt praegnantes etiam ex *Gallis*, ne ſanguinis quid Gallici in *Sicilia* ſupereſſet, occumberent, quod a *Petro Arragonio* inſtinctu *Ioan. Procbytae* factum: Hae *veſperae* fuerunt *Siculae* (9). Multi denique in *Germania* crudeliſſimo modo vix accuſati, nondum conuicti haereſeos damnabantur, non parum promouente iniquitatem hanc *Conrado de Marburgo*, haereticae prauitatis inquiſitore (10).

In doctrina quoque *Chriſtianae* pietatis puta omnia fere corrupta, ingentesque ſuperſtitionum myriades in fidei ſinceritatem inuectae (11). Per *haereſes* porro verae religionis nomen extirpare
1210. tentauit Satanas. *Albigenſes* (12) ab *Albio Septimaniae* oppido dicti cum *Waldenſibus* prioris Saeculi

culi confunduntur, atque illis complures adſignantur, iurene an iniuria, viderint alii, errores, vtpote duo principia, bonum malumque adſeruiſſe, corporum reſurrectionem negaſſe, baptiſmum et S. Coenam abrogaſſe, CHRISTVM nec DEVM nec hominem ſtatuiſſe, animarum commigrationem reduxiſſe, variaque crimina patraſſe tradebantur, quorum multa millia factus in eos impetus e medio ſuſtulit. *Almaricus Carnotenſis* (13), Doctor *Pariſienſis* Papiſticas Sanctorum ac imaginum adorationes recte erroris conuincebat, Deum vero omnium creaturarum eſſe eſſentiam, Patrisque omnipotentiam CHRISTI, et huius poſtea Sancti quoque Spiritus acceſſu deſiiſſe docebat, ſomnia denique infernum eſſe et reſurrectionem ſomniabat. *Dauid* porro *Dinantius* (14) Deum primum adſerebat eſſe materiam. *Ioannes Parmenſis* (15) noui Euangelii autor tertium 1255. aliquod Euangelium, quod noui foederis verbum abrogare debebat, conſarcinauit. *Fratricelli*, die Noll- oder Lollbrüder (16) inter reliqua etiam hominem ad ſummum perfectionis gradum hac quoque vita peruenire poſſe tradebant, in promiſcuos concubitus (vt aiunt) proni; forſan a *Raimundo Lullo* (17) abſtruſae eruditionis viro 1260. dicti, qui Deum multas habere eſſentias, Deum patrem fuiſſe ante filium, Spiritum S. a Patre et Filio conceptum crediſſe fertur. Vt verbo tantum memorem *Athocos* (18), animas mortales adſerentes; *Arnoldum de Villa noua* (19), Medicum Hiſpanum, qui multa quidem Pontificum dogmata egregie confutauit, ſimul tamen et duriora

riora quaedam docuiſſe dicitur (20). *Bonifa-*
1300 *cius* quoque *VIII.* Romanus Pontifex maiori pecuniae quam pietatis deſiderio flagrans ad gentilium imitationem *Iubileum* (21), centeſimo quoque anno celebrandum ordinauit, ad pauciores poſt annos reſtrictum (22).

(1) Factum id conſilio Pontificis *Innocentii III.* per cruce ſignatos, quibus crucis ſignum ad pectus adfigebatur, (cum contra *Saracenos* pugnantes in tergo gererent,) et largiſſimae indulgentiae promittebantur. *Simon Comes Montfortius* Dux contra *Waldenſes* maxima ſaeuitia in eos, praecipue in Comitatu *Tholoſano*, graſſatus fuit, quod Comes *Raimundus* iis adhaereret, qui propterea diris deuotus, non prius Eccleſiae conciliatus fuit, quam flagellis adeo caeſus eſſet, vt nudus templo egredi vix potuerit. Plus quam centena *Waldenſium* millia hic perierunt. Vid. *Matth. Pariſ. Nancler. P. Aemil. Crocius* in Martyrolog. *Paullini* T. III. der zeitverkürzlichen Luſt, p. 17. ſqq. Immanes hae perſecutiones *Waldenſes* in omnes terrarum angulos expulerunt. Conf *Strauchii* Diſſ. de Waldenſibus.

(2) *Ruſſos* initio aliquoties graui bello preſſerunt *Tartari*, vnde duplici exercitu *Poloniam et Hungariam* ingreſſi, caede ac igne omnia compleuerunt. Sub *Boleslao pudico R. Poloniae* ingens illa in *Sileſia* clades prope Lignitium accidit, qua *Henricus Pius Sileſiae* Dux cum magna Chriſtianorum multitudine miſere periit. Vid *Curaei* Schleſ. Chronik. p. 78. ſqq.

(3) Cum enim Pontifices inſatiabili ſuas fimbrias dilatandi cupidine turgerent, Reges contra ac Impp. ſuam maieſtatem conſeruare ſtuderent, infinitae propterea lites et grauiſſimae diſſenſiones ortae fuerunt, quae innumera in Eccleſiam mala inuexerunt.

(4) De Impp. a Pontificibus plus quam *Vatiniano* odio exceptis, *Philippo*, *Ottone IV.* et quam maxime *Friderico II.* ac *Conrado* prolixe dictum im Pabſtthron p. 621. ſqq. De Diſſenſionibus inter *R. Galliae Philippum audacem*, et *Bonifacium VIII.* cui ille acerbe ſatis reſpondit, eundem p. 689. ſq. Literae Pontificis ad dictum Regem hae: *Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei, Philippo Francorum Regi: Deum time, et mandata eius obſerua. Scire te volumus, quod in ſpiritualibus et temporalibus nobis ſubes. Beneficiorum et praebendarum collatio nulla ad te ſpectat, et ſi aliquarum vacantium cuſtodiam habeas, fructus earum ſucceſſoribus reſerues: et ſi quas contuliſti, collationes tales irritas ſecernimus, et quantum de facto proceſſerunt, reuocamus; aliud credentes haereticos reputamus.* Reſponſio autem Regis haec: *Philippus Dei gratia Francorum Rex, Bonifacio ſe gerenti pro ſummo Pontifice ſalutem modicam ſiue nullam.*

lam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe: aliquarum Eccleſiarum et praebendarum collationem ad nos iure Regni pertinere, et fructus earum vacatione durante noſtros facere: collationes a nobis hactenus factas et impoſterum faciendas fore validas, et illarum vigore poſſeſſores contra omnes viriliter nos tueri: ſecus autem credentes fatuos et dementes reputamus. Quomodo *Angliam* hoc tempore auro emunxerit Rom. curia, *Ioannique et Henrico III.* grauiſſima fuerit et ſat iniqua, prolixius diducitur im Pabſtthron p. 690. ſq. *Kortbold.* Hiſt. Eccl. p. 497. ex *Matth. Pariſ. et Annal. Godofred. Colon.* ad A. 1216.

(5) De cuius electione et geſtis vid. **Siegm. von Birken im Spiegel der Ehren des Erzhauſes Oeſterreich** lib. I. Ipſe certe *Romam*, aliquoties inuitatus, ad coronam Imperii accipiendam proficiſci noluit, anteceſſorum male exceptorum veſtigiis deterritus.

(6) Praecipue ante et in longaeuo illo interregno, poſt *Friderie II.* Imper. mortem vſque ad factam *Rudolphi* electionem.

(7) Videſis hiſtoriam hanc prolixe deſcriptam et depictam ap. **Birken** l. c.

(8) Poſtquam enim *Manfredus, Friderici II.* nothus, qui iniuſte regnum *Siciliae* rapuerat, per *Carolum Prouinciae et Andegavenſis* Principem a Pontifice *Vrbano IV.* eum in finem vocatum, praelio victus eſſet, ac caeſus, Carolus ille coronam, hac tamen conditione, obtinuit, vt ſingulis annis 40000. coronatorum Pontifici ſolueret, nec vnquam Imperium Rom. vtut oblatum, reciperet.

(9) Vid. *Platinam* in Martino V. Cauſa fuit inſignis *Gallorum* inſolentia ac libido inaudita. Ita duarum horarum ſpatio 8000. Gallorum trucidati. v. *Chriſt. Amos Bürger* diſſ. de veſperis Siculis, Lipſ. 1685.

(10) Scilicet *Inquiſitionis officium* primus tunc inſtituit *Innocentius III. Dominico* Inquiſitore primo conſtituto, a quo in diſſentientes a R. Eccleſia ferro flammaque grauiſſime fuit ſaeuitum. *Conradus* enim *de Marpurgo* tantam exercuit tyrannidem, vt ſine praeuio ſufficienti examine non conuictos, ne dicam confeſſos, eodem die, quo accuſati fuerant, rogo imponere iuſſerit nobiles pariter ac ignobiles, aut ferri candentis iudicio eos ſubiiceret et laeſos tanquam haereticos cremaret. Prope *Marpurgum* tandem interemtus fuit.

(11) Multum hic conducebat Theologia Scholaſtica, cui Philoſophia immixta, ingentem inanium quaeſtionum ſegetem produxit, vnde errores non pauci de merito bonorum operum, transſubſtantiatione, creaturarum cultu, aliisue introducti

(12) Vid. *Gabr. Prateolus* de haeret. *Cent. Magd.* XIII, 5. p. 554. atque complures. Romae coepiſſe ſcribuntur *Multa Albigenſium et Waldenſ.* in ſcriptoribus deprehenditur confuſio. *Bagnolenſes, Concordenſes, Cozorenſes* vel *Cathari* quoque vocan-

vocantur, et *Anabapt. Monaſt.* parum abſimiles depinguntur, Vid. *Iac. Ben. Boſſuet.* Epiſc. *Meld.* T. II. de variationibus Proteſtantium Eccleſiarum lib. XI. quem tamen impugnauit *Io. Baſnagius*, hiſt. de relig. Eccleſ. Reformatarum. *Io. Bened. Mon. Domin. Gallus* in hiſt. Albig. et Waldenſ. qui illos his longe priores facit.

(13) Ipſe *Almericus* vel *Amalricus* ex clero *Pariſienſi* fuit, et quanquam iuſſu Pontificis errorem ſuum ore reuocauerit, perſtitit tamen in eo, hinc poſt mortem cadauer eius ſepulchro extractum et crematum fuit; nec minus multi adſeclae ad rogum damnati ſunt. *Naucler. Vincent. Cent. Magd.* p. 558.

(14) Fuit hic olim *Alex. Epicurei* error, quem *David* ille *de Dinanto* reuocault; de quo *Iac. Thomaſii* Diſſertatio legenda: An DEVS ſit materia prima?

(15) Forſan hic alius ab illo *Ioanne de Parma Minoritarum Generali*, qui circa A. 1290. variis ſcriptis ac miraculis claruiſſe dicitur. Vid. *Centur. Magd.* XIII. p. 1193. Aeternum, quod praedicabatur Euangelium ex *Ioachimi Abbatis* lacunis hauſiſſe fertur, in quo Monachorum mendicantium familiae maxime commendabantur. Oppoſuerunt ſe illi Theologi Pariſienſes, haereſinque in eodem, et veri Anti-Chriſti characteres demonſtrarunt: vtut autem liber ille igni adiudicatus eſſet, clam tamen ne in Monachorum ignominiam cederet, lis illa fuit ſopita. Vid. *Iac. Vſſer.* de Chriſtianarum Eccleſiarum ſucceſſione cap. 9.

(16) Multis hi nominibus adpellabantur: fratres de paupere vita, *Condormientes*, *Nicolaitae*, *Beſochi etc.* autorem habuiſſe feruntur quendam *Hermannum Ferrarienſem*, qui, vtut pro ſancto a ſuis poſt mortem coleretur, iuſſu Pontificis tamen ſepulchro extractus et crematus fuit. Innumera flagitia ipſis imponuntur: Vid. *Kortholt.* p. 544. Eorum ſocii *Begardi* fuere et *Beguinae*, de quibus inf. num. 52. et Saec. ſeq.

(17) Fuit hic *Raimundus Lullus* Dialecticus inſignis, a quo ars *Lulliſtica* orta. Conſanguinei illius haereſeos labem ab eodem demebant. *Kortholt.* pag. 543.

(18) Simul omnium peccatorum aequalitatem tradebant.

(19) Falſa ei dogmata haec imputantur: Diabolum omnes Chriſtianos a veritate Chriſti abduxiſſe, fidem, quam Chriſtiani habeant, eandem eſſe cum fide daemonum: omnes Chriſtianos duci ad infernum: Monachos omnes damnari: Theologiam cum Philoſophia miſcendam non eſſe: miſſas denique reiecit, et conſiliis Papalibus autoritatem derogauit: Damnatus fuit *Trachonae*. Vid. *Bernh. Luzelburg. et Aymericus* in Directorio Inquiſitorum, *Prateolus* et alii.

(20) Superſunt quipiam, a Scriptoribus inter haereticos huius Saeculi relati: Quidam in *Anglia* Chriſtum ſe mentitus, ſtigmata vulnerum in corpore oſtendens, in *Oxonienſi* Synodo damnatus et cruci adfixus fuit. *Flagellantes* noua poenitentia

exco-

excogitata, nudi per plateas ſe flagellis ad ſanguinem vsque caedebant, idque pro peccatorum remisſione. Ex *Italia* in *Germaniam* penetrarunt, vbique non vno modo excepti. Vid. *Lehmann.* Chron. Spirenſ. *Autor. Chron. Auguſt.* et complures alios. *Io. de Poliaco,* quod Monachorum taxaret vitia, haereticis fuit adnumeratus. Nec minus *Pariſienſes* Theologi et Magiſtri, quod mendicantium monachorum illimitatam viuendi rationem ferre non poſſent, tanquam haeretici fuere traducti. *Korth.* p. 523. *Paterni* in tantum ſe abripi in auia patiebantur, vt hominem in ſtatu coniugiali ſaluari poſſe negarent. Quidam *Praepoſitinus* perſonarum proprietates in Trinitate inficiatus fuit. *Stadingenſes* in *Friſiae* et *Saxoniae* confiniis de S. Coena male ſentiebant, inde bello petiti, et mille aliquot trucidati fuerunt. v. *Io. Dan. Ritteri* tract. de pago Steding et Stedingis Saeculi XIII. haereticis, Vit 1751. *Doctorum Scholaſticorum* errores vide ab *Oſiandro* relatos p. 403. ſeqq.

(21) Factum id a *Bonifacio*, vt ludos gentilium ſaeculares imitaretur, teſte quippe *Polyd. Virgilio* populum Rom. ab inani ſaecularium ludorum celebratione auocaturus, ritum illum ethnicum in hunc commutauit.

(22) Vid. Saec. ſeq. Vniuerſam *annorum Iubilaeorum* rationem expoſuit libro peculiari *Frider. Vlric. Calixtus*, vel *Faes*, de Iubileis Romanis.

§. 3.

Erroribus dictis aliisque partim confirmandis, partim deſtruendis haud defuerunt *Synodi et Conciliabula.* Siquidem de eradicandis *Albigenſibus* egerunt Synodi *Toloſana, Narbonnenſis et Bituricenſis* (1). *Innocentius* inde *III.* Rom. Pont. 1215.
coacta in *Laterano* (2) Synodo frequentiſſima, cui Patriarchae *Conſtantinopol. et Hieroſol.* cum 70. Metropolitanis, Epiſcopis 412. atque Praelatis 1300. interfuerunt, transſubſtantiationem tacite hactenus in Eccleſia creditam adprobauit, auricularem confeſſionem introduxit, Laicis Euchariſtiae partem ademit, inque Palaeſtinam expeditionem decreuit; *Petrus Lombardus* hic excommunicatione fuit ſolutus. *Viennenſis* (3) et 1267.
Pariſienſis (4) Clericorum taxabant vitia. *Lug-* 1274.

dunenſis (5) vero praeſentibus 400. Epiſcopis, 1000. Praelatis, Orientalem ſuaſit expeditionem, et religionis pariter ac Reip. curam Eccleſiarum praeſidibus vindicauit, ſumto a Maccabeis exemplo: Idem Concilium inter Orientalem et Occidentalem Eccleſias agitatum hactenus diſſidium aliquantiſper compoſuit, cum *Michael Conſtantinopol.* Imp. ad impetranda facilius auxilia Romano ſe Pontifici ſubmitteret, atque ita Pontificiam autoritatem valide roboraret, quo tamen defuncto acta illa a Graecis reſciſſa, ipſeque Imperator loco conſecrato ſepultura fuit prohibitus (6). Acceſſit iuris *Canonici* ampliatio, facta per
1236. *Gregorium IX.* Pontificem, additis V. *Decretalium*
1244. libris (7): exaltatio item *Cardinalium*, quos rubris donauit pileis *Innocentius IV.* vt ita pro Domino Papa ſanguinem etiam fundere ne obliuiſcantur (8). Multum porro potentiam illam ſuffulſerunt nouiter introducti Monachorum ordines, et quipiam Romanae curiae paraſitaſtri,
1207. ſectatores Theologiae Scholaſticae; *Dominicus* enim *Calaguritanus* (9), hypocrita egregius, fictis miraculis et viſionibus clarus nouum *Dominicanorum* ſiue *Praedicatorum* inſtituit Ordinem;
1209. quem breui poſt ſecutus eſt *Franciſcus Aſſiſius* (10), qui iisdem dolis rudes dementauit, dum ſe Ieſum finxit typicum et ſtigmata Chriſti ſuo impreſſa eſſe corpori fabulatus eſt. Condidit hic *Franciſcanos* Monachos, qui et *Minoritae*, *Funiferi*, item *Nudipedales* (Barfüßer) vocantur (11); hique duo Monachorum ordines inteſtinis ſe inuicem hodienum proſequuntur odiis (12), prae-

(12), praecipue in capitibus de bonorum poſſeſſione, quam omnem *Franciſcani* reiiciunt, *Dominicani* adſtruunt; item de immaculata *Mariae* conceptione, quam illi ſtrenue defendebant, hi impugnabant acerrime (13). *S. Trinitatis Ordo* 1213.
ad redimendos a Turcis aliisque infidelibus captivos ordinatus (4). *Guilielmus Pariſienſis* ordi- 1217.
nem *Monachorum ſcholarium* (15) fundauit: *Clara* quoque *Franciſci* illius ſoror, velatarum 1225.
virginum ſeu Monialium ſocietatem inſtituit (16): aliusque *Franciſcus* fratrum *Minimorum* 1254.
autor extitit (17). Coeperunt praeterea *Bethle-* 1257.
hemitae (18); fratres de *Armenia* (19) *Bonorum* 1258.
virorum (20); autore *Cornuualliae* Comite *Richardo*; *Serui Mariae* (21) *et Begardi* denique ac 1282.
Beguinae (22). Ordines hi viros hoc Saeculo 1290.
dederunt celeberrimos, ſcholaſticamque *Theologiam* et alia quaedam ſtudia operoſe excolentes; inter quos *Antonius de Padua* (23), *Raimundus* 1230.
de Penna forti (24), *Guilelmus Antiſiodorenſis* 1240.
(25); *Hugo* (26) Cardinalis, in vniuerſa Biblia commentatus eſt, quae certa in capita verſusque diſtinxit, *Concordantiarumque* primus autor creditur; *Alexander ab Ales* (27), Anglus, Doctor *irrefragabilis* dictus, *Bonauentura* (28) Cardinalis, illius auditor, a praeceptore ob eximias animi dotes Doctoris *Cherubici et Seraphici* nomine inſignitus, *Wilhelmus Pariſienſis* (29); *Al-* 1260.
bertus M. (30) Epiſcopus *Ratisbonenſis*, et huius diſcipulus *Thomas de Aquino* (31), *Angelicus* ad- 1285.
pellatus; *Martinus Polanus* (32), *Wilhelmus de* 1290.
Durando (33), *Henricus de Gandauo* (34), Doctor

ſolennis; *Iacobus Genuenſis* (35) ſiue *de voragine*, *legendae aureae* et hiſtoriae *Lombardicae* autor,
1298. *Io. Scotus* (36). Doctor *ſubtilis*, *Alanus Inſulenſis* (37) *vniuerſalis*, *Aegidius* Romanus (38) *fundatiſſimus*, *Hugolinus* (39) Eremita, et quidam alii
1230. (40). Nec praetereundi celebriores *ICti Azo* (41), *Accurſius* (42), et alii; inſigniores *Medici*, *Wilhelmus Placentinus Veronenſis* (43), *et Thaddaeus* (44) Florentinus, qui ab *Honorio V. Pont.* in ſingulos dies 100. extorſit aureos; vti neque
1204. praeſtantiores *Hiſtorici*, ex *Graecis Nicetas Choniates* (45); ex *Latinis* vero et *Germanis Gun-*
1220. *therus Pariſienſis* (46); *Conradus a Lichtenau*
1240. (47), Abbas *Vrsbergenſis*; *Vincentius Bellouacen-*
ſis (48), *ſpeculi quadripartiti*, doctrinalis, hiſto-
1250. rialis, naturalis ac moralis autor; *Albertus* Abbas
1280. *Stadenſis* (49), *Matthaeus Pariſienſis* (50) *Anglicanus*, *Saxo Grammaticus* (51) *Danus*, *Hayto Armenus* (52) *et M. Paulus Venetus* (53) *rerum Tartaricarum* Scriptores (54). *Ariſtotelis porro*,
1239. *Ptolomaei*, *Galeni* aliorumue Autorum ſcripta ex *Syria* et *Arabia* in *Italiam* translata, Imp. *Friderici II.* iuſſu in *Latinam* linguam fuere conuerſa, quibus dein enucleandis horum temporum ingenia admodum deſudarunt (55); *Alfonſus* Rex *Caſtiliae ſapiens* (56) *Aſtronomiae* ſtudium maximopere excoluit, ſacraque Biblia in *Hiſpanicam* linguam traduci curauit. Quemadmodum et *Alexander de villa DEI Grammatices* fundamenta ſuis inſtillauit (57); Atque vt literarum ſtudia felicius excolerentur, variae hinc inde ſedes Muſis
1210. conditae, vt *Palentiana* (58) in Hiſpania auſpiciis Rode-

Roderici *Toletani*, quae *Salmanticam* (59) poſt 1240.
fuit translata: *Patauina* (60), *Ferrarienſis* (61), 1221.
Peruſina (62) in Italia ab Imperatore *FRIDE-* 1234.
R*ICO II.* vt et *Neapolitana* (63) poſtea ab eo- 1239.
dem, ac *Viennenſis* (64), in Germania; *Ludouicus* 1237.
quoque *IX.* Rex *Galliae* ſuaſu R*oberti Sorbones* 1253.
Theologi *Pariſiis* Theologorum fundauit Colle-
gium, cui hodienum *Sorbonae* (65) nomen eſt,
Pontificibus ante, quam Ieſuitas adoptaret, ſatis
graue: *Dionyſius* denique Rex *Luſitaniae Conim-* 1279.
bricenſem (66) celebrem fundauit Academiam,
viriſque inſignibus exornauit.

(1) Exponit easdem *Baronius* cum aliis.

(2) Vulgo haec *vniuerſalis XII.* adpellatur. Reformatio Eccleſiae in fide et moribus, item conſultatio de recuperanda terra ſancta praetendebatur: Pontifex 70. Capita propoſuit, non tamen ſingula a ſingulis recepta. Vid. *Matth. Pariſ. Godofr. Viterb. Cent. Magdeb. Kortb.* et alii. *Ioachimus* Abbas, hic, *Lombardi* loco, quem antea damnauerat, fuit condemnatus. De *confeſſione auriculari* huc Conc. ſtatuminata contra *Io. Dallaeum* id adſerente negantem, vid. *Boilean* in hiſt. conf. auric. it. *Dionyſ. Sammarthanum* Tr. de Conf.

(3) *Viennenſis* ſimul *Iudaeis*, quomodo in Republ. Chriſtiana iis ſit viuendum, praeſcripſit.

(4) Praecipue ad coërcendos monachos mendicantes, qui paſſim diſcurrebant, ac publice docendi atque confeſſiones audiendi munus ſibi adrogabant, inſtitura Synodus, ſuum tamen pondus, quod Papa renueret, haud obtinuit. *Faſcic. temp. Cent. Magd.*

(5) Aderant huic Concilio, pro Oecumenico XIV. venditato, vltra 700. Epiſcopi, quos inter e Graecis *Germanus* ante *Patriarcha Conſtantinopolitanus*, *Theophanes Metropolita Nicenus*, *Georgius Acropolita*, cum quibusdam aliis, qui tandem ad vnionem admiſſi his fuerunt conditionibus, *vt Graeci Rom. Pontificis in ſacris ſuis mentionem facerent*, *Romam adpellare non prohiberentur*, *Primatum Papae agnoſcerent*, *dogmati de proceſſione Spiritus S. a Filio conſentirent*, *Pontificique obedientiam praeſtarent*: Sed reuerſi legati parum grati Eccleſiae ſuae fuerunt, quippe quae conſentire his actis nolebat; varias proin antiquae ſuae fidei tenaces a *Michaële Palaeologo* calamitates ſufferre neceſſe habebant, quamquam poſtmodum ipſe quoque a Pontifice anathematizatus, et poſt mortem ne plebeia quidem ſepultura honoratus fuit. Conf. *Georg. Pachymer.* l. V. ſq.

Niceph. Greg. l. IV. ſq. *Nancler. Cent. Magd.* et alii; it. *Korth.* p. 519. ſq.

(6) Quod modo ex Autoribus nominatis relatum.

(7) Vid. ſup. Saec. n. 46.

(8) Factum id in Conc. *Lugdunenſi* A. 1245. celebrato, de quo ſtatim: alia habitus Cardinalitii ratio fuit, vt per eundem ab inferioris ordinis hominibus facilius diſtinguerentur. De prima autem *Cardinalium* origine conf. *Maimburg.* in hiſt. Greg. M. P. Rom. it *Freinsh.* de praecedentia Elect. et Card. diatr. I. Recenſitis his Synodis iungendae ſequentes: *Alemannica* diſciplinam Eccleſiaſticam ſtabilit A. 1225. contra incontinentes et inobedientes: *Anglicanae* multoties de inſatiabili Pontificum eorumque legatorum rapina conqueruntur: *Colonienſis* A. 1225. Simoniam et ſcortationes Clericorum prohibet. quod ibidem A. 1260. repetitum; nec minus poſt ſexennium illic clero de immunitate fuit proſpectum. *Herbipoli* legatus Pontificius An. 1287. graue a Germanis tributum exigebat, cui vtut Imperat. *Rudolphus* cum nonnullis Principibus conſentirent, vehementi tamen oratione Archiepiſcopi *Colonienſis et Treuirenſis* inhibuerunt. *Cent. Magd.* p 962 ſeq. *Londinenſis* An. 1200. Euchariſtiam cuiquam ſecreto dare prohibet. *Lugdunenſis* hoc Saec. I. A. 1245. celebrata a Pontifice *Innocentio IV*, praeſentibus 140. Epiſcopis, ac *Conſtantinopolitano* tum Imp. *Balduino*, vulgo a Latinis XIII. adpellatur. *Fridericum II.* excommunicat, legatis eundem fruſtra defendentibus. *Mompelienſis* A. 1215. *Simoni Montfortenſi* Comiti ereptas *Waldenſium* prouincias adſignat. In *Muldorfina* praeſentes Epiſcopi *Ottonem Bauariae* Ducem a *Friderico II.* Imp. abſtracturi aut excommunicaturi, grauiſſima eius oratione, ne hoc faciant, abſterrentur. *Oxonienſis* An. 1222. *Angliae* clerum reformat. *Pariſienſes* aliquoties habitae coërcendis Monachorum licentiis operam nauant. In *Ratisbonenſi* Epiſcopus quidam vehementem in Rom Pontificem inuectiuam habuit, viuisque eum coloribus depinxit apud *Auenturam*. *Romanae* contra variae Papalem ambitionem confirmant. In *Salisburgenſi* nonnulla circa diſciplinam Eccleſiaſticam An. 1274. ordinata fuerunt. *Tarraconenſis* An. 1242. quaedam ad ſupprimendos *Waldenſes* ſancit. Reliquae minoris ſunt momenti.

(9) Fuit *Dominicus* ex *Gusmannorum* familia oriundus, ab *Innocentio III.* munus praedicandi et inquirendi contra *Waldenſes* accepit, hinc *Praedicatorum* nomen Ordini ipſius datum, ipſeque primus Inquiſitor conſtitutus fuit, cui ſummo rigore praefuit.

(10) Submiſſa humilitatis et paupertatis ſpecie magnam ſanctitatis laudem ſibi conciliauit *Franciſcus*, fune ſemper cinctus ſine calceis obiit. Ordo eius per *Innocentium et Honorium III.* fuit confirmatus, ipſe vero vna cum *Dominico* a *Gregorio IX.* ſanctorum Ordini adſcriptus. Quae de ſtigmatibus eius traduntur,

tur, fabuloſa omnino ſunt, quamquam ab ordinis ſui adſeclis pro genuinis venditentur. *Korthold.* p. 514.

(11) Peculiari id *Franciſcani* prae reliquis habent, vt perpetuo cilicio nudipedes incederent, nec quicquam proprii poſſiderent, atque ex quotidianis oblationibus nihil praeter vtenſilia retinerent. Ordo hic vltra bis millena millia monachorum hodie continere dicitur, in varias iterum ſectas diuiſus, atque intra annos non multos vidit vltra 1700. monaſteria condita.

(12) Controuerterunt inter ſe hi ordines etiam de libero arbitrio, et praecipue de praerogatiua inter ſe, neque hunc in diem amice conſpirant.

(13) Certamina eorum *de conceptione B. Mariae* in noſtrum vſque Saeculum durarunt. Vid. inf. Saec. XVII. §. 2.

(14) Duobus eremitis autoribus in *Hiſpania* coepit, quibus Pont. *Innocent. III* pallium album cum coerulea et rubente cruce dedit, cum mandato, vt ſtipes vndique ad redimendos captiuos emendicarent, vnde *Monachi de redemtione* adpellati.

(15) *Vallis ſcholarium* ordo hic dicitur, A. 1217. in *Campania* a Profeſſoribus nonnullis *Pariſienſibus*, quorum caput ipſe *Guilielmus Pariſienſis* erat, inſtitutus.

(16) A *Franciſco* viuendi regulam hae moniales ſumſerunt.

(17) Introducti a *Franciſco* quodam *Siculo* An. 1471. abſtinent a carnibus coctisque, craſſo lino corpora tecti, aperto capite ac nudis pedibus, denſiſſima etiam hyeme, vagantur.

(18) In *Anglia* hi coeperunt praedicatorum more veſtiti, ſtellamque rubeam in pectore gerentes.

(19) Qui itidem *Angliam* circa A. 1258. primum venerunt: ſic *Anglia* ſemper aliquid noui.

(20) Et hi *Angliae* ordo fuerunt, cui *Edmundus Richardi R.* filius coenobium condidit regulae *Auguſtinianae*, et veſtimenti coloris coerulei.

(21) A *Philippo Tuderto Florentino* Medico inſtituti, *Auguſtinianae* quoque regulae addicti.

(22) Ex hoc ordine nonnulli falſa quaedam dogmata ſparſerunt, omnibus dein imputata, de quibus Saeculo ſeq. Ipſe tamen ordo ab *Eugenio IV.* fuit confirmatus. Adnumerari his merentur ordinibus adhuc quipiam alii, vt *Carmelitarum*, qui ex priori ſaeculo in plenarium coetum coiit; vocari coeperunt *fratres B. Virginis*, eiusque honori Pſalterium non ſine blasphemia adplicuerunt, et nouam finxerunt Apocalypſin. *Sabellicus* ſuo iam tempore in coenobiis 7050. numerauit Monachorum horum 80000. *Coeleſtini* a Papa eiusdem nominis initium habuerunt, circa A. 1283. *Gladiferi* militaris fuerunt ordinis in *Liuonia* inſtituti per *Albertum* Epiſcopum *Rigenſem*, in veſte alba rubentem gladium cum ſtella gerentes. Vocabantur alias *fratres militiae Chriſti*; tandem *Teutonico* Ordini ſunt inſerti.

(23) *Hiſpanus*, ordinis *Minoritarum*, magnae famae Concionator,

a *Gregorio IX.* inter ſanctos relatus, hodie in *Pontificia* Eccleſia deuote colitur. Vide Animadu. *Conringii* ad nouenam S. Antonii de Padua. Scripſiſſe fertur ſermones de tempore et ſanctis.

(24) Dominicanorum generalis, et ſanctitatis laude inter ſuos celebris, a Papa *Clemente VIII*, canoniſatus. Scripſit de caſibus poenitentialibus.

(25) Inter doctiſſimos ſui ſaeculi habitus *ſummam Theologiae ac de diuinis officiis* ſcripſit.

(26) Habuit paraſtatam *Stephanum Cantuarienſem*, cum 500. monachis in conficiendo *Concordantiarum* opere. Sunt, qui et Capitum in S. Bibliis diſtinctionem ad illum, ſed non ſatis accurate referunt. Fuit Cardinalis e Dominicanis primus, de S. Caro dictus.

(27) *Pariſienſis*, *Bonauenturae ac Thomae* praeceptor, *Quaeſtionariorum ſcholaſticorum* autor, et in *libros ſententiarum* commentator, atque ex Minoritis primus Magiſter creatus. *Fons vitae* cognominatur, ſcripſit *Poſtillam ſuper totam Bibliam*, more ipſius loquendi.

(28) Italus tantae ſanctitatis fuiſſe fertur, vt praeceptor eius dixerit, Adamum in eo non peccaſſe. Tandem ad Cardinalitiam dignitatem ex Minoritarum Generali Magiſtro euectus, complures edidit libros, VIII. Tomis *Romae* excuſos.

(29) In libros quosdam Vet. et N. Teſt. commentatus, aliorumque ſcriptorum autor extitit.

(30) Ab excellenti doctrina *Magni* nomen meruit, *Germanicae* nationis lumen, Saeculi ſui Theologus et Philoſophus celeberrimus, multis etiamnum ſcriptis notus, inter quae tamen nonnulla ipſi falſo tribuuntur. Vulgo a nonnullis pro mago, ſed praeter meritum, habetur. Conf. *Paullini* Tom. III. zeitkürzende erbaul. Luſt pag. 27. ſeq.

(31) *Thomiſtarum* autor, Italus ex Comitum familia, inſignem ſua eruditione laudem meruit, quamquam circa ſcripta eius praecipue *ſecundam ſecundae* (dedit enim *Theologiae ſummam* in tres partes diuiſam) ſcrupulus haereat, quis eius fuerit autor genuinus. *Korth.* p. 528. ſq.

(32) *Gneſnenſis* in *Polonia* Archiepiſcopus, rectius ad Hiſtoricos huius Saeculi refertur: Dedit quippe Chronicon a C. N. ad A. 1277. continuatum poſt ad A. 1285. Pontificii non ſatis aequi ſunt eius hiſtoriae.

(33) *Speculum* edidit *iuris*, vnde *ſpeculator* dicitur. Simul *rationale* diuinorum officiorum ei adſignatur.

(34) *Quodlibetica Theologica* in libros 4. ſententiarum reliquit.

(35) Propter crebras Scripturae adlegationes *vorago* dictus.

(36) *Duns* a patria adpellatus, natione *Scotus*, *Oxonii* Minorita factus, *Pariſiis* docuit, et *Thomae* aemulator fuit. *Coloniae* tandem non adeo longaeuus obiit. Scripta eius vide ap. *Cent. Magd.* p. 1211.

(37) *Flam-*

(37) *Flander* hic et Rector *Pariſienſis* extitit, opere quadripartito contra *Albigenſes, Waldenſes, Iudaeos et Paganos* notus.

(38) Ex *Columniorum* gente Romana ortus, inter alios ingenii foetus *de erroribus Philoſophorum* ſcripſit.

(39) *Vrbeuentanus* hic, et Doctor initio ſcholaſticus *Pariſiis*, dein Epiſcopus *Ariminenſis*, demum *patriarcha Conſtantinopolitanus* factus. Homiliis praecipue clarus fuit. Eius ſcripta exhibent *Magdeb.*

(40) Adiiciendi dictis ſunt ſequentes Eccleſiae Doctores et Praeſules: *Alexander Auguſtinianus* abbas, in ſacra et profana literatura doctiſſimus, Romanae ambitionis hoſtis: *Chriſtianus Moguntinus*, Epiſcopum concionari non belligerare debere profeſſus: *Georgius Cyprius* in Rom. quidem Eccleſia educatus, hoſtis poſt illius, Patriarcha *Conſtantinopolitanus* creatus. *Henricus Moguntinus, Monachus Franciſcanus*, piſtoris filius, a Clero ſuo vili habitus, qui in eum ita cecinit:

Nudipes antiſtes, non curat Clerus, vbi ſtes,
Dum non in coelis, ſtes vbicunque velis.

Lucas Tudenſis Epiſcopus in *Hiſpania Waldenſes* ſcriptis *controuerſiis et de altera vita* impugnauit, nec non Chronicon *de rebus* praecipue *Hiſpanicis* reliquit. *Nicolaus de Bibera Erfurdenſis* abbas, Germanus, Philoſophus, Theologus et Poëta excellens, variis opuſculis in vtroque ſermone inclaruit. *Richardus de media villa*, Doctor Theologiae ſcholaſticae, *ſolidus* cognomine, dedit *Quodlibetica Theologica*. *Richardus* alius, *Archiepiſcopus Rhemenſis*, *ſermones* edidit *de tempore et ſanctis*, *Robertus Curſon*, nobilis *Anglus*, Doctor Theologiae *Pariſinus*, tandem Cardinalis factus, *ſummam Theologiae*, nec minus *de Originis ſaluatione* libellum compoſuit. *Robertus Grosthead* ſiue *Capito* itidem *Anglus* et *Lincolnienſis* Epiſcopus, *Graece, Latine et Ebraice* doctus, Romanum faſtum et tyrannidem etiam coram grauiter inſectatus fuit. Scriptorum eius Catalogum exhibent *Magdeburgenſes* p. 1131. ſqq. vid. et *Oſiand.* p. 364. *Robertus de Sorbona*, *Sorbonae* autor, de qua infra n. 65. *Rogerus Baconus*, doctor mirabilis *Anglus*; *Simon Eremita* in *Anglia* cauae quercus fuit inhabitator. *Simon Pariſ.* eruditione prae ceteris inclaruerat, adeo, vt difficillimas aliis Quaeſtiones facile reſolueret; cum vero eapropter admodum inſoleſceret, atque ſe legem Chriſti maioribus longe ponderibus, atque adſtruxiſſet, infirmaturum, ſi vellet, traderet, obmutuit. *Stephanus Anglicus Pariſ.* Rector, ex ſacris literis primus moralia conuenienter deduxit. Alias forſan *Stephanus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, Rege inuito, factus, a Pontifice tandem Cardinalis creatus fuit. *Syluester Gyraldus Hybern.* Epiſcopus, variis libellis nomen ſibi peperit.

41) Fuit *ICtus Bononienſis*, eiusque Doctor celeberrimus, obiit A. 1215. Eius tempore 10000. ſtudioſorum *Bononiae* vixerunt.

O 5 (42) Iu-

(42) Iuris vniuerſi gloſſator primus, *Bononiae* docuit, tanquam in alma ſtudiorum iuris tum matre. Adde *Petrum de Vineis* Imp. *Friderici II.* Cancellarium, et egregium contra Rom. Pontificem defenſorem. Tandem ille calumnia oppreſſus iuſſu Imp. quem veneno impetiiſſe arguebatur, oculis priuatus capite ad parietem alliſo obiit. Extant eius *Epiſtolae de rebus Friderici II.*

(43) Ciuis fuit *Placentinus*, vixitque iuxta *Trithem.* circa A. 1269.

(44) Philoſophiae quoque ſtudio hic inclaruit. Forſan ille *ordinis ſeruorum Mariae* inſtitutor.

(45) Alias *Acominatus*, a patria *Choniates* dicitur, ſenator Conſtantinopolitanus, et magnus Logotheta. Hiſtoria eius *de Imperatoribus Graecis* incipit ab A. 1118. ad A. 1206. Reliquit quoque *theſaurum orthodoxae fidei.*

(46) De quo vid. *Voſſ.* in hiſt. Lat.

(47) Monachus hic *Praemonſtratenſis* initio fuit, Chronicon ſuum orſus a *Belo* produxit ad A. 1229. Fidem eius *Bellarminus* vocat in dubium, quod Paparum vitia detexiſſet.

(48) Inter alios ingenii foetus 4. reliquit ſpecula: in *hiſtoriali* multa abſona ex ſimplici credulitate retulit. Fuit Ordinis Praedicatorum.

(49) Hiſtoriographus coepit ab Orbe condito ad A. C. 1256. veterem, *Germanorum* praecipue hiſtoriam admodum illuſtrat.

(50) Vtut ſuperſtitionibus Papalibus Monachus hic *Benedictinus* eſſet addictiſſimus, fideliter tamen Pontificum vitia enarrauit. Scripſit *hiſtoriam Anglicanam* ab A. 1066. ad 1259. cui alius *Anglus* Guil. *Riſhangerus* appendicem adiecit ad A. 1273. Eius autoritatem fruſtra infringere Pontificii Scriptores conantur, ab *Innocentio IV.* ſtabilitam.

(51) Vixit circa initium huius Saeculi, variis tamen fabulis recenſendis immoratur.

(52) *Haiton Armenus*, Regis eius gentis filius, *Monachus Praemonſtrat.* de Tartarorum rebus geſtis ſcripſit, ſub titulo: Itinerarium et Flores hiſtoriarum Orientis.

(53) Ab aliis in ſequens Saeculum reiicitur. Edidit hiſtoriam regionum Orientalium.

(54) Adnumerari memoratis queunt *Georgius Acropolita Conſtantinopolitanus*, qui Chronicon Conſtantinopolitanum ſcripſit a tempore captae per *Balduinum* vrbis vſque ad tempus per *Michaëlem* receptae. Eum ſecutus *Georgius Pachymeres* geſta ſub *Michaële et Andronico Palaeologis* continuauit. *Rodericus Ximenius, Toletanus* Archiepiſcopus, condidit hiſtoriam Hiſpanicam ab ingreſſu Herculis in Hiſpaniam ad A. 1243.

(55) Vide *Conring* differt. 3. de antiquitatibus Academicis, p. 95 et in Supplementis p. 349. Erat quippe *Fridericus II.* linguarum *Latinae, Graecae, Saracenicae et Gallicae* callens.

(56) De quo confer a **Birken Oeſterreich. Ehrenſpiegel.** p. 1204.

1204. *Aerae Alphonſinae* fuit autor, ab A. 1252. incipientis, tabuliſque Aſtronomicis Alphonſinis quater centena Ducatorum millia impendiſſe fertur. Dixiſſe tamen ſcribitur, ſi creatori adſtitiſſet, meliorem ipſi creationis modum praeſcripturum fuiſſe. Adde *Ioannem* de ſacro buſto, inſignem huius aeui Mathematicum.

(57) Verſibus barbaris Grammaticam ſcripſit.

(58) In regno *Legionenſi*, ac vrbe *Palentia* primum inſtituta.

(59) Quo id tempore factum fuerit, non adeo conſtat. Refertur a quibusdam in initium Saeculi XV.

(60) Suſcepiſſe id ſcribitur Imperator in odium Pont. *Honorii* et contumeliam *Bononienſis* Academiae, in quam ſibi Pontifex ius adrogauerat. Confirmarunt *Vrbanus IV*, *Clemens VI*, et *Eugenius IV*. quamquam alii primordia eius *Carolo M.* referant.

(61) Alii tamen *Ferrarienſis* Acad. initia *Alberto Eſtenſi Marchioni* tribuunt: Confirmauit *Bonifacius VIII*. *Bartholomaeus de Saliceto* primus hic leges profeſſus fuiſſe ſcribitur.

(62) Circa A. 1234. vel ſecundum alios 1290. florere coepit: Primus in ea Doctor *Hoſpertus* fuit *Cremonenſis*.

(63) Iam olim bonorum ingeniorum alumna *Neapolis*, reuiruit ſub *Friderico II.* a cuius ſucceſſoribus multoties fuit exornata.

(64) Imperatori *Friderico II.* ſuam quoque debet originem A. 1237. Renouata poſtmodum fuit ab *Alberto III. Archiduce Auſtriae*, et a ſucceſſoribus multum exornata.

(65) Fuit hic Regis *Ludouici IX.* poenitentiarius: fundamenta *Sorbones* iacta A. 1270. dum bona ſua Magiſtris Pariſienſibus legauit, vt Theologicis ſtudiis maiorem nauarent operam.

(66) Alii *Ioanni III.* Regi eius fundationem adſignant.

§. 4.

Iudaeorum quoque Synagogae viris eruditis non plane tum caruerunt: Celebrantur inter eos
praecipue *R Simſon*, *R. Iehuda Chaſid*, R. *Moſe* 1230.
Micozi R. *Moſe Aben Tafon*, qui *Euclidem* Ebraeo 1240.
ſermone donauit. R. *Bechai*, Commentario in *Pentateuchum* clarus, aliique plures (1). Quod tamen ipſi irreconciliabili in Chriſtianos flagra-
rent odio, ſacramentaque eorum iniquiſſimis tra- 1298.
ctarent modis, quippe conſecratam hoſtiam (vt vocant) mortario contuderunt, vnde copioſus

poſt

poſt ſanguis effluxit; vndique igitur pulſi in *Anglia* (2) ac *Germania* (3), profligatique fuerunt.

Apud *Mahummedanos* vero creſcente armorum amore decreuit ſtudiorum ſedulitas (4); Recuperata enim *Syria et Hieroſolyma* variis Chriſtianos calamitatibus vbique preſſerunt (5), interque
1297. eos *Ottomannus* nouo Imperio nouaeque familiae prima poſuit fundamenta (6).

Ceterum *Arabum* complurium ſcripta, vt *Auerrhois, Auicennae*, aliorumque eiusdem *FRIDERICI II.* Imp. ope in *Italiam* adlata, latinitateque donata fuerunt (7).

(1) Vid. de his *Hottingerus* in Hiſtor. Eccleſ. prolixe.

(2) Cum ex aliis Regionibus pulſi in *Anglia* confluerent Iudaei, A. 1291. in Synodo *Londinenſi* denuo exulare omnes iuſſi fuerunt, quod et antea illic factum.

(3) *Francofurti*, *Mogunttiae*, et in *Germaniae* locis compluribus aliis *Iudaei* crudeliſſime interficiebantur, in *Franconia* quoque ingentem cladem patiebantur partim propter ſcelera, et nimias, quibus Chriſtianos premebant, vſuras, partim vero propter ruſtici cuiusdam *Rindfleiſch* dicti confictam reuelationem, exſcindendos omnes eſſe Iudaeos. Conf. *Hottinger*. loc. cit. Sicut nec in *Gallia* quiete viuere illis licuit, dum *Ludouicus* R. e *Palaeſtina* Iudaeos regno exterminare praecepit, cum *Saraceni* Chriſtianis vulgo id obiicerent, tantos Chriſti hoſtes ab iis impune tolerari. In *Hiſpania* tamen ingens eorum erat numerus, adeo, vt *Toleti* vno tempore 22000. Iudaeorum vixiſſe perhibeantur.

(4) Quod idem *Hottingerus* prolixius oſtendit.

(5) Cauſa progreſſuum horum *Saracenicorum* fuit partim Pontificis iniquus in Imp. *Fridericum II.* animus, quo a proſequendis contra *Saracenos* victoriis heroicus eius animus retrahebatur, partim *Graecorum et Latinorum* colliſiones, cum neuter populus alteri fideret, imo Latini *Conſtantinopoleos* Imperium Duce *Balduino* ad ſe raperent, quae res Graecorum vires nimium diſtraxit; partim denique ipſorum etiam Occidentalium Chriſtianorum inter ſe haud ſatis conſpirans amicitia, ſed continuae et pernicioſae ſimultates, quibus factum, vt vniuerſa demum *Syria* ac *Hieroſolyma* multo Chriſtianorum ſanguine conſperſa ſub *Saracenicum* iugum redierit, quod circa finem huius Saeculi A. 1291. factum. In *Hiſpania* tamen maiori felicitate *Sarace-*

norum

norum ex *Africa* impreſſionibus et violentis depraedationibus reſtiterunt Chriſtiani.

(6) Conf. Ottomanniſche Pforte p. 8. ſqq. Patre *Ertaculo* natus ab *Aladino Damaſci* Califa Dux Exercitus conſtitutus poſt eius obitum *Bithyniam*, et quae circa *Olympum* ſunt, ſibi ſubiecit, ad recentis Imperii augmentum Graecorum Imperatorum inteſtinis diſſidiis feliciter vſus. Hic *Ottomannici* Imperii autor fuit.

(7) Vid. ſup. num. 55. §. III.

SAECVLVM XIV.

§. 1.

Lithuania, magnus ad Septentrionem Ducatus, Deos hactenus coluerat fictitios, animumque a Chriſtianiſmo geſſerat alienum; quod vero *Iagello* Dux *Lithuaniae* a *Poloniae* proceribus ad regnum hoc capeſſendum vocaretur (1), poſt familiae Regiae interitum, ſuſcepit cum illo Chriſtianam religionem, *Vladislai* recepto nomine, Regemque hac in re ſtrenue ſecuta regio *Lithua-* 1386.
nia (2). Sicut et *Sclauoniae* populi (3), *Cumani* (4), *Bosnenſes* (5) aliique *Ludouici Hungarorum* Regis opera gentilitia ſuperſtitione abrogata fidem iſthanc amplexati fuerunt. Ceterum in *Anglia* et *Bohemia* hoc aeuo *Pontificatus* vitia magis magisue detecta, et ad ſubuertendum CHRISTI Regnum prima iacta fuerunt fundamenta.
Illic enim *Io. Wiclefus* (6), hic *Ioan. Huſſus* (7) 1350.
magnae vtrobique Auditorum cateruae veram 1393.
Euangelii doctrinam adnunciare coeperunt.

(1) Defuncto *Ludonico Poloniae et Hungariae* Rege duae tantum ſuperſtites erant filiae, *Maria Sigiſmundo, Hungariae* poſt Regi et Imp. deſponſata, et *Heduigis*, quae *Wilhelmo Auſtriae* Duci fidem coniugalem promiſerat, ſed per *Polonorum* proceres, *Iagellonem* in thorum recipere perſuadebatur, quod ille *Lithuaniam*

niam non modo regno *Poloniae* innectere, ſed et cum omni ſua gente Chriſtianiſmum recipere promiſiſſet. Factum hoc fuit An. 1385. et ſeq. cum *Lithuani* prius fruſtra armis per *Teutonici* Ordinis milites ad cultum CHRISTI adigerentur.

(2) Hinc in *Lithuania Vilnenſis* Epiſcopatus, aliique alibi conſtituti fuerunt.

(3. 4. 5) Adde his *Lignenſes*, *Patrinos* aliosue *Sclauoniae* populos, qui aeuo hoc *Tartarorum* ſuperſtitioni valedixerunt, Chriſti fidem amplexati, recenſente *Arnoldo Meermann*, in theatro conuerſ. gent. p. 167. Fuerunt hi populi omnes *Hungariae* contermini, ad quorum proin conuerſionem *Hungariae* Rex *Ludouicus* eo maiorem curam intendit.

(6) De *Ioan. Wiclefo* vberior narratio vid. ad §. 3. n. 12.

(7) *Io. Huſſi* hiſtoria, quod plurimam partem in ſequens Saeculum incidit, illi reſeruanda venit.

§. 2.

At in *Turcicae* potentiae incrementis decrementi haud parum ſenſit Eccleſia *Orientalis* (1). Acceſſerunt deteſtandae *Romanorum Pontificum* contentiones, et varia ſchiſmata, quibus immenſa
1305. Eccleſiae mala illata (2). *Clemens V. Roma* ſedem Pontificiam *Auenionem* transfert in *Galliam*, vbi per 72. annos maximo malo haeſit (3). *Ioannes XXII.* (4) et poſt eum *Nicolaus V. Benedictus XII.* ac *Clemens VI.* infenſiſſimo odio atque acerrimis diris optimum Imperatorem *LVDOVICVM Bauariae* Ducem inſectati ſunt, quod imperii iura in Italia defenderet, et ante Pontificiam confirmationem ea adminiſtraret. Nihilo tamen minus Imperatorem vniuerſi fere ſtatus publicis Comitiis defenderunt, decreto vnanimi facto, Imperatorem in temporalibus nemini ſubeſſe (5). Haud pauci quoque tum ex Monachis fuere interfecti, quod CHRISTI paupertatem eius etiam diſcipulis ſectandam eſſe ſtatuiſſent (6). *Waldenſes* porro miſere vbique tractati, ſiquidem vel in

in Italia 4000 eorum perierunt (7). Ne vlterius de lugendo poſt *Gregorium XI.* ſchiſmate dicam, quo *Romae* electus *Vrbanus VI.* eique *Aue-* 1362.
nione oppoſitus *Clemens VI.* (8), quod in bicipite Eccleſia Romana ad ſequens vſque Saeculum durauit, cum interea regna quaepiam Romanis, Gallicanis alia adhaererent Pontificibus. *Clemens* 1350.
quoque *VI.* annum *Iubileum* maioris lucri ergo ad quinquageſimum (9), et *Vrbanus VI.* ad trige- 1380.
ſimum tertium annum reduxit (10), vbi ſimul indulgentiarum (11) magnus numerus venditus. *Annatarum* (12) quoque initium incidit in hoc Saeculum, quae a *Bonifacio IX.* (vt volunt plu- 1391.
rimi) ordinatae concedunt Romano Pontifici, vt quiuis in demortui locum ſucceſſor Epiſcopus vel Praelatus vnius anni reditus integros ipſi perſoluere teneatur.

Quo maiora vero et plura Eccleſiae illata incommoda per Eccleſiae (vt dici volunt) capita fuerunt, eo minora deprehendit per haereticos hoc Saeculo rariores. Siquidem praeter illos, qui falſo haereſeos accuſabantur, quales *Dulciniſtae* (13), *Templarii* (14) aliique fuiſſe videntur, *Barlaamus* (15), *et Acindynus* (16) nihil plane di- 1313.
ſcriminis in diuina natura, ſubſtantia ac effectu obſeruabant; *Begardi et Beguinae* (17) ſummum 1314.
perfectionis hominibus in hac vita tribuebant gradum, ieiunia ac preces improbabant, humana poteſtate ſuos eximebant, aliaque erronea docebant. *Bertholdus* quidam *de Rorbach* (18) Chriſtum in paſſione a Patre ideo derelictum ſomniavit, quia dubitauerit, num anima ſua poſſit ſalvari;

vari; eum item in cruce *B. Mariae* et terrae maledixiſſe ſtatuit, quos quidem errores cum abiurare nollet, Spirae tandem fuit combuſtus (19).

(1) Quo maiores enim in *Oriente* vires Turcae coeperunt, eo magis Chriſtiana res illic decreuit.

(2) Ipſi quippe Pontifices ſecum haud ſemper conueniebant; Sic *Benedictus XI.* ſucceſſor *Bonifacii VIII.* acta huius in Regem Galliae *Philippum* abrogabat, ipſumque Papam *Clemens V.* tanquam haereticum condemnare paratus erat, modo Synodus *Viennenſis* conſenſiſſet. De paupertate Chriſti eiusque ſequacium Pontifex *Io. XXII.* anteceſſorum ſuorum ſententiam infregit et adnullauit. Vid. n. 6. Schiſmata autem Saeculo hoc fuere grauiſſima, praecipue illud, quod, poſtquam a *Gregorio XI.* ſedes Pontificii Romam reduſſet, per *Gallicanos* Cardinales fuit motum, de quo poſtea num. 8.

(3) Fecit id *Clemens* Papa, quod tempore electionis ſuae in Gallia viueret, vnde curiam Romanam *Lugdunum* euocauit, vbi 72. permanſit annos ab A. 1305. ad 1377. quo *Romam* rediit. Incommoda omnino haec translatio Eccleſiae *Romanae* fuit, praecipue *Italia* adeo turbata. Vnde *Genebrardus* eam transmigrationi Iudaeorum *Babylonicae* comparat. *Galliae* tamen Reges, quicquid volupe erat, a Rom. Pontificibus facile impetrare poterant. Pabſtthron. lib. II, 7. num. 5. pag. 712. ſqq.

(4) Pont. *Io. XXII.* triplicatam coronam Papalem fecit, cum priſci Pontifices non niſi mitram Phrygiae fere ſimilem geſtaſſent, *Hormisda* donatam ſibi a *Clodouaeo* R. Gall. auream coronam impoſuiſſet, *Bonifacius VIII* denique duplicaſſet. Ceterum de infenſiſſimo, quo optimum Imp. *Ludouicum* dicti Pontifices proſequebantur, odio eiusque iniuria ex indubitatis argumentis egit, ac Imperatorem defendit *Ioh. Georg.* Heerwarth *ab* Hohnburg, Cancell. Bauar. in *Ludouico* Defenſo contra Bzouium; nec minus *Io. Adelzreiter* in Annalibus Boiicis. it. Pabſtthron loc. cit. p 729 ſqq.

(5) In Comitiis *Francofurtenſibus* An. 1338. id decretum, Imperatorem in terris quoad temporalia non habere ſuperiorem, nec alius alterius egere confirmatione, ſiue adprobatione, et electum in Imp. concorditer, vel a maiori Electorum parte ex ſola electione cenſendum et habendum ab omnibus pro vero et legitimo Imp. vid. *Bzon.* An. 1338. n. 4. Pabſtthron p. 758. ſqq.

(6) Saeculo iam ſuperiori XIII. *Franciſcani* quipiam Monachi omnem omnino rerum ad vſum pertinentium proprietatem abiiciendam eſſe tradebant, ita, vt pro obſeruanda *Franciſci* regula nulla plane proprietas, neque in communi, neque in ſpeciali, ipſis competere debeat. Huic eorum ſententiae ſuffragati ſunt. *Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. Nico-*

laus

laus III. Martinus IV. Nicolaus IV. et *Clemens V.* Hanc veram dicebant paupertatem Euangelicam, in qua Chriſtus vixiſſet, quaeque eum ſequentibus commendata eſſe deberet. Pontifex autem *Io. XXI.* (ab aliis *XXII.* dictus) illa omnia tanquam haeretica damnabat, fidei Catholicae inimica. (Vid. *Ludov. Ellies du Pin* de antiqua Eccleſiae Cathol. diſciplina, Diſſ. V. §. 4.) Cum autem plures ex *Minoritis* illi deciſioni non adſurgerent, ſed potius Chriſtum et Apoſtolos neque in proprio, neque in communi quicquam poſſediſſe traderent, quorum partes tuebantur *P. Io. de Oliua, Vbertinus de Caſalis, Mich. Caeſenas, Wilhelmus Occam*, atque alii, ſpirituales inde dicti, iuſſu Pontificis *Ioannis* multi eorum viuicomburio tanquam haeretici ſublati ſunt.

(7) Ingens *Waldenſium* numerus etiam in *Auſtria*, *Bohemia* ac prouinciis conterminis habitauit, ſicut et in *Italia* dogmata eorum late ſpargebantur, quippe *Mediolani* quaſi eorum erat Academia; in vallibus *Pedemontenſibus, Lombardia* et regno *Neapolitano*, *Calabria* et *Sicilia* ſedes ſumſerant, vbique tamen ad ſupplicia rapti. In *Anglia* autem publice docebant.

(8) *Gregorio XI.* mortuo populus Rom. ex Cardinalibus *Italum* Pontificem expetit, ne ſedes *Roma* denuo in *Galliam* migret; electus itaque *Vrbanus VI.* ex Epiſcopo *Barenſi*, nondum Cardinalis, quam tamen electionem *Gallicani* Cardinales ratam haberi nolebant, ſed *Clementem VI.* vel *VII. Vrbano* opponebant. *Italia*, *Germania*, *Hungaria*, *Anglia et Polonia* ſequebantur *Vrbanum*, *Gallia* vero *Hiſpania*, *Scotia* et regnum *Neapolitanum Clementis* tuebantur partes. Vterque hic Pontifex ſe pro genuino venditauit, alteriusque acta ac decreta irrita pronunciauit. *Vrbano* ſucceſſit *Bonifacius IX*, qui ſaeculum hoc clauſit; *Clementi* autem *Benedictus XIII.* de quo ſaeculo ſequenti.

(9) Tranſtulit ad annum quinquageſimum *Iubilaei* celebrationem *Clemens*, praetexens *Ebraeorum Iobelaeorum* rationem, (quam abſurde, vid. *Calixt.* in Diſſert. de annis Rom. Iubilaeis,) et quod aetatem hominum centum annos rariſſime hodie attingere noſſet; reapſe vero, vt ingentem meſſem argentariam Camera Pontificia eo ſaepius faceret.

(10) Secutus *Vrbanus VI.* ad 33. annos Iubilaeum reſtrixerat, ad imitationem annorum vitae Chriſti, quamquam ipſe ad annum illum haud ſuperfuerit. Quomodo demum Saeculo ſuperiori terminus hic iterum fuerit abbreuiatus, docetur inferius Saec. XVI.

(11) *Bonifacius* quippe *Iubilaeorum* horum autor plenam, imo pleniſſimam peccatorum veniam viſitantibus Apoſtolorum limina ciuibus Romanis per dies XXX, peregrinis per XV. conceſſit, quod a ſucceſſoribus ſemper fuit repetitum. Vid. *Calixt.* l. c. th. 634 ſqq. p. 292. ſqq.

(12) De *Annatarum* inſtitutione res omnino dubia eſt, cum qui-

dam *Ioanni XXII.* alii *Clementi V.* eandem tribuant, alii antiquiores adhuc faciant. Id tamen vero quam maxime videtur conſentaneum, cum in *Italia* antea tantum obtinerent, iuſſu Pont. *Boniſ. IX.* omnibus orbis Eccleſiis fuiſſe iniunctas. *Angli* tamen de ſolis Epiſcopatibus, neutiquam de reliquis beneficiis Eccleſiaſticis eas conſenſerunt. Vid. *Ioann. Strauer.* de Annatis.

(13) A quopiam *Dulcino* dicti, forſan *Waldenſium* fuerunt portio, qui in omnem luxuriam prorupiſſe accuſabantur. Inde cruclada in eos indicta, et acerba vi diſſipati, *Dulcinus* cum vxore *Margaretha* captus, membratim conciſus, atque in cineres redactus fuit. *Philippus* tamen *a Limborch* in Hiſtor. Inquiſit. c. 18. contra hos circa An. 1300. grauiter ſaeuitum ſcribit, quos *Apoſtolicos* dictos vult, ortos in partibus *Lombardiae* A. 1260. qui vitam ſectabantur Apoſtolicam, nullius ſub obedientia viuentes. *Gerardus Sagarelli* autor eorum A. 1300. vt haereſiarcha crematus, quem poſt VIII. annos *Dulcinus* ſequebatur cum *Margaretha.*

(14) Cum ſcilicet *Templarii* ſtupendas in Occidente ſibi diuitias comparaſſent, quas Pontifex et *Philippus* Gall. Rex liuido adſpiciebant oculo, vt eas ad ſe raperent, de ordine extirpando inuicem conſultarunt: quo autem ſpecioſo iuris praetextu id fieri poſſet, varia illis imputabantur crimina: id equidem extra dubium, Patriarchae *Hieroſolymitano* obſequium denegaſſe, eccleſiis decimas detraxiſſe, cum Imp. *Friderico II.* perfide egiſſe, aliaque in Chriſtianae rei decrementum in Oriente peregiſſe, ac luxui nimio deditos fuiſſe: verum longe plura et maiora flagitia in illos deuoluebantur, quaſi Chriſtum abnegaſſent, crucem conſpuerent, Sodomiae ſcelere ſe polluerent, idolum colerent, et quae alia erant, hinc vno vbique tempore capti, atque exquiſitiſſimis tormentis ſubiecti, ad confeſſionem eorum adigebantur, quod cum a quibusdam prae cruciatibus intolerandis fieret, omnes ſcelerum illorum rei damnabantur, et ordinis Magiſter cum multis aliis rogo, totique ordini finis imponebatur. De iudicii tamen huius iuſtitia non ſine cauſa dubitatum fuit. Bona illorum ad ſe varii traxere, militesque *Rhodii* plura ex iis obtinuere. Videſ. *Nicol. Gurtleri* hiſtoriam Templariorum obſernationibus eccleſiaſticis auctam.

(15) Erat *Barlaamus Calaber*, ordinis *S. Baſilii* Monachus. Sicut

(16) *Acindynus* Mon. *Graecus.* Duo hi *Gregorio Palamae* Epiſcopo poſt *Theſſalonicenſi* ſe oppoſuerunt, qui *Heſychaſtarum* ſiue *Quieſcentium* patronus, in quiete mirabilem et increatam ſe lucem intueri tradebat, et eſſentiam diuinam a proprietatibus diſtingui adſerebat. Illi autem operationes Dei ab eccleſia non eſſe ſeiungendas tradebant. Vid. *Dionyſ. Petau.* Tom. I. Theol. Dogm. l. I, 12. ſq. *Kortb.* p. 582. ſq. Adde *Ioan. Andr. Schmidii* Quietiſmi Reuolutionem. Vocantur illi et

ὀμφα-

ὀμφαλόψυχοι, i. e. *Vmbilicati*, quia ad vmbilicum oppreſſo capite et contortis oculis, ſuppreſſoque ſpiritu, cum primum locum cordis mens reperiſſet, mirabilem ſe lucem intueri, et inexhauſta voluptate adfici dicebant. Erant certe iidem, qui noſtro ſaeculo *Quietiſtae* audiunt.

(17) *Begardi* fuère Monachi in inferiori *Germania: Beguinae* vero Moniales, voto tamen ad vitam Monaſticam non adſtrictae. Docebant praeterea, hominem hic reddi poſſe impeccabilem, ad Eccleſiae praecepta non obligari, oſcula mulierum eſſe peccata mortalia, et quae alia. Videntur tamen plura iis praeter meritum impoſita.

(18) *Herbipoli* primo ſuos errores propalauit, imo et recantauit: poſt vero *Spiram* perueniens eoſdem denuo adſeruit, adiectis adhuc aliis, hominem ſcilicet hic tantum poſſe proficere, vt nec orare nec ieiunare opus habeat; item laicum illuminatum plus prodeſſe in docendo, et magis ei eſſe credendum, quam Euangelio aut verbi Doctoribus.

(19) Adde relatis his haereticis, vel pro eiusmodi habitis ſequentes: *Anglicana* quaedam virgo Spiritum S. in mulierum redemtionem incarnatum fabulata, mulieres in nomine Patris, Filii et ſuo baptizauit, poſt mortem *Mediolani* cremata. *Flagellatores* hoc quoque Saeculo magno agmine *Germaniam* percurrebant, tandem *Auenione* a Papa publica ipſis flagellatio ſub excommunicationis poena fuit prohibita. Quidam *Barthol. Ianouenſis* de Anti Chriſto varia abſona praedicebat, praecipue, eum die Pentecoſtes A. 1360. adpariturum: ſed reuocauit tandem errorem autor, librumque ſuum igni iniecit. *Lollhardus Walthervs Germanus*, vel, vt aliis placet, *Anglus*, variorum errorum ſectator fuiſſe traditur, e quibus dum baptiſmo et extremae vnctioni omnem vim denegauit, luciferum iniuſte coelo deiectum, tandemque reſtituendum adſeruit, Mariam virginem manſiſſe negauit, Domini corpus in Sacramento figmentum eſſe blaterauit, coniugium pro opere meretricio habuit, Deum nec ſcire nec punire mala tradidit, et quae deliramenta fuere alia, ipſi adſignata, flammis tandem autor conſumtus ſcribitur. Nec minus alii magna ſanctitatis ſpecie fucum faciebant hominibus.

§. 3.

Habitae hoc Saeculo pauciores *Synodi*, vtplurimum pro augendis Eccleſiaſticorum opibus:
Pariſienſis (1) tamen *Bonifacium VIII.* Simoniacum, haereticum et epicureum declarat; *Vien- 1303.
nenſis* (2) in *Gallia* praeſentibus 300. Epiſcopis et 1311.
Praelatis innumeris bellum ſacrum pro recupe-

 randa

randa *Hieroſolyma* decernit, angelisque mandat, vt militum animas recta in paradiſum deferant; reformationem Eccleſiae ordinate praeſumit, at et intermittit; *Templarios* demum haereſeos damnat, et vno quaſi momento multorum criminum praetextu, maxime, quod a Chriſtianis ad Saracenos deficere voluiſſent, reuera autem, quod ipſe Pontifex ordinis bonis cum Rege *Galliae* inhiaret, exſcindit (3): Eadem Synodo et corporis CHRISTI feſtum fuit inſtitutum (4), atque conſtitutiones *Clementinae* iuri Canonico additae. Vt autem *Ioannes* Pontifex Orientalem Occidentali Eccleſiae vniret, ſuoque imperio ſubderet, duos *Conſtantinopolin* miſit Epiſcopos
1334. (5), Graecarum literarum peritos, qui religionis conciliationem tentarent, ſed adeo rudes experti ſunt Patriarcham ceterosque orientis Antiſtites, vt diſputatione congredi haud tentauerint (6).

Ex viris vero *doctis* huius aetatis fuere praeci-
1302. pui *Io. Scotus* (7), qui ab ingenii acrimonia Doctoris *ſubtilis* nomen reportauit, cuius ſectatores *Scotiſtae Thomiſtis* ſummis ſe viribus opponunt, odioque ſe mutuo pariter, atque ipſi Monacho-
1310. rum ordines proſequuntur; *Auguſtinus Triumphus* (8), *Petrus Aureolus*, (9), *Durandus* (10),
1320. *Scholaſticae* Theologiae cultores; *Nicolaus Lira*, (11) *Anglus*, ex *Iudaiſmo* ad *Chriſtianiſmum* traductus, qui egregiis Commentariis integra Biblia illuſtrauit, de quo *B. Lutherus* tale tulit iudicium: *Niſi Lira liraſſet, totus mundus deliraſſet;*
1350. *Io. Wiclefus* (12) Paſtor et Theologus *Oxonienſis* in *Anglia*, qui in multos Eccleſiae Romanae erro-

res

res acerbo inuexit ſtylo, dum Pontificem Anti-Chriſtum in Scriptura deſignatum demonſtrauit, purgatorium, imagines, ſanctorum inuocationem, transſubſtantiationem, indulgentias et alia oppugnauit, cuius ſcripta in *Bohemiam* delata, *Io. Huſſo* 1393.
hoc pariter et ſequenti Saeculo celebri Theologo ad eandem errorum correctionem anſam praebuere. *Io. de Rupeſciſſa* (13) *et Nicolaus Oremus* (14) itidem Papam Anti-Chriſtum eſſe docebant; *Wilhelmus Occam* (15), Theologus *Franciſcanus*, cum a Pontifice haereſeos eſſet damnatus, a *LVDOVICO* Imp. ſuſceptus et gladio defenſus fuit, pro quo ſcriptis contra ſatis fortiter pugnauit. *Marſilius Patauinus* (16) *defenſorem pacis* ſcripſit ad eundem Caeſarem, quo Imperatori ſubeſſe Pontificem probat, quod et *Dantes Aligerius* (17) praeſtitit. *Franciſcus Petrarcha*, *Canonicus Patauinus* (18), ſuis carminibus haud ſemel Romanae Curiae detexit vitia; atque a Senatu Romano maximis adclamationibus in Capitolio lauru coronatus. Vlterius *Io. Taulerus* (19) Monachus 1339.
et Paſtor *Argentoratenſis*: *S. Brigitta* (20) inter 1362.
ſectorem animarum Papam tradebat; *Iacobellus Miſnenſis* (21) paſtor *Pragenſis*, eundem *Anti-Chriſtum* declarabat, cumque *Petro Dreſdenſi* (22), Canticorum Latino Germanicorum autore, *ποτηριοκλεψίαν* impugnabat (23). Quod vero magna *Graeciae* pars ſub *Turcarum* gemeret imperio, patriis ſedibus relictis Muſae transuolarunt in *Italiam*, et ex hac trans Alpes in *Germaniam* (24), ſiquidem literas Graecanicas hoc et ſequenti Saeculo intulerunt *Eman.* *Chryſoloras*

 (25),

1397. (25), *Theod. Gaza* (26), *Georg. Trapezuntius* (27) et alii (28). Atque vt literarum ſtudia maiora vbique caperent incrementa, variae hinc inde conditae *Academiae*, vt *Auinionenſis* (29), (A. 1307.) *Aurelianenſis* (30), (1312.) *Andegavenſ.* (31), (1398) in *Gallia; Ferrarienſis* (32), (1316.) et *Piſana* (33), (1339.) in *Italia; Heidelbergenſis* (34), (1346.) *Colonienſis* (35), (1388.) et *Erfurdienſis* (36), (1391.) in *Germania; Pragenſis* (37), (1357.) in *Bohemia; Cracouienſis* (38), (1361.) in *Polonia.* Dederunt hae Acade-
1330. miae praeſtantiſſimos ICtos, praecipue *Bartholum*
1340. *de Saxoferrato* et *Baldum*, cum fratre *Angelo de*
1370. *Vbaldis;* item *Bartholomaeum de Saliceto* (39); et
1302. ſotertiſſimos *Hiſtoricos: Nicephorum Calliſtum*
1321. (40), *Nicephorum Gregoram* (41) ac *Nicetam*
1313. *Choniatem* (42) apud *Graecos* (43): *Germanos* vero *Siffridum* Presbyterum, *Miſenenſis* hiſtoriae conditorem (44), *Eberhardum Ratisbonenſem*,
1350. Chronographum (45); *Henricum de Erfordia*,
1370. Chronologum (46); *Matth. Weſtmonaſterienſ.*
1380. Anglum (47); *Io. Bocatium* Italum (48); *Io. Froſſardum* (49), *Theodoricum a Niem* (50), *Lupoldum a Babenberg* (51), qui de Imperii Romani iuribus admodum concinne ſcripſit (52) (53): Ipſa denique Imperii Romani lex fundamentalis
1356. *Aureae Bullae* nomine ab *Imperatore CAROLO IV. Noribergenſi* ac *Metenſi* ciuitate publicata, eaque confuſioni et circa Caeſarum electionem ſuetae alias diſſenſioni obex poſitus (54). Excitati
1348. quoque tum noui quidam leguntur *Ordines*, vt D. *Georgii* in *Italia* per Venetorum Patriarcham, vel,

vel, prout aliis placet, in *Anglia* (55); *Ieſuatorum Senis* in *Italia*, qui quod *IESV* nomen crebro 1368.
in ore haberent, illo nomine gaudebant (56);
eadem vrbs etiam S. *Catharinae* (57) dedit ordi- 1372.
nem monialium celebrem (58).

(1) Habita in diſſidio inter *Bonifacium* et *Philippum* Regem *Galliae*.

(2) An. 1311. acta, vulgo a Latinis *Vniuerſalis XV*. dici ſolet. Cauſa primaria erat *Templariorum* exciſio: praetexebatur belli ſacri expeditio, ſed cum poſtmodum ingens cruce ſignatorum copia confluerer, in Orientem abire parara, Papa eos voto abſoluros ad ſua redire iuſſit. Dogmata tamen *Petri Ioannis*, *Fratricellorum*, *Dulciniſtarum*, item *Begardorum* ac *Beguinarum* condemnabantur.

(3) Vſurarum exactio hoc Concilio quoque fuit pro licita agnita, eam autem improbantes pro haereticis habiti, vtut aliis Conciliis dudum pars aduerſa fuerit ſtabilita. Durauit haec Synodus per biennium.

(4) Quod *Vrbanus IV*. Saeculo ſuper. iam tum inchoauerat, haec Synodus confirmauit. Vid. *Theod. Thummius* de feſtis Iudaeorum et Chriſtianorum p. 135. Conſtitutiones illas fabricauit *Clemens* Pontifex, vnde *Clementinae* dictae ſunt, ſuccedente demum tempore promulgatae.

(5) Priores tres huius Saeculi Pontifices pro vnienda Graecorum cum *Romana* Eccleſia admodum laborarunt, aſt *Ioannis XXII*. legati, Pontificis primarum ſtrenue vrgentes, hoc a Graecis reſponſi tulerunt: *Potentiam tuam ſummam circa tuos ſubditos firmiter credimus, ſuperbiam tuam ſummam tolerare non poſſumus, auaritiam ſatiare non valemus: Diabolus tecum, quia Dominus nobiſcum.* *Benedictus XII*. miſit quoque legatos *Conſtantinopolin*, pro eodem negotio vrgendo, ſed *Graecorum* animos a *Romano* iugo plane deprehendit alienos, quamquam Imp. *Andronicus iunior* vnionem ſibi quam maxime neceſſariam propter excreſcentem indies *Turcarum* potentiam exoptaret. Imo *Clementis VII*. operam ea in re *Graeci* deluſerunt.

(6) Superſunt adhuc aliae quaepiam Synodi huius aeui, paucis memorandae: *Cantuariae* A. 1377. *Simon Sudburius* Archiepiſcopus *Io. Wiclefi* ſententiam (de qua poſtea n. 12.) examinavit, at hic maſcule ſe defendit. A. 1341. *Conſtantinopoli* habita Synodus, a *Graecis* Concilium IX. et vltimum dicta, *Palamae* cauſam contra *Barlaamum* et *Acindynum* defendit. Poſtmodum tres ibidem aliae coactae ſub *Io. Cantacuzeno* et *Io. Palaeologo* in eadem cauſa, *Acindynum*, *Io. Patriarcham*, *Niceph. Gregorium* alioſque adſeclas condemnarunt. Vid. *Schmidii* diſſ. de Quietiſmo. A. 1377. *Lambethae* in *Anglia* Synodus

coiit, *Wiclefumque* carceri mancipauit, qui tamen paulo poſt in libertatem ſe adſeruit. A. 1382. alia *Londinenſis* eundem damnauit, quod ibidem A. 1396. repetitum. *Palentiae* in *Hiſpania* A. 1322. congregata *Iudaeis* ſacra Chriſtianorum, et his nimiam cum illis familiaritatem, interdicit. Alia A. 1388. ibidem habita *Iudaeis* et *Saracenis* inter Chriſtianos habitantibus mercaturam diebus Dominicis, laboresque ordinarios prohibet. *Pariſienſes* aliquoties habitae varia dogmata tanquam erronea reiecerunt, vt A. 1340. illud, quo adſerebatur, eſſentiam diuinam, vt formam, non eandem eſſe in Spiritu S. quae in Patre et Filio: it, Diabolum in primo inſtanti ſuae creationis malum fuiſſe angelum, non bonum. Anni 1344. alia repudiauit. A. 1347. *Ioannis de Mercuria* errores improbati, quibus peccatum magis bonum quam malum eſſe adſtruebat: annisque ſequentibus compluries ibidem erroribus ſuis valedixerunt. Conf. *Korth.* p. 589. An. 1311. *Rauennatenſis* diſciplinam Eccleſiaſticam ſtabilit, *Iudaeisque* imponit, rotae ſignum ex panno crocei coloris veſtibus ſuis adſuere, quo a Chriſtianis facilius internoſcantur, quod alia ibidem An. 1317. confirmauit. *Saliſburgenſis* A. 1386. itidem in ſtabilienda diſciplina Eccleſiaſtica occupabatur. Denique *Toletana* An. 1339. reformandis Eccleſiae moribus incumbit, ac Rectoribus Eccleſiarum, parochianorum ſuorum nomina quotannis conſignare imperat.

(7) De quo confer dicta ad ſuper. Saec. num. 36. §. III.

(8) *Anconitanus*, autor libri de poteſtate Eccleſ. obſ. 1328.

(9) Cognomine Doctor *Facundus*, Archi-Epiſcopus *Aquenſis*, ſcripſit de immaculata Mariae conceptione, it, breuiarium Bibliorum et alia, obſ. 1322.

(10) Inter Saeculi ſuperioris autores iam recenſitus n.33. § III. fuerat *Guilielmus Durandus*, ſed cum hoc non confundendus, cuius quippe auus ille fuerat. Hic autem ſcripſit Tr. de modo celebrandi generale Concilium, it. in l. 4. ſentent. obſ. 1333.

(11) De *Lyra* hoc *Nicol. Gilles* in Chron. Francof. in dubium vocat, an e Iudaeis prognatus ſit, cum quiſpiam eum Chriſtianis parentibus natum, ſed Ebraeae linguae addiſcendae gratia frequenter cum Iudaeis conuerſatum fuiſſe dicant: *Pontificii* de illo: *Si Lyra non liraſſet, Lutherus non ſaltaſſet.* In Commentario ſuo Papales ſuperſtitiones non ſemel reprehendit. Scripſit praeter Commentarium in Sacr. Biblia adhuc alia. *Korth*, p. 567.

(12) Cum inter haereticos huius Saeculi a Pontificiis Scriptoribus numeretur *Wiclefus*, hiſtoria eius paucis contrahenda. *Anglus* natione, Theologiae Doctor ac ſacrae paginae Profeſſor, demum Eccleſiae in *Lutterworth* Rector, indefeſſo ſtudio S. Scripturam meditatus eandem in *Anglicanam* linguam ex Latina tranſtulit, Papaeque nimiam, quam in Regna orbis quaecunque, praecipue tum in *Anglicanum* ſibi adrogabat, autoritatem infringere molitus eſt. In quamplurimis itaque fidei articulis a Romana

Romana Eccleſia diſceſſit, adeo, vt in Concilio *Conſtantienſi* 45. errores ex eiusdem libris excerpti, ipſique imputati fuerint, quos exhibet *Korth*. p. 584. ſqq. quamquam, vtrum omnes pro ſuis agnouerit, et vtrum bona fide fuerint extracti, haud ſine cauſa dubitetur. Ipſe interim in *Anglia* frequentisſimo Auditorio praedicauit, Regesque *Eduardum III*. ac ſub initio *Richardum II*. habuit paraſtatas, nec minus *Oxonienſes* Doctores egregium illi perhibuère teſtimonium, adeo, vt eius doctrina vbique terrarum felici ſucceſſu ſpargeretur. Tandem per hoſtes in ſe concitatos *Anglia* excedere coactus, in *Bohemiam*, ſecundum quosdam, commigrauit, vnde tamen vltimo in *Angliam* redux, ibidem An. 1387. obiit, cuius poſt oſſa Saeculi ſeq. A. 24. ſepulchro eruta, atque igne cremata fuerunt. Eius hiſtoriam quoque contraxit *Green* in Diſſ. de Eccleſia Bohem. c. IV. §. 6. ſqq. dedit et Anonymus *Gallus* in hiſtor. haereſ. Wicleſi: it. *Io. Baſnagius* in hiſt. Eccleſ. ref. cap. IX. De vita, fatis et doctrina eius commentarium eximium edidit lingua anglica *Io. Lewis* 1720. itemque *Ludou. Phil. Wirth* in praefatione Wicleſi dialogis praemiſſa, Byruthi 1754.

(13) Monachus *Franciſcanus*, a Pontifice captus, quod praelatorum vitia luxumque taxaret, multaque in illorum ignominiam praediceret. Vid. *Io. Wolfii* Memorabil. Lect. Tom. I. pag. 623. ſqq.

(14) Aliis vocatur *Oresmus* vel *Oresmius*, Decanus initio *Rhotomagenſis*, deinde Epiſcopus *Lexouienſis*, et Doctor Collegii *Nauarraei*. Tranſtulit iuſſu R. *Ioannis* S. Scripturam e lingua *Latina* in *Anglicam*, quod tamen in Hiſt. Crit. verſionum N. T. negat *Richardus Simonius*, eam nil aliud, quam *Petri Comeſtoris* hiſtoriam eſſe Biblicam. Eius concionem coram Papa et Cardinalibus habitam lege *Wolf*. l. c. p. 648. obiit 1377.

(15) Natione hic fuit *Anglus*: ſcripſit de erroribus ac haereſibus Papae, ſicut R. Gall. *Philippum* contra Bonif. VIII. ita Caeſ. *Ludouicum* contra Io. Pont. maſcule defendit.

(16) Erat ICtus inſignis, ac egregie demonſtrauit, Papam Imperatori in temporalibus, imo etiam in Eccleſiaſticis, qua externam ſacrorum diſpenſationem, non Imperatorem Papae ſubeſſe; hinc ſpeciali Papae iuſſu diris deuotus fuit.

(17) *Italus* et a *Florentinis*, quod *Gibellinis* adhaereret, in exilium actus, in ſacra et profana literatura celebris. Ex defenſione eius pro Imp. excerpta. vide ap. *Wolf*. l. c. p. 610. Scripſit etiam Comoediam de inferno, purgatorio et paradiſo.

(18) Primus inter Poëtas Chriſtianos laurea corona decoratus, et vno die a *Romanis* pariter et *Pariſienſibus* ad illam accipiendam inuitatus fuit Accepit eam a Romanis An. 1338. in Capitolio, magno totius populi iubilo: quam et *Siciliae* Rex *Robertus* denuo illi contulit. Publicos honores euitauit, et in otio ac quiete conſenuit. Variis tamen ſcriptis erudito orbi profuit, e. g. *de remedio vtriusque fortunae, de vita ſolitaria, de mundi*

contemtu, *epiſtolis* et aliis. Quomodo *Curiam Romanam* viuis depinxerit coloribus, in compendio quaſi recenſuit *Wolfius* pag. 627. ſqq.

(19) Patria *Colonienſis*, Monachus *Dominicanus* fuit, qui ad perfectionem vitae interioris manu quaſi duxit lectores et auditores: Lutherus eius ſcripta prae multis aliis valde amauit. *Wolf.* p. 669.

(20) Fuit haec *Suecica* Princeps, quidam tamen faciunt *Brigittam* vel *Pyrgitam*, vnam virginem, cui reuelationes adſcribunt, alteram *Neritiae* Principis viduam; alii tamen vtramque confundunt. A *Gregorio IX.* An. 1391. in ſanctorum numerum fuit relata. Scripſit reuelationum libros, in quibus de ſuperbia, aliisque Romanae curiae vitiis haud parum conqueritur *Wolf.* p. 670. ſqq.

(21) *Iacobus* aliis vocatur, et Milae *Bohemiae* natus dicitur. *Pragae* apud *S. Michaelis* concionator, a *Petro Dresdenſi* de *Eucharistia* ſub vtraque accipienda rectius ex ſacris literis informatus, eandem doctrinam ſuis Auditoribus probe inculcavit. Vult tamen *Green* in Diſſ. de Eccleſia Bohem. *Iacobellum* hunc ſuam de vtraque opinionem non *Petro Dresd.* ſed *Huſſo* ipſi debere. v. *Io. Balth. Bernhold* Iacobus de Miſa vulgo Iacobellus primus euchariſtici calicis per eccleſias Bohemicas vindex, Alt. 1753.

(22) Hic, poſtquam in patria *Waldenſium* doctrinam *Pragae* hauſtam ſpargere vellet, inde paſſus, poſtquam in variis vrbibus ludimoderatorem egiſſet, *Pragam* rediit, *Iacobellum* de calice ſimul porrigendo monuit, idque A. 1414. Autor cantilenarum aliquot Eccleſiaſticarum, quibus Latini Germanica mixta ſunt, exiitit, et A. 1440. obiiſſe fertur: plurima itaque eius hiſtoria ad ſequens Saec. XV. referenda venit. Vid. *Iac. Thomaſii* Diſſ. de Petro Dresdenſi. Adnectendus his *Io. Militzius*, qui primus Euchariſtiae ſub vna ſpecie in *Bohemia* tum inualeſcenti adminiſtrationi ſe oppoſuit; ſiquidem circa An. 1340. demum vtraque ſpecies laicis in *Bohemia* adimi coepit, cui dictus *Militzius* maſcule contradixit, carceri propterea mancipatus. Eum ſecutus fuit *Matthias Ianonius Pariſienſis, Caroli IV.* Imp. Confeſſionarius, propter ſuum in Anti-Chriſtum, quem iam veniſſe publice adſeruit, zelum itidem in exilium pulſus: atque tum per totam *Bohemiam* S. coena ſub vna tantum ſpecie adminiſtrari coepit. Obiit hic *Matthias* A. 1394. in ſuo illo dogmate ad mortem vſque conſtantiſſimus, futuraeque reformationis Propheta ſit accuratus.

(23) Recenſitis his Eccleſiae Doctoribus alii longe plures eiusd. aeui adiici poſſunt, in breui tamquam tabella hic exponendi: *Alanus Chartierus*, *Caroli VII.* Reg. Gall. Secretarius, edidit aulicum. *Wolf.* p. 625. *Alexander de S. Elpidio Italus* reliquit libros de Eccleſiaſt. poteſtate, vnitate et paupertate; *Auguſtinus de Ancona*, magnus Papae adſentator, ſcripſit de ſumma pote-

poteſtate Eccleſiaſtica. *Bartholomaeus* de Piſia librum edidit conformitatum Franciſci cum Ieſu Chriſto. *M. Conradus Hager*, *Herbipolenſis*, voce maſcula Miſſam impugnauit, carceri propterea mancipatus. *Franciſcus Mayronius* Franciſcanus, *Sorbonicae* Diſputationis per integrum diem durantis autor. Vocatur alias *Doctor illuminatus*, indulgentiarum quoque theſaurum negauit. *Gerhardus Ridder* libro Lachryma Eccleſiae in mendicantes monachos grauiter inuexit. *Gerhardus Zutphanienſis Belga* in Gymnaſio *Colonienſi* de Reformatione interiori ſiue virium animae, quaepiam edidit. *Guido Carmelita* Concordant. Euangel. in quatuor Euangeliſt. autor, it. ſummae de haereſibus ab O. C. ad A. 1300. Fuit Inquiſitor Generalis et Doctor Pariſienſ. *Henricus* Frauenlob, quod in foeminei ſexus laudem multa ſcripſiſſet, ita dictus, poſt mortem a mulieribus ad tumulum deportatus. *Iacobus Toletanus*, cognomine *Magnus*, diſciplinis Scholaſticis et Philoſophicis excelluit, ſcripſitque Commentarios in vniuerſam S Scripturam. *Io. de Hisdino*, Commentator in Iobum, Marcum et Epiſtolas Pauli. *Io. Pariſienſis* circa finem ſuperioris, et initia huius Saeculi Regiam Maieſtatem contra Pontificiam dominationem acriter defendit, praeterea transſubſtantiationem impugnauit, *Romae* mortuus. *Manuel Caleca Graecus*, Mon. Dominicanus contra Graecos libris 4. de proceſſione Spiritus S. pugnauit. *Nic. Gorham* eruditus *Anglus*, Commentariis in IV. Euangelia, Acta Apoſtolorum, Pauli Epiſtolas et Apocalypſin *clarus*. *Pelagius Aluarus*, vel *Aluarus Pelagius*, Minorita, Epiſcopus *Siluenſis*, Pont. *Ioannis XXII.* promachus, pro eo operoſe ſcripſit. *Petrus Bertrandus* Card. de Eccleſiae Gallicanae libertate librum edidit. *Petrus de Arragonia*, quod Romanam Eccleſiam alteram Gomorrham dixiſſet, a Dominicanis haereſeos damnatus fuit. *Petrus de Alliaco* Acad. Pariſ. Cancellarius, poſt Card. libro de emendatione Eccleſ. meditationibus in VII Pſalmos poenit. aliisque nobilis. *Porchetus Saluaticus* Italus, mon. *Carthuſ.* contra Iudaeos *victoriae* opus reliquit. *Philippus Repington* initio *Abbas Leiceſtr* et *Theol. Oxon.* *Wicleſi* defenſor et diſcipulus ſtrenuus, cleri Rom. mores acriter perſtrinxit: poſt vero minis coactus reuocauit, et *Lincolnienſis* Epiſcopus factus eſt. *Richardus Armacſanus* Primas *Hyberniae* contra mendicantes ſcripſit, Nouumque Teſt. in linguam vernaculam tranſtulit. *Robertus Licienſis* Mon. praeſente Papa et Cardinalibus concionans aliquoties exclamauit: *Vae Tibi, S. Petre! Vae tibi S. Paule:* Mirantibus cunctis, ſuae exclamationis hanc reddidit rationem, ideo ſe vituperare Apoſtolos, quod clauium poteſtate tam parce, et non pro more Pontificum, fuerint vſi: atque ita coeli ingreſſum adeo difficilem reddiderint. *Wolf.* p. 607. *Io. Rusbroch*, Prior Monaſterii vallis viridis, Belga, variis tractatibus de virtutibus et aliis inclaruit *Simon Fidatus de Caſſia Italus*, eremita *ord. Auguſt*, Theologiae verae potius quam

ſchola;

ſcholaſticae addictus, Comment. ſcripſit in Euangelia. *Thomas Bradwardinus* Anglus, *Doctor profundus* adpellatus, Archi-Epiſcopus *Cantuar.* de cauſa Dei, item de veritate cauſarum libros reliquit. *Thomas de Valas*, ord. *praedicatorum*, Theol. Magiſter, publice *Auenione* contra Pont. *Ioannis* errorem de Statu animarum ſeparatarum praedicauit, propterea clam carceri traditus, poſt vero ad R. *Galliae* preces libertati redditus. *Franc. Ximenius*, Epiſcopus *Elnenſis*, *Hiſpanus*, librorum IV. de vita Chriſtiana autor. *Franc. Zabarella* Patauinus, Comment. in Decretal. et Clement. it. de ſchiſmatibus tollendis famam meruit. Hi potiſſimi fuere in Occidente.

(24) Scilicet ex *Turcicorum* armorum metu indies ſuccreſcente plurimi ex *Oriente* viri docti migrarunt in *Italiam*, atque exin in alias Occidentis prouincias, quibus literas Graecanicas per 5. et vltra ſaecula in Italia plane emortuas reddiderunt.

(25) *Byzantinus* hic a *Ioanne Palaeologo* in Occidentem ad ſollicitanda contra *Turcas* auxilia miſſus, poſt expeditum hoc negotium ſcholas Graecas inſtituit, ſcripſitque Grammat. Graecae erotemata.

(26) *Theſſalonicenſis*; *Ariſtotelis* opera feliciter Latio donauit, exiguo propterea a Pontifice, cui dedicauerat, munere mactatus.

(27) Hic *Romae* ſub *Eugenio IV*. docuit, et *Nicolai V*. Secretarius fuit, pluriinosque autores Graecos latine vertit: ſenex omnium rerum, imo proprii nominis oblitus. Obiit 1468. referendus itaque ad ſeq Saeculum.

(28) Nempe *Io. Argyropilus*, cum aliis ſeq. Saeculo memorandis. Sicut inter celebriores *Orientis* Theologos memorari merentur *Calliſtus II.* Patriarcha *Conſtantinopolitanus*, *Demetrius Chryſoloras*, *Emanuelis* Propinquus, *Barlaamus*, *S. Baſilii* monachus, Papae poteſtatem impugnauit. *Nilus* Archiepiſcopus *Theſſalon* cognomine *Cabaſilas*, itidem contra Papae primatum diſputauit; eiusque nepos *Nicolaus Cabaſitas* Latinorum ſententiam de proceſſione Spiritus S. confutauit.

(29) Ab An. 1307 eoque tempore, quo Pontifices ibidem ſedem habebant, florere coepit, praecipuum ipſi ſplendorem exhibens *Paulus Caſtrenſis* ICtus, et *Andr. Alciatus*, qui pro 600. aureorum ſtipendio docuit.

(30) Inchoata haec fuit a *Philippo pulchro*, Rege *Galliae*.

(31) Autorem habuit *Ludouicum II. Andium* Ducem, vbi *Fr. Balduinus*, it. *Io. Bodinus* floruere.

(32) De qua Saec. ſup. n. 61. §. III.

(33) Dedicata initio An. 1339. reſtaurata A. 1487. a *Laur. Medices*, qui ampliſſimis ſtipendiis viros doctiſſimos euocauit; quod et Saec. XVI. *Coſmus Medices* fecit.

(34) Ortum *Ruperto II. Comiti Pal.* et *Duci Bauariae* debet, primo Rectore *Marſilio ab Inghen*, *Pariſiis* propterea excito, vt Gymnaſio illi naſum fingeret.

(35) Pon-

(35) Pontifex *Vrbanus VI.* eam, a Senatu *Colon.* inſtitutam, priuilegiis exornauit, *Gerardus Calcarienſis*, primam illic lectionem ſuper caput LX. *Eſaiae* habuit. *Hertlinus de Marca* primus illic fuit Rector.

(36) Haec a quibusdam ſcribitur *Dagoberto*, R. *Franciae* ſua debere initia: id certum, circa finem huius Saeculi priuilegiis a *Bonifacio IX.* dotatam.

(37) *Carolus IV.* Imp. huius prima fecit fundamenta, eamque mirifice excoluit, et magni fecit, magnus literarum Patronus.

(38) *Caſimirus II.* Rex eius autor fuit: vltimam manum addidit An. 1400. *Vladislaus Iagello*, qui ex *Pragenſi* varios Doctores acceriiit, et Academiam hanc illuſtrauit. *Heduigis* Regina ei moriens multa legauit.

(39) Accenſentur his ICtis *Albericus de Roſate, Barthol. de Piſis, Lambertus de Ramponibus, Petrus de Vbaldis, Baldi frater, Vbertus de Caſali, Iuo* cum aliis.

(40) Egregius nugator, et magnus fabellarum conſarcinator, in *Eccleſiaſtica* ſua hiſtoria, quam ex *Euſebio, Socrate et Sozomeno* congeſſiſſe, multisque narrationibus adauxiſſe dicitur: incipit a C. N. definitque in *Phocae* interitu.

(41) Hic *Byzantinus* patriam hiſtoriam reliquit libris XI. ab An. 1204. ad 1312.

(42) Vide iam ſuperiori Saec. n. 45. recenſitum.

(43) Inferendi hic ſunt *Io. Cantacuzenus*, ex Imp. factus Monachus, qui ſub nomine *Chriſtoduli Andronici* ſenioris, iunioris, ſuamque hiſtoriam ſcripſit, cum quibusdam aliis. *Theodorus Metochita Conſtantinopolitanam* hiſtoriam vno libro, eccleſiaſticam autem duobus reliquiſſe dicitur.

(44) Tanti eum non iudicauit *Fabritius*, vt integrum ederet, ſed poſteriorum temporum epitomen tantum ſuae hiſtoriae ſubiunxit: edidit tamen *Piſtorius.*

(45) Archidiaconus fuit, ſcripſitque *Annales de Auſtriae et Sueviae* Ducibus ab A. 1273. ad 1305.

(46) Quaedam ex eodem excerpta vid. ap. *Wolfium* L. M. T. I. p. 639.

(47) Dedit *flores hiſtoriarum*, praecipue de rebus Britannicis ab exordio mundi ad A. D. 1307.

(48) Fuit hic *Florentinus* et *Poeta laureatus*, praecipue *Templariorum* in ſe ſuſcepit defenſionem.

(49) Canonicus *Leodienſis*, reliquit Chronicon ſui temporis ab A. 1226. vſque ad An. 1399. autor laude et fide digniſſimus.

(50) Rectius forſan pertinet ad ſequ. Saeculum. Aliquot Paparum fuit Secretarius, *hiſtoriamque ſchiſmatis Pontificii* candide expoſuit.

(51) Scripſit etiam librum de veterum Principum Germanorum zelo et feruore in Chriſtianam religionem ac Dei miniſtros.

(52) Adiici his merentur *M. Albertus Argentinenſis*, Chronicon ſuum a *Rudolpho I.* ſiue A. 1270. ad finem *Caroli IV.* ſiue An.

An. 1378. pertexuit: item *autor anonymus hiſtoriae auſtralis* ab A. 1276. ad An. 1303. *Henricus Rebdorfius* Monachus, annales ſuos coepit ab An. 1295. et continuauit ad A. 1362. *Henricus Stero Altahae inferioris* Monachus: congeſſit Chron. ab A. 1152. ad 1300; adpendicem ad A. 1335. vſque adiecerunt *Vlricus et Conradus Wellingi* fratres, Monachi *Auguſtani*. *Io. Gouerus* nobilis *Anglus*, Chronicon libris 7. diſtinctum, ſub titulo: Vox clamantis in deſerto, confecit, aliaque quaedam ſcripſit, adhuc ἀνέκδοτα.

(53) Supra memoratis viris claris adiiciendi Philoſophi et Mathematici, *Petrus de Appono, Guido Bonatus, Conradus a Magdeburgo*, et quipiam alii.

(54) Confer *Io. Limnaeum ad A. B. Thulemarium* etc.

(55) Non vnius quippe generis eſt, ſed diuerſus, pro diuerſitate veſtimentorum. Vid. *Franc. Rhodium* de Ordin. Eccleſ.

(56) Autores fuere *Io. Columbanus* et *Fr. Vincentius Senenſes*, quorum ſectatores manibus ſuis victum quaerebant, nudisque pedibus incedebant: noſtris temporibus ordo ille demum abrogatus fuit.

(57) *Senenſis Catharina* monialium ordinem ſecundum Regulam Dominici inſtituit. De ipſa Catharina multas fabulantur nugas, qui iisdem delectantur. Vid. *Wolfium* Lect. Memorab. T. I. p. 817.

(58) Adiici his poſſunt *ordo Militum Chriſti* in Regno *Portugalliae* et *Algarbiae* inſtitutus, pro militantibus in *Hiſpan. et Africa* contra *Saracenos*, cui multa *Templariorum* bona ceſſere. Reliquos hoc Saeculo inſtitutos ordines vide apud *Wolfium*. Lect. Mem. Cent. XIV.

§. 4.

Iudaeorum ſuperſtitio in peiora magis magisque ruebat, ita quidem, vt relictis ſanioribus Iſraëlis fontibus, traditionibus penitus inhaererent, nec humaniores aeque ac olim excolerent literas
1306. (1): Iidem *Philippo* Galliae R. iubente facultatibus ſuis exuti, regno pellebantur (2); quod et
1392. in *Germania* fiebat Imperatoris *WENCESLAI* mandato (3).

Sicut et *Mahummedanorum* in *Oriente* ſuccreſcens potentia bonarum artium extinxit ſolertiam, quippe inter quos potentiſſima *Ottomanno*-

rum

rum familia, autore *Ottomanno* coepit, Regeque
eodem *Ottomanno* ſiue *Oſmanno Bithyniam Aſiam* 1300.
que minorem ſubiugauit, vrbesque complures in-
genti vicinorum metu cepit (4). *Orcanes* eius 1328.
F. Graecis inter ſe contentionum ſerram recipro-
cantibus vrbem *Pruſiam* ademit, ſedemque ſui
imperii conſtituit (5); *Amurathes Genuenſium* 1338.
auaritia traiecto *Helleſponto* in *Europam* penetra- 1363.
vit, et *Philippopolin* et *Hadrianopolin*, poſt *Myſiam*
ſiue *Seruiam* ſubegit, cumque anteceſſore inter
conuiuandum *Taliſmanorum* ſeu ſacerdotum ad-
monitionibus aurem praebuit (6). *Baiazethes* 1373.
Bulgaros delet, *Boſniam*, *Croatiam*, *Albaniam et*
Wallachiam vaſtat, *Hungaros* ad *Nicopolin* ingenti 1395.
praelio profligat (7); hique omnes Chriſtianis
atque Imperatoribus Orientis, a quibus contra
hoſtes ſaepe, ſed imprudenter vocati fuerant in
auxilium, proximum interitum minitabantur;
quibus tamen frenum aliquod iniecit *Tamerlanes* 1397.
(8) Tartarus, potentiſſimus *Indorum* ac *Perſarum*
deuictor, qui fuſum et captum *Baiazethem Tur-*
carum Sultanum caueae ferreae incluſit, cui prae
animi moerore tandem caput adliſit (9).

(1) Scholaſticorum tempore ſurgere coeperunt *Iudaeorum* ſcholae, nec iis prolixe recenſendis immorari opus: conſulat, cui volupe eſt, *Hottingerum*. Verbo tantum memorantur R. *Izhac*, autor libri Ieſod Olam, *Rab. Mordechai*, *Rabbenu Aſcher*, qui ſuper Talmud ſcripſit, *R. Aaron Haccohem* libri Orach Chaiim autor, *Rabbenu Iaacof*, filius R. *Aſcher*, autor libri Arba Turim. *R. David Abrudaham*, *R. Leui ben Gerſon*, *Moſis Gerundenſis* e filia nepos, Philoſophiae et Theologiae ſtudiis clarus, in Pentateuchum commentatus, et pauciores quidam alii.

(2) *Ludouicus* X. cognomine *Vtinus*, Iudaeis ſedes in *Gallia* quietas conceſſit, ſed *Philippus longus* illius frater, populi inſtinctu, eos quarto et vltimo regno expulit.

(3) Cauſae grauiſſimae huius perſecutionis praeter nimias vſura-
rum

rum exactiones, et imputata illis infanticidia erat nimia peſtis, Germaniam magno tunc impetu percurrens, Iudaeis Autoribus adſcripta, qui puteos veneno vbique infeciſſent, eoque ipſo tantam hominum ſtragem procuraſſent. Vnde infinita Iudaeorum multitudo tum periit, quorum non pauci ſemetipſos flammis iniecerunt.

(4) Geſta eius *Drechslerus* in Chronic. Sarac. it. *Sagredo* Italus in Hiſtoria Ottomannica, et *Leunclauius* recenſent.

(5) Secundus hic Turcarum Imp. *Pruſiam* viuo adhuc parente occupauit, incolisque abeundi quidem licentiam indulſit, retentis tamen liberis, et pro iis ſuſtentandis magna facultatum parte. *Nicaeam* ſui iuris fecit, et Ianizaros inſtituit.

(6) Eum praeponunt quipiam *Solimannum* fratrem, cui *Philippopoleos* et *Hadrianopoleos* occupationem tribuunt: alii tamen illum tanquam mature praemortuum omittunt. *Amurathes* itaque *Graeciae* dulcedine illinitus primos in *Europa* pedes poſuit. Quomodo imperii fines ampliauerit, et vim ſtabiliuerit, vide apud *Sagredo* pag. 13. ſqq. Praeliis 37. victor fuiſſe fertur.

(7) De *Nicopolitana* Chriſtianorum clade confer, quae habet a Birken im Spiegel der Ehren des Erzhauſes Oeſterreich pag. 392. it *Sagredo* pag. 17.

(8) Confer hic *Timuris Lanc* deſcriptionem apud *Boeclerum* in Diſſert. Academ. it. eund. Birken p. 396. et *Sagredo* p. 19. ſqq.

(9) In *Hiſpania Saraceni* inſignem cladem ab *Alfonſis* duobus, *Caſtiliae et Portugalliae* Regibus paſſi fuerunt, e Chriſtianorum exercitu vix 20. deſideratis: ab eo itaque tempore Chriſtianae res ibidem vires receperunt, maxime, vbi *Septa* portus *Africae* iisdem ceſſit. Hoc denique Saeculo non omittendus venit *Seſi* ſiue *Soſi*, ſectae Perſicae autor, qui ex *Aaly* proſapia ſe ortum venditabat, cui etiamnum Perſae adhaerent, magno *Abubecher, Omar et Osman*, Turcarum proceres et prophetas odio proſequentes. Vid. *Olear.* in Itin. Ruſſ. et Perſ. it. *Korth.* Hiſt. Eccl. p. 588.

SAECVLVM XV.

§. 1.

Magnum hoc Saeculo lumen adfulſit ſuperſtitioſis Papatus tenebris immerſis hactenus aliquot Eccleſiis, *Bohemicis* praecipue et *Germanicis* (1), quae diuinae veritatis radio per *Io. Huſſi* aliorumque miniſterium aliquantum illuſtrabantur,

tur, ita, vt Pontificiorum complures errores (2) de Pontificis autoritate, purgatorii, inuocationis ſanctorum et indulgentiarum nullitate, ſacramentorum ficta pluralitate, ieiuniorum et ciborum prohibitorum vanitate, calicis laicis ademti temeritate, nonnullique alii ſatis ſtrenue impugnarentur, et Euangelicae hoc modo luci via aperiretur. Inter ipſos quidem Bohemos alii ceteroquin a Romana doctrina non adeo abhorrebant, ſolo *calicis* vſu excepto, inde *Calixtini* etiam adpellati; alii vero, *Thaboritae* et *Huſſitae* compluribus ſe ſegregabant (3). Ceterum et *Samogitia* 1412. (4) circa haec tempora Chriſtiano cultui acceſſit, auitamque fidem plane eiurauit (5).

(1) Cum Saeculo ſuperiori per *Waldenſes in Bohemiam* diſperſos iamtum ſeminari quaedam dogmata Rom. Eccleſiae non vbique conſona coepiſſent, de quo vide Saec. eod n. 29. § III. ſenſim ad alia magis magisque pro infringenda Rom. Pontificum infrunita poteſtate, et clericorum luxu ac vita diſſoluta, roboranda autem Scripturae veritate, fuit deuentum. Initium factum in *Bohemia*, exinde fidei illius profeſſio migrauit etiam in *Germaniam*, quamquam haec initio *Huſſi* reformationi ſe quam maxime opponeret.

(2) Dogmata *Huſſo* ſequentia prae ceteris, referente *Korth.* Hiſt. Eccl. p. 625. imputata fuere: 1) *Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie laicis eſſe diſtribuendam*: qua in ſententia defendenda ita proceſſit, vt initio tantum tradiderit, licere id et expedire, poſt vero vt neceſſarium adſeruerit. 2) *poſt conſecrationem in coena naturalem et materialem adeſſe panem; 3) ſanctorum et electorum coetum, non Papam et Cardinales, conſtituere Eccleſiam. 4) Romanam longo tempore veram Eccleſiam haud fuiſſe. 5) Chriſtum eſſe caput Eccleſiae, non Petrum: 6) neque hunc vniverſalem Epiſcopum dici poſſe. 7) Pontificem, vbi Chriſti doctrinae vita et moribus contrariatur, Anti-Chriſtum eſſe, ſicut Praelatos impios fures et latrones. 8) Eum poteſtatem et autoritatem ſuam debere Imperatori Romano. 9) Eius excommunicationem non ſemper magnifaciendam. 10) Cardinales Apoſtolorum ſucceſſores, ni vita conueniat, neutiquam eſſe. 11) Eccleſiam ſine Papa conſiſtere poſſe. 12) minus recte eum dici ſanctiſſimum, nec pedes eius oſculo excipiendos. 13) illi contra verbum*

Dei obediendum non eſſe. 14) *cuilibet Clericorum vitia reprehendere licere.* 15) *Magiſtratum debere ſacerdotes ad vitam decoram compellere.* Reliquos doctrinae eius articulos vide apud *Haberkorn.* in vindicato Anti-Forero Diſput. 33. p. 810. ſqq. *Oſiand.* Epit. Hiſt. Eccl. Saec. XV. c. 10, 11, 12. *Flacium* Catalog. teſtium veritatis, alibique.

(3) Contigit haec *Bohemorum* inter ſe ruptura poſt mortem *Wenceslai* R. *Bohem.* dum *Pragenſes* fratrem *Sigismundum* Imp. in Regem adſumebant, petita venia, Sacramento Euchariſtiae ſub vtraque ſpecie fruendi; hinc reliqui *Huſſi* ſectatores *Praga* ſecedentes in montem *Thabor*, vbi caſtra poſuere, confugerunt; illi itaque *claudicantes Huſſitae* et *Calixtini* adpellari coeperunt, hi *Thaboritae* et *conſtantiores* ac *feruidiores Huſſitae*, reliqua etiam *Huſſi* dogmata mordicus defendentes. Vid. duas Diſſert. de *Calixtinis* habitas; adde *Io. Baſnagii* hiſt. de Eccleſiarum reformat. religione c. X.

(4) Teſtatur id *Martinus Gomerus* l. 18. hiſt. Polon.

(5) Rex porro *Polonorum Boleslaus* tantam infidelium multitudinem Chriſto adduxit, vt nec nomina, quae ſingulis imponi poſſent, ſufficerent, proinde maribus vnius pagi cunctis vnum nomen, et foeminis vnum dedit, teſte *Cranzio.* Nec minus, poſtquam *Granadenſe* Regnum in *Hiſpania* denium *Saracenis* eriperetur, ibidem Chriſtiana religio magna habuit incrementa.

§. 2.

Sed quas olim ſtatim in Eccleſiae exordio, easdem in renaſcentis quoque periodo ſtruxit inſidias hoſtis infernalis, dum non tantum in *Oriente* per *Mahummedanos* reſidua *Chriſtianorum* omnia deſtruxit plane et euertit (1), ſed in *Occidente* etiam exorientem Euangelii lucem diriſſimis premere perſecutionibus, ſuisque obfuſcare tenebris ſollicite intendit. Sane veritatis Euangelicae adſertores vnco trahebantur, ad ignes et cruces rapiebantur (2); *Matthias Iauonius Pariſienſis* (3), qui *Pragae* librum de *Anti-Chriſto* edidit, quo eum iamiam veniſſe, inque Eccleſiae gremio conſediſſe edocuit, communioniquè ſub vna priori Saeculo in *Bohemia* introductae ſe oppoſuit, pulſus in exilium; *Io. Huſſus* paſtor *Pragen-*

ſis

ſis (4), hauſta ex *Wiclefi* libris purioris doctrinae principia magno *Bohemorum* adplauſu, et *Hieronymi Pragenſis* fideli ſodalitio vndiquaque propagata, tandem in *Conſtantienſi* Concilio contra da- 1415. tam ab Imp. *SIGISMVNDO* fidem ſanguine ſuo non *Huſſus* tantum, ſed et *Hieronymus* (5) con- 1416. firmarunt, igne exuſti. Ille quidem vatidico Spiritu *Lutheri* reformationem his verbis praedixiſſe dicitur (6): *Hodie quidem torretis anſerem, at veniet cygnus, quem torrere haud poteritis, poſt centum annos Deo et mihi reſpondebitis*; ipſius porro *Wiclefi* cadauer in *Anglia* humatum ante 1428. 40. annos, erutum fuit atque crematum (7); *Ioannes* quoque de *Veſalia Wormatienſis* Concio- 1479. nator ob purioris doctrinae confeſſionem *Moguntiae* haereſeos damnatus atque interemptus eſt (8). Sicut et ſub Saeculi finem *Hieronymus Sa-* 1498. *uanorola* Dominicanus Monachus, et Concionator *Florentinus*, qui magna dicendi libertate *Alexandri VI.* vitia caſtigauerat, poſt exquiſitiſſima tormenta tandem cum duobus ſociis laqueo ſuffocatus et exuſtus fuit (9). Horum tamen aliorumque plurium Martyrum ſanguinem *Io. Ziſca* (10), et poſt eum *Procopius* aliique fortiſſimi *Bohemorum* duces grauiſſime in vniuerſa fere Germania vindicarunt, per complures eam annos armis diripiendo, arma fruſtra opponentibus Imperatore aliisque heroibus Teutonicis (11).

Haereſes rectius otioſorum Monachorum aliorumque ſomniis atque Pontificiis corruptelis adſignantur, quam *Piccardis* (12), quibus, quaſi 1414. connubia promiſcua permiſiſſent, aliaque flagitia

1499. patraſſent, tribuebatur: *Hermannus* vero *Riſuichus* Batauus (13) totam de CHRISTO doctrinam atque omnem fidem Chriſtianam euertere tentavit, inque ſententia hac pertinaciſſimus ad ipſam vſque mortem igne illatam perſtitit (14).

(1) De quo conf. inferius ad §. IV. huius Saeculi dicenda, n. 9. ſqq.

(2) Pontifex *Martinus V.* in *Huſſitas* cruciatam praedicauit, cuique ſceleto vnum *Bohemum* occidenti plenam peccatorum remiſſionem promittens: hinc tyranni pro vno ſacerdote *Huſſitico* quinque florenos, pro laico vnum ſoluerunt, multosque ex captis in metallifodinas praecipites dederunt, nec ipſe Imp. ſaeuitiam in eos intermiſit.

(3) De quo num. 22. § III. Saeculo XIV. dictum.

(4) Paucis hic *Io. Huſſi* hiſtoria recenſenda venit: Fuit tenuioris originis, humili loco in villa *Huſſinez* vel *Huſs* natus, vnde cognomen ipſi adcreuit, ingenio peracri et lingua diſerta, An. 1393 Baccalaureus, An. 1396 artium Magiſter *Pragae* creatus, An. 1400 Concionator in templo Bethlehem conſtitutus fuit. Vbi videns vitam clericorum diſſolutam ac impuriſſimam, multis in fidei articulis vitiatam doctrinam veritatem et haereſin, vndecim initio capitibus eandem repurgare conatus, magno animo in errores inuehere coepit, maxime, vbi ab *Hieronymo* cognomine Faulfiſch, *Wiclefi* libros accepiſſet, quos tamen initio non per omnia probabat. Quod autem *Teutonici Pragae* magno numero literis operam nauantes autoritatis Pontificiae ſtrenui eſſent adſertores, *Huſſus Bohemis* odio *Germanorum* tria in *Academia* vota, *Germanis* vnum contra inſtitutae Academiae fundationem vindicans, hos quam maxime offendit, vnde *Praga* relicta alioſum commigrarunt. Exacerbatis ita clericorum et *Germanorum* animis ad Epiſcopum *Pragenſem*; hinc *Rom. Pontificem Huſſus* delatus, *Romamque* vocatus, ſed a Rege *Wenceslao* eiusque Coniuge *Sophia*, cui a confeſſionibus erat, per literas et procuratores nequicquam defenſus, haereticus declaratus et damnatus fuit. Poſt A. 1414. *Conſtantiam* ad Concilium vocatus *Huſſus*, ſub fidei literis a *Sigismundo* Imp. acceptis, eo migrauit, impetrato prius ſanae doctrinae ab Inquiſitore et Archiepiſcopo teſtimonio *Conſtantiae*, vbi in conſpectum Cardinalium veniſſet, de doctrina quaeſitus, ſi erroris alicuius conuictus foret, ſe informationem lubente animo ſuſcepturum reſpondit, tamen contra datam fidem (quam haeretico ſeruandam negabant, vid. contra *Becanum Grotius* et *Oſiand.* ad eundem,) tetro carceri incluſus neque ad inſtantes *Bohemorum* interceſſiones inde liberatus fuit, maxime cum aduerſarii, ne id fieret, grauiter ſe opponerent. Reductus aliquoties in Synodum, et incon-

inconditis clamoribus obrutus, tandem nullius erroris conui-ctus, quod reuocare nollet, ad ignem fuit condemnatus, quem forti animo d. 6. Iulii An. 1414. pertulit. Vid. *M Zach. Theobaldi* Huſitenkrieg oder Geſchichte des Lebens und der Lehre Joh. Huſſens, Vratisl. 1750. *Georg. Greenii* diſſ. de eccleſia Bohemica, Vit. 1673. *Ad Rechenbergi* diſſ d Io H ſſo Martyre, in volumine exercitatt. p. 750 *Nigrin.* in Huſſi vita. *Crocius* in martyrol. *Wilh. Seyfried* de Ioannis Huſſi martyris ortu, educatione, ſtudiis, doctrina, vita, morte et ſcriptis, Ien. 1698 rec. Hilperhuſ. 1734. *Iac. Lenfant* hiſtoire de la guerre des Huſſites et du Concile de Basle, Amſtel. 1731.

(5) *Hieronymus* ille a patria *Pragenſis*, cognomine Faulfiſch, in *Anglia* et *Oxonii* literis incumbens, *Wiclefi* doctrinam hauſit, *Pragamque* rediens libros eius *Huſſo* obtulit, poſtque in repurganda religione fidelis ipſi paraſtata, parem cum eodem ſortem expertus fuit: quamquam initio *Conſtantiae* territus dogmata ſua reuocauerit, *Huſſique* condemnationem adprobauerit, cuius facti poſt poenitens, fidem ſinceriorem conſtanter, ad ignis vſque ſupplicium et vitae finem fuit profeſſus. vid. eosdem autores.

(6) An cum veritate narratio haec conueniat, alibi diſquiritur. *D. Frider. Iac. Reuchlini* diſſ. de vaticiniis Huſſi, Argent. 1751.

(7) In Concilio *Conſtantienſi* oſſa *Wiclefi* exhumari et diſperſi, poſt vero in *Senenſi* cremari iubebantur, quod vtrum contigerit, in dubio relinquit *Green* diſſertat. de Eccleſ. Bohem §. 8. c. 4.

(8) Hic mera gratia per fidem in Chriſtum ſaluari, et tantum verbis DEI credendum eſſe docuit, humanas autem traditiones, vt ieiunia, indulgentias, feſta, et ſimilia penitus reiecit. Conf. *Paralipom. Vrſperg.* Docuit *Erfurdiae*, *Wormatiae*, et *Moguntiae*, condemnatus fuit, quod *Keiſersbergio* et *Engelino Brunſuicenſi* vehementer diſplicuit, Monachorum quippe inuid a oppreſſum fuiſſe iudicabant. Conf. *Wolf.* T. I. p. 875.

(9) Conſpirauit *Alexander* Pont. cum *Medicaeis*, qui *Florentiam* tum ſibi ſubiecerant, vt et illi in *Sauanorolam*, eorum vitia non minus acerbe taxantem, inſurgerent, qui acerbiſſimis cruciatibus tanquam vera ab eodem expreſſerunt, quae haereſeos, magiae et proditionis crimina ipſi adfricabantur: Ignis ſupplicium forti animo An. 1498. aetatis 46. pertulit. Scripſit triumphum crucis, ſiue de fidei Chriſtianae veritate libros IV. it. V. de ſimplicitate vitae Chriſtianae, aliaque partim typis exſcripta, partim adhuc inedita. Defendit eum tanquam inſontem *Io. Picus Mirandulanus*. et *Philippus Cominaeus* ptofetam fuiſſe iudicat. Multu praedixit, ab euentu poſtmodum comprobata. Vid. *Hiſt. Lutheraniſmi a Seckendorf.* p. 119. ſq. it. *Nat. Alex* in Sel Hiſtor. Saec. XV. et XVI. p. I.

(10) Nomen huic *Io. Trosnouius a Trautenau*, *Ziſcae* cogno-

men apud populares obtinuit, quod alterum oculum in praelio amiſiſſet, Thaboritarum Dux famoſiſſimus, ſolo nomine hoſtem multoties in fugam conuertit, collatisque ſignis vndecies victor euaſit, et contra Romanenſes non modo, ſed et in Calixtinos ac Piccardos crudeliſſimum ſe exhibuit, vltra 500. monaſteria ac templa euertit, Huſſitarumque partes formidabiles reddidit, vnde Sigismundus Imp. eum de foedere et amicitia ſollicitauit; priusquam tamen conuenirent, A. 1424. peſte Ziſca extinctus fuit. v. Io. Dan. Koeleri elogium Iohannis de Trocznowa cognomento Ziſkae archiſtrategi Taboritarum formidabilis, Goetting. 1742.

(11) Bellum illud *Huſſitarum* non *Bohemiae* modo, ſed et conterminis *Germaniae* prouinciis admodum funeſtum, prolixius deſcripſit *Aen. Syluius* in Hiſt. Bohem. *Zach. Theobaldus, Schlaccowaldenſis Bohemus*, in Hiſt. belli Husſitici; Langersmann in Polemographia Husſit. it. a Birken l. IV, 6. p. 431. ſqq. Speculi Auſtriaci.

(12) *Piccardi* in *Bohemia* circa haec tempora a quodam e *Piccardia* adueniente dicti, noua moliri, ac plurimorum ſcelerum rei dicebantur, in quos ipſe etiam *Ziſca* ſaeuitiam ſuam exercuit. *Adamitarum* haereſin reſuſcitaſſe ferebantur. Alii ab his fuere, qui Grubenheimer, a foſſis, quibus ſe includere, inibique Sacra ſua colere cogebantur, dicti, illisque varia impingebantur crimina, recte an ſecus, diſpiciant alii. Vid. a *Seckendorf.* in hiſt. Lutheraniſmi p. 95.

(13) Cum initio reſipuiſſe videretur, A. 1499. ad perpetuos carceres fuit damnatus, quos cum euaſiſſet, et in priſtinam non modo dementiam laberetur, ſed et multo peiora, quam antea, effutiret, An. 1512. viuus crematus fuit. *Prateol.* Elencht. haeret. lib. VIII.

(14) *Bohemi fratres* vulgo iis adnumerantur, qui ſectatores *Huſſi* Pontificias ſuperſtitiones abominantes, Dei voluntati conformiter viuere nitebantur: ſed quod multorum criminum praeter verum rei dicerentur, varie eosdem perſequebantur *Calixtini* et reliqui Pontificii. *Lutherus* tamen perſpecta eorum doctrina, laudat eos, tanquam de omnibus fidei articulis non male ſentientes. Conf. a *Seckend.* Hiſt. Luth. p. 276. ſq. *Georg. Conrad. Riegeri* Hiſtorie der Böhmiſchen Brüder, Züllichau 1734. *Io. Amos Comenii* hiſtoria fratrum Bohemorum, Hal. 1702. *Io. Chriſt. Koecheri* fratrum Bohemorum confeſſiones, Francof. 1741.

§. 3.

Concilia hoc Saeculo habita complura, quibus *Pontificia* partim dominatio circumciſa, partim vero ſtabilita fuit. *Papatus* in varia capita erat diſſe-

diſſectus (1), hinc Rex *Galliae* conſentiente *Sorbona* decreuit (2), Gallicanam Eccleſiam nullo iure obſtrictam eſſe, vt Papae pecunias pendat, niſi ad recuperandam terram ſanctam, reducendam *Graecorum* cum *Occidentalibus* concordiam, atque praedicandum omni terrae Euangelium (3). Cum autem nec *Benedictus XIII.* neque *Gregorius XII.* promiſſo ſuo ſatisfacerent, ſuaque abdicatione Eccleſiae halcyonia redderent, *Piſis* (4) coiens Cardinalium *Synodus* vtrumque Pontificem depoſuit, ſurrogato *Alexandro V.* eique breui defuncto *Ioanne XXIII.* quamquam et hoc medio remedii quicquam Eccleſiae haud fuerit paratum (5). Iuſſu igitur *SIGISMVNDI* Imp. *Conſtantiae* in *Sueuia* inſtituitur Concilium (6), quo praeter Pontificem *Ioannem XXIII.* (qui paulo ante et *Romae* Synodum congregauerat, a bubonis ferali cantu inchoatam ac diſſolutam (7) praeſentes fuerunt Cardinales 28. Patriarchae 7. Archi-Epiſcopi 346. et Epiſcopi 600. aliique innumeri, vt diuturnum illud et Chriſtiano orbi infauſtum ſchiſma tandem euelleretur, deque *Huſſi* doctrina et Clericorum reformatione cognoſceretur. Statuit id *Concilium*, Pontificem quemlibet conciliorum ſubiacere autoritati, vi cuius tres Papalis ſedis inuaſores, ipſumque praeſentem *Ioannem* multarum haereſium conuictum (qui, cum depoſitionem metueret, mutato habitu *Conſtantia* exceſſit, at ex fuga retractus, *Manhemii* in carcere detentus fuit, vſque dum ſucceſſoris gratiam ambiens Cardinalitium meruit (8) honorem) depoſuit, ſubſtituto *Martino V.* (9) durauit ad Concilium

1409. 1411. 1414.

lium per quadriennium, promulgauitque inter
1417. alia communionem ſub vna, *non obſtante facto CHRISTI, qui ſub ſpecie vtraque et veſpertino tempore poſt coenam diſcipulis ſuis venerabile Sa-*
1422. *cramentum adminiſtrauit* (10). *Senenſe* (11)
1431. Concilium breui diſſolutum fuit; *Baſileenſe* (12) initium ſumit, *Eugenio IV.* diſſentiente, quo de luxu Eccleſiaſticorum, Huſſiticis aliisue controverſiis ita actum, vt poſt diuturnam diſputatio-
1437. nem calicis in ſacra Euchariſtia vſus Bohemis fuerit conceſſus, annatae damnatae, exactiones, quibus Germania hactenus a Pontificibus exhauſta,
1438. imminutae, *pragmatica* denique *ſanctio* (13) circa Eccleſiaſticorum dignitatem ſtabilita, atque exin in *Galliam* introducta. Quod vero *Eugenius* concilio illi ſubiicere ſe nollet, et de compluribus argueretur vitiis, publice a Concilio citatus, accuſatus et damnatus fuit (14), ſurrogato in eius locum *Amedeo* Duce *Sabaudiae*, qui *Felicis V.* infelici tamen euentu (eremiticae quippe vitae aptior, quam regendae erat Eccleſiae) nomen recepit (15). Eugenius autem *Baſileenſi* opponit *Ferrarienſe* (16), quod ob peſtis dein ſaeuitiam *Florentiam* translatum praeſentem praeter *Pontificem* habuit Imperatorem Orientis, *Ioannem Palaeologum* cum *Ioſepho* Patriarcha *Conſtantinopol.* aliisque Epiſcopis Eccleſiae Graecanicae, auxilia contra Turcarum rabiem ſollicitantem, quo in aliquibus quidem capitibus de Spiritus S. proceſſione, azymis, purgatorio ac Papae Primatu conſenſus inter vtramque Eccleſiam poſt tot Saeculorum diſſenſum videbatur ab aliquibus factus, qui

qui tamen reuerſus domum Graecis ruptus in ſpongiam abiit, vt nec in hodiernum diem Graeca Eccleſia Romanae ſit conſona (17). *Mantuanum* (18) denique per Pontificem *Pium* 1459.
II. Aeneam Syluium Piccolomineum antea dictum, congregatum, Pontificem Conciliis denuo praefixit Dominum, contra, quam in *Baſileenſi* erat ſtatutum, et contra *Turcas* fruſtra exquiſiuit auxilia (19).

Virorum porro de repullulante Eccleſia optime meritorum abunde ferax fuit hoc Saeculum. Nam praeter ſuperius memoratos inſtantem Romanae Eccleſiae Reformationem vatidico Spiritu praedixerunt et optarunt *Nicolaus Clemangis* (20), Doctor *Pariſienſ. Petrus de Alliaco* (21), Cardinalis *Cameracenſis, Io. Geyler Keyſers-* 1478.
bergius (22), Concionator *Argentoratenſis, Nicolaus* Abbas *Panormitanus* (23) aliique plures (24). *Capiſtranus* quoque Monachus *Dominicanus* non ſiluit Pontificum vitia (25): Ex Graecia literae ſuperiori Saeculo aduectae adduxerant quoque in *Italiam Io. Argyropylum* (26); a quo feliciter eas addidicit *Io. Capnio Reuchlinus* (27) alias dictus *Germanus*, in iisdem excelluerunt praeterea *Ambroſius Florentinus, Chryſolorae* auditor, *Rud. Agricola, Nicol. Cuſanus* Cardinalis, *Franc. Philelphus* aliiue (28). Cumque *Academiarum* fructus vbique cernerent Principes, plures hoc Saeculo conſtitutae, vt *Herbipolenſis* in *Franconia* (29), (A. 1402.) *Salmanticenſis* (30) in *Hiſpania*; (A. 1404.) *Lipſienſis* (31) in *Miſnia* (1409.) a *Friderico I.* El. Saxoniae ex *Pragenſi* ob diſſi-

dium illic enatum excitata. *Sanct-Andreana* in *Scotia*; (1411.) *Roſtochienſis* (32) a Ducibus *Megapolitanis* et Senatu vrbico; (1415.) *Louanienſis* (33) in *Brabantia*; (1427.) *Friburgenſis* (34) in *Brisgouia*; (1450.) *Glaſcouienſis* (35) in *Scotia*; (1454.) *Gryphiswaldenſis* (36) in *Pomerania* (1456) *Baſileenſis* (37) (1460.); *Conimbricenſis* (38) in *Luſitania*; (1469.) *Ingolſtadienſis* (39) in *Bauaria*; (1472.) *Tubingenſis* (40) in *Würtenbergiae* Ducatu (1477.) ab *Eberhardo* Barbato, primo *Würtenbergiae* Duce; *Moguntinenſis* (41) (1482.); *Toletana* (42) denique in *Hiſpania* (1499.) (43). Quae praeter Theologos ſupra laudatos dederunt *Eraſmum Roterodamum* (44), *Io. de Turrecremata* (45), *Dionyſium Carthuſianum*, qui in S. Biblia commentatus eſt, *Thomam de Kempis* (46), *Gabrielem Biel* et alios. *ICti* inſigniores fuere *Barthol de Caepolla*, *Io. Schneidewin* (47) et reliquo eruditionis genere
1420. inclaruerunt *Laurentius Valla* (48) Senator Roma-
1460. *nus*, *Nicolaus Perottus* de *Saxoferrato*, Epiſcopus
1480. *Sipontinus*, *Cornucopiae* autor; *Auguſtinus et Ni-*
1490. *colaus Dathi*; *Angelus Politianus*, *Bogislaus de Haſſenſtein*, Baro *Bohemicus*, *Hermolaus Barbarus* Patricius *Venetus*; *Marſilius Ficinus Florentinus*;
1500. *Ambroſius Calepinus et Petrus Crinitus* (49). Et
1420. qui *hiſtorica* praecipue ſtudia ſectati ſunt *Poggius*
1430. *Florentinus*, patriae hiſtoriae; *Flauius Blondus Foroiul.* Romanae conditor; *Donatus Acciaiolus* Plutarchinae translator; *Io. Iouianus Pontanus*, *Neapo-*
1470. *litanae* autor; *Bartholom. Platina* (50) Pontificis Secretarius, a *Paulo II*, carceri mancipatus, a

ſucceſ-

ſucceſſore vero vinculis exemtus; *Philippus Co-* 1480.
minaeus (51); *Alexander ab Alexandro*, *Georgius Merula*, *Pomponius Laetus*; *Hartmannus* 1490.
Schedel (52), *Iacobus Philippus Bergomenſis*, *Philippus Callimachus*, *M. Antonius Sabellicus* (53), *Robertus Guagninus* (54); *Io. Nauclerus* (55) prae- 1500.
poſitus *Tubingenſis*, *Ioannes Trithemius* (56), Abbas *Sponheimenſis*, *Albert. Kranzius* (57) Canonicus *Bremenſis*; *Raphael Volaterranus*, *Polydorus Virgilius* (58) *Anglus*, *Wernerus Roluinckius* (59) *Weſtphalus*, autor faſciculi temporum, et *Antonius Bonfinius* (60), quorum nonnulli etiam ſequenti ſuperfuerunt Saeculo (61). *Mathematica* excolere ſtudia coeperunt *Georgius Purbach*, *Io. Regiomontanus*, *Io.* et *Franciſcus Picus Mirandulae* Comites (62) et *Poëtica* prae ceteris tractarunt *Baptiſta Mantuanus* (63), *Sannazarius*, atque alii (64). Huic autem literatorum multitudini non parum inſeruiit nobiliſſimum *Typographiae* (65) 1440.
hoc Saeculo inuentum, de cuius tamen loco natalitio non adeo conueniunt *Autores*, cum *Moguntiae* eam quipiam, *Harlemo* alii, alii *Argentorato*, et odio in *Germanos* nonnulli *Chinenſibus* addicant. Certum hoc, circa medium fere huius aeui artem iſthanc excogitatam, et rudibus primo initiis exercitam fuiſſe. *Bibliothecarum* porro ingens conditus numerus, vt *Vaticana* a *Nicolao V.* Roman. Pontif. *Londinenſis*, *Heidelbergenſis*, quae vero noſtro hoc Saeculo *Romam* delata, et non ſine ingenti literariae rei damno in *Vaticanam* fuit ſepulta. *Ordines* his temporibus rarius inſtituebantur. *Albati* (66) circa initium 1401.
Saeculi

Saeculi a quodam Presbytero in Italia magno colligebantur numero, albisque induti veſtibus Eccleſiae emendationem flagitabant, inde Presbyter ille a Pontifice *Viterbii* fuit crematus. Ordo
1494. mulierum *poenitentium* (67) quoque *Lutetiae* fuit exortus, vtut eum quidam faciant antiquiorem.

(1) Initia ſchiſmatis illius grauiſſimi vidimus iam ſup Saeculo n. 8. § 2. *Bonifacium IX.* qui excepit, *Innocentius VII*, ante electionem itidem promiſerat, ſe pacis cauſa Pontificatui reſignaturum, ſi *Benedictus XIII.* idem faceret, at neuter id praeſtitit: excepit illum *Gregorius XII.* ſub pari vinculo, cui tamen iam factus Pontifex obſtringi nolebat; et quamquam cum *Benedicto* conuentum, ad tollendum ſchiſma, prae ſe ferret, neque tamen eum ſerio expetiit, ſed in Papatu potius perſeuerare maluit, quam ab eodem recedere: hinc etiam cum *Benedicto* clam colludere credebatur a Cardinalibus, qui demum manum malo medicam adhibere neceſſarium ducebant.

(2) Omnino Eccleſia Gallicana antiquam libertatem ſtrenue defendebat, et ſancita olim a *Ludouico ſancto*, A. 1406. et ſqq. conſentiente Acad. *Pariſina*, confirmabat.

(3) Vid. *Nic. Gilles* in Chron. Gall. dicto anno et ſqq.

(4) Synodi huius acta *Edmundus Richerius* in hiſtoria Conciliorum generalium exhibet. *Rupertus*, qui tum erat Imperator, *Gregorii* cauſam ſuſtentare per legatos moliebatur, ſed Cardinales reluctabantur, Conciliumque vniuerſale ſupra Papam eſſe ſtatuebant; it. Seſſ. XVI. decernebant, Concilium a futuro Pontifice non prius diſſoluendum, quam ſufficienter Eccleſia fuerit reformata in capite et membris. Seſſione tamen XXII. eandem in aliam triennio poſt habendam Synodum differebant. Concilium hoc *Bellarmino* aliisque Rom. curiae paraſitis haud placet, quod Papae autoritatem Concilio minorem faciat Vid. *Korth.* pag. 644. *Schilter.* de libertate Eccleſ German. p. 774. ſqq. *Edm. Richer.* l. II. hiſtor. Concil. generalium. *Piſis* electus *Alexander V.* obiit A. 1410 v *Iac. Lenfant* hiſtoire du Concile de Piſe et de ce, qui s'eſt paſſé de plus memorable depuis ce concile juſqu'au concile de Conſtance, enrichie des Portraits, Amſtel. 1724.

(5) *Bononiae* poſt mortem *Alexandri* conuenerant Cardinales, vbi *Balthaſar de Coſſa* Cardinalis et legatus erat Pontificius, qui, cum a ceteris in Pontificem propoſiti non placuiſſent, ſibi ipſi Petri chlamydem impoſuit, ſeque ita Pontificem declarauit, atque *Ioan. XXII.* vel *XXIII.* adpellauit. Ita triceps erat Eccle-

Eccleſia, *Benedicto XIII. Georgio XII.* et *Ioan. XXIII.* ſe pro Pontificibus genuinis vendicantibus.

(6) Indixit Synodum hanc *Ioannes XXIII.* P. R. An. 1413. quae anno ſequ. inchoata, et ad A 1418. continuata fuit, habitis XLV. Seſſionibus: referunt alii, eidem interfuiſſe Cardinales XXIX. Patriarchas IV Epiſcopos vero omnium nationum CCVII. tantamque hominum multitudinem adfuiſſe, vt ad 99000. adſcendiſſe crederentur. *Wiclefus* in eadem damnatus, *Huſſus* vero contra datam fidem cum *Hieronymo Pragenſi* crematus fuit; praeterea decretum, quouis deinceps decennio Synodum eſſe habendam: item reformationem Eccleſiae et curiae Romanae in capite et membris ſuſpiciendam, antequam finiretur Synodus, cuius articuli ſcripto iam erant concepti. Vid. *Acta illius Synodi:* it *D. Schilter* l. c. p. 785. ſqq. Adde *Edm. Richerii* hiſtoriam Conciliorum generalium l. II, 3. *Em. a Schelſtrate* Acta ei. Conc. et contra hunc *Lud. Maimburg.* in Tr. de inſtitutione et praerogatiua Eccleſiae Rom. c. XX. et ſqq. *Natal. Alex.* in ſel. H. Saec. XV. et XVI. P. II. diſſ. IV. et V. *Herm. von der Hardt* magnum concilium Conſtantienſe ex MSS. erutum, Frf. 1700 *Iac. Lenfant* hiſtoire du Concile de Conſtance, tirée principalement d'Auters, qui ont aſſiſté au Concile, Amſtel 1714. rec 1728.

(7) Factum id ſcribitur An. 1411 referente *Nicolao de Clemangis* apud *Wolfium* Lect. Mem. T I, p. 765.

(8) Quomodo ex Concilio clam aufugerit, prolixius exhibet *Sigism. a* Birken im Spiegel der Ehren des Erzhauſes Oeſterreich p 439. ſq. Concilio poſt redditus et ab eodem depoſitus, in coenobio *Augiae diuitis* initio adſeruabatur, poſt *Ludouico Com. Palatino* traditus in cuſtodia *Manheimenſi* arctiſſima detinebatur, ſolis *Germanis*, neque *Latine* neque *Italice* loqui callentibus ipſi miniſtrantibus. Tandem Pontificis gratiam ambiens Cardinalis et Epiſcopus *Tuſculanus* factus eſt.

(9) Fuit hic *Romanus* e *Columnenſium* familia Princeps, ſub quo ſchiſma poſt mortem *Benedicti XIII.* qui ad finem vſque vitae Pontificium nomen retinuit, tandem deſiit.

(10) Verba Synodi Seſſione XIII ita habent: *Concilium generale Conſtantienſe definit, quod, licet Chriſtus poſt coenam inſtituerit, et ſuis diſcipulis adminiſtrauerit ſub vtraque ſpecie panis et vini hoc venerabile ſacramentum, tamen hoc non obſtante, ſacrorum Canonum autoritas laudabilis, et adprobata conſuetudo Eccleſiae ſeruauit et ſeruat, quod huiusmodi ſacramentum non debet confici poſt coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis, a iure vel eccleſia conceſſo vel admiſſo. Et ſicut haec conſuetudo ad euitandum aliqua pericula et ſcandala eſt rationabiliter introducta, quod, licet in primitiua Eccleſia huiusmodi ſacramentum reciperetur a fidelibus ſub vtraque ſpecie, poſtea a conficientibus ſub vtraque, et a laicis tantummodo ſub ſpecie panis ſuſcipiatur; cum firmiſſime*

miſſime credendum ſit, et nullatenus dubitandum, integrum Chriſti corpus et ſanguinem, tam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini veraciter contineri. Vnde cum huiusmodi conſuetudo ab Eccleſia et B. Patribus rationabiliter introducta et diutiſſime obſeruata ſit, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiae autoritate pro lubito mutare.

(11) Synodo *Senenſi* ad Praeſcriptum Concilii *Conſtantienſis*, a Pont. *Martino* inſtituta, *Papiae* quidem inchoata, ſed peſtis cauſa *Senas* translata, vnio Eccleſiae *Orientalis* cum Occidentali denuo tentabatur, miſſo a Pontifice in Orientem legato, ſimul bellum in *Bohemos Huſſitas* decernebatur, ac plenaria peccatorum remiſſio ituris ad illud promittebatur: eccleſiae autem reformatio, ad quam adeo aegre procedebant Pontifices, in ſequentem iterum Synodum reiiciebatur.

(12) *Baſileenſis* Concilii hiſtoriam exhibent *Chriſtoph. Vrſtiſius* in Chron. Baſileenſi, et epitoma; it. *Aen. Syluius* in Baſilea. Adde *Natal. Alex.* Theolog. Sorbon. in ſelectis Hiſtor. Saec. XV. et XVI. diſſ 8. *Edm. Richerium* Doct. *Sorb* hiſt. Concil. gener. lib. 3. *Iac. Lenfant* hiſtoire de la güerre des Huſſites et du Concile de Basle, Amſtel. 1731. Suſcipiebant hac Synodo Patres extirpationem haereſium, vnionem Eccleſiarum, virtutis Chriſtianae promotionem, bellorum inter Chriſtianos compoſitionem, Eccleſiae in capite et membris reformationem, et Eccleſiaſt. diſciplinae reſtitutionem, confirmabantque decretum, Pontificem ſubeſſe Concilio, nec poſſe hoc transferre aut diſſoluere. Immaculata hic *B. Mariae* conceptio fuit decreta, eamque neque originali, neque actuali vnquam peccato ſubiectam fuiſſe adſertum. Haec quoque Synodus Eccleſiae poteſtatem eſſe voluit, Chriſti legem interpretandi et mutandi. Coram eadem *Bohemi* communionem ſub vtraque, liberam verbi diuini praedicationem, poteſtatis Politicae a religioſis ademtionem, et craſſiſſimorum peccatorum per grauiora ſupplicia coërcitionem, per legatos conſtantiſſime vrſerunt, quapropter Synodus ſuos in *Bohemiam* legatos amandauit, qui illorum confirmationem promiſerunt, calicisque tandem vſum *Bohemis* permiſerunt, cum *Sigismundus* Imp. edictum hoc in lingua Lat. Germ. Bohem. et Hung. promulgari curaret: *Bohemos communicantes ſub duplici ſpecie panis et vini eſſe legitimos et Germanos Catholicae Eccleſiae filios*, atque ita *Compactata* cum *Bohemis* inita fuerunt, ex quibus tamen inteſtina inter ipſos *Bohemos* orta diſſidia omnem eorum vim infregerunt. Vid. *Schilt.* loc cit. pag. 791. ſeq.

(13) *Carolus VII.* R. *Franc.* a Synodo *Baſileenſi* rogatus, vt decreta Synodi in regno ſuo tueretur, lubentisſime id fecit, qua de cauſa *ſanctionem* illam *Pragmaticam* in vrbe *Biturigum* edidit, quam poſtea Pontifices *Pius II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI.* et *Iulius II.* liuidis adſpexerunt oculis, vſque *Leo X.* multum illi derogauit indulgente R. *Franciſco.*

In

In *Germania* vero Imp. et Ordines neutrales ſe in illo inter Concilium *Baſileenſe* et *Eugenium* disſidio exhibuerunt, tandemque promouente Imp. *Friderico IV. Nicolaum V. Eugenii* ſucceſſorem, pro genuino Pontifice agnouerunt, qui *Concordata nationis Germanicae* condidit, et per modum conſtitutionis edidit, non, vt fieri debuiſſet, per modum pacti et transactionis ab vtraque parte roboratae.

(14) Ab initio ſtatim, quod ſe a Patribus Concilii coërceri viderent, *Eugenius* de transferendo *Baſil.* Concilio conſilia agitavit, imo emiſſa propterea bulla id in effectum dare conatus fuit. Cum autem Patrum *conſtantiam* et *Sigismundi* potentiam cerneret, abrogata illa, acta Synodi confirmauit. Poſt mortem autem *Sigismundi* cum pergeret Synodus Pontificiam poteſtatem circumcidere, liberatus metu Imperatoris *Eugenius Ferraram* initio Concilium tranſtulit, inde *Florentiam* promouit, quod noui ſchiſmatis cauſa fuit; vnde Seſſ. XXXIV. *Baſileenſes Eugenium* tanquam contumacem, Synodi violatorem, vnitatis Eccleſiaſticae perturbatorem, Simoniacum, periurum, ſchiſmaticum, a fide deuium, iurium et bonorum Eccleſiae perditorem depoſuerunt.

(15) Viduus hic fuit, et ex eremo *Baſileam* ad capeſſendum Pontificatum ductus, cum ante illius electionem in Concilio diſceptaretur, vtrum viduus in Papam eligi poſſet, et decideretur, non viduum modo, ſed et coniugatum creari poſſe Pontificem.

(16) *Ferrariae* initio conuenerat cum adſeclis *Eugenius*, vbi 16. habitae fuere Seſſiones, poſt ingruente peſte *Florentiam* conceſſit, tamque in locum aduenientibus *Graecis* commodiorem. *Ioannes* enim *Palaeologus* Imp. Orientis, pro ſollicitandis ab Occidentalibus contra Turcas auxiliis iter ſuſceperat, altuque *Eugenii*, dubius, an ipſi vel *Baſileenſi* Concilio accederet, *Florentiam* magnis pollicitationibus traductus fuit. Edidit eius hiſtoriam ex *Sylueſtri Sgueopuli*, qui Concilio interfuit, Commentario *Robertus Creygthonus Anglus*, cui Leo *Allatius* quidem ſe oppoſuit, at minus valde. De eod. Conc. vide *P. Nat. Alex.* Hiſt Eccl. ſelecta capp. Saec. XV. et XVI. p. 3. et 4. diſſ. VIII. Magnorum ſubſidiorum impetrandorum ſpe *Graeci* hic lactati conſenſerunt *Latinis* in dogmatibus de proceſſione Spiritus S. a Patre et Filio, quamquam ipſorum arbitrio relinqueretur, vtrum TO *Filioque* Symbolo adiicere vellent, nec ne? it. de purgatorio, Papaeque primatu, et permittebatur ipſis, S. Euchariſtia in fermentato pane vti. Subſcripſerunt actis praeter Imperatorem Orientis *Ioſephus* Patriarcha *Conſtantinopolitanus* a *Beſſarione* perſuaſus, cum reliquis Epiſcopis Graecis, praeter *Marcum Epheſiuum*, quamquam in *Graeciam* reuerſi conuentis in *Italia* amplius ſtare noluerunt. Pontificii Dominatus adſertores hoc Concilium volunt vniuerſale fuiſſe, propter Imp.

Conſtan-

Conſtantinopolitani praeſentiam. *Galli* tamen et alii vniuerſalis denominationem *Baſileenſi* potius tribuunt.

(17) Quicquid etiam *Leo Allatius* de conſenſu Eccleſiae Orientalis cum Occidentali fruſtra fingat.

(18) Anno 1459. hoc Concilium inſtitutum, pro confirmanda denuo Pontificum autoritate, et infringenda Conciliorum poteſtate. *Aeneas* enim *Syluius*, adhuc *Concilii Baſileenſis* notarius, poſt Imp. *Friderici IV.* Secretarius, in dicto Concilio notabilem ediderat tractatum, pro autoritate eiusdem contra Pontificem. Verum iam Pontifex factus totus a ſemet mutatus, in Concilio illo decreuit, nemini a Pontifice ad generale Concilium prouocandi ius eſſe. In tantum ſcilicet tiara Papalis eius mentem inuertere valebat.

(19) Iungi Conciliis dictis poſſunt Conuentus *Francofurtenſis*, *Moguntinus et Noribergenſis*, quibus proceres Imperii Concilii *Baſileenſis* decreta initio confirmarunt et adprobarunt. *Friſingenſis Iudaeis* inhibet paſſionis Dominicae tempore prodire in publicum A. 1440. *Hieroſolymitana* A. 1443. vnionem *Graecorum* cum *Latinis Florentiae* initam reiecit. *Toletana* A. 1473. cleri mores reformat.

(20) *Gallus* natione alias *Nicolaus Nicolai*, a patria *Clemange* dictus, *Baiocenſis* Archidiaconus et *Pariſ.* Theologus de corrupto Eccleſiae ſtatu, lapſu et reparatione iuſtitiae, it. nouis feſtiuitatibus non inſtituendis, aliaque ſcripta egregia reliquit.

(21) Cuius ſup. Saec. n. 23. §. 3. facta mentio. vid. *Wolf.* T. I. L. M. p. 756. ſqq.

(22) *Io. Gatler* alias nuncupatur, vir pius et eloquens, magno quoque zelo vitia taxauit, ſeque reformationis cupidum oſtendit.

(23) *Nicol. Panormitanus Abbas, Card. a Syluestro Prieriate* vt rebellis et ſchiſmaticus falſo fuit declaratus, qui *Baſileae* pileum iniquitatis meruerit.

(24) Magno noſtro hic accenſeri poſſent alii, ſed breuitati ſtudendum. *Aeneas Syluius* multae eruditionis vir, *Baſil.* Concilii notarius, inde Papae *Felicis V.* ac demum *Friderici IV.* Imp. Secretarius, huiusque commendatione Epiſcopus *Senenſis*, atque a Pontifice *Calixto III.* in Cardinalium numerum adoptatus, illi in Pontificatu ſucceſſit, ſub nomine *Pii II.* eaque omnia, quae in Concilio pro libertate eius contra Papae dominatum liberiore ſtylo ſcripſerat, quod ſuae iam dignitati haud conuenirent, reuocauit in hiſtoria Bohemica, dictique Concilii, aliisue ſui ſaeculi memorabilibus recenſendis admodum operoſus. *Alphonſus Toſtatus* Hiſpanus Epiſcopus *Abulenſis*, vir multae ſcriptionis. Commentariis in Pentateuchum, Ioſuam, libros Regum, Matthaeum, etc. clarus: *Dionyſius de Richel Carthuſianus* itidem Commentarios in omnes fere ſcripturarum libros dedit. *Ioann. Gerſon Cherlierius, Pariſ.* Acad. Cancellarius, in Syn. *Conſtantienſi* pro extinguendo ſchiſmate multum laborauit:

vit: variis libris etiam cleri vitia inſectatus fuit, Romana dogmata non omnis adprobauit, Eccleſiaeque reformatio eum valde vrſit, a Pontifice propterea infeſtatus, fortunisque ſpoliatus extra dignitatem *Lugduni* in exilio obiit: Scripta eius varia et multa, quod Rom. curiae non ſaperent, Card. *Bellarminus* recenſione ſua indigna iudicauit. Liber de Imitatione Chriſti ipſi a nonnullis adiudicatur *Io. ab Oldencaſtel Anglus*, eques auratus, Monachorum et ſacerdotum Sodomiam ſcripto impugnauit, malam eorum gratiam propterea expertus, vtpote quorum inſtinctu catenis ſuſpenſus in igne vitam finiit. *Io. Purneus* itidem Anglus, *Wiclefi* egregius defenſor, carcerem et tormenta ideo paſſus; Commentario in Apocalypſin, Pontificem Anti-Chriſtum eſſe docuit. *Io. Picus Mirandulanus, Comes Mirandulae et Concordiae*, ingenii prodigioſi, et in omni literaturae genere ad ſtuporem vſque exculti, itidem haereſeos ſuſpicionem incurrit, Commentario Heptapli in I. caput Geneſ. aliisque ſcriptis inſignis, in ipſo aetatis flore, anno 33. obiit. *Laurentius Iuſtinianus Venetus*, de officio paſtorali, complanctum item Eccleſiae ſcripſit. *Nicaſius* coecus in *Brabantia Werdae* natus, ſtudiis ſuis magnum ſibi lumen comparauit, Magiſter, Licentiatus ac tandem Sacerdos et Doctor creatus in Academiis ſumma auditorum admiratione ius docuit; obiit An. 1499. *Nicolaus Cuſanus, Germanus, Decanus Confluent. S. Florini*, quem *Nicolaus V.* in ordinem purpuratorum adſciuit, libris de Concordia Catholica, de Eccleſiae Rom. et Conc. autoritate agit, Conciliaque ſupra Papam eſſe prolixe defendit, reformationem item Eccleſiaſticam vt neceſſariam exegit; quamquam poſt Cardinalis ſtylum in contrarium mutauerit. Conf. *Schilter.* p. 795. *Nicolaus Tudeſch* itidem pro *Baſileenſi* Concilio contra *Eugenium* ſcripſit, quem *Felix V.* Cardinalem declarauit. *Thom. Redon* Gallus, *Carmelita*, iuſſu *Eugenii* exuſtus, quod reformationem inſtantius vrgeret. *Tilemannus Minorita Groningenſis* ſoli Chriſti merito innitendum, indulgentias autem et ſimilia meras nugas eſſe agnouit. *Waltherus Hilton, Carthuſ. Angl.* cui opus de imitatione Chriſti aeque ac *Th. Kemp.* et aliis adſcribitur. *Weſſelus Groning.* cognomine *Ganſewoitz lux mundi* cognominatus, multas in *Heidelbergenſi* Acad. cum Monachis et clero concertationes habuit, quod recepta dogmata reiecerit, et futuram breui reformationem praedixerit, *a Seckendorf.* Luth. l. I. p. 226. ſq. Apud *Graecos* vero memorantur *Beſſarion* Archi Epiſcopus *Nicaenus*, magnam vniendae Graecorum cum Latina Eccleſiae nauauit operam, magnis inde honoribus a Rom. Pontificibus mactatus. *Simeon Graecus* Archi-Epiſcopus *Theſſalon.* contra cum Rom. Eccleſia haud quaquam conſenſit. Scripta eius *Iac. Goar* in Rituali ſuo edidit. *Syluester Sguropulus* Diaconus *Conſtantinopolitanus* ſtrenue quoque pro Graecis contra Latinos in Synodo *Florentina* pugnauit, eiusque hiſtoriam conſignauit.

(25) *Sileſius* Papam errare poſſe, libere profeſſus fuit, Cabaliſticis praedictionibus ſtudioſus: Faciunt alii eum Monachum *Franciſcanum*.

(26) Magnum ad literarum παλιγγενεσίαν pondus addidit Pontifex *Nicolaus V.* literarum fautor et promotor optimus, it. *Laur. Medices*, Princeps *Florentinus*, qui profugos ex *Graecia* viros doctos ambobus amplexi, Graecis Muſis hoſpitium conceſſerunt.

(27) *Phorcenſis* fuit, diſcipulus *Io. Nancleri* ab *Hermolao Barbaro* Graeco nomine *Capnio* dictus, celebris ICtus et Polit. qui *Baſileae* auditor fuit *Andronici Contoblacae*, *Pariſiis Georgii Hermonymi Spartiatae*, *Romae Argyropuli Byzantini*, *Florentiae et Mediolani* denique *Demetrii Chalcondylae*, quam dein linguam ſororis ſuae filium *Philippum* Schwarzerd ab eodem *Melanchthonem* dictum docuit, atque ita *Germaniae* eius notitiam intulit. *Ebraicam* autem linguam a *Iacobo Iebal Ioans*, *Abdia F. Iacobi* aliisque Rabbinis itidem addidicit, atque hoc modo vtriusque linguae in Germania reſtaurator et quaſi parens dici meretur, de quo ſeq. Saeculo plura.

(28) Iam tum plures Graecarum literarum Profeſſores numero praeced. memorati fuerunt. Adde *Theod. Gazam*, qui *Ariſtotelis* opera immenſo labore et ſumtibus Latio donata, Pontifici *Paulo II.* dedicauit, a quo cum XII. tantum ducatos honorarii loco accepiſſet, vilitatem turpemque ingratitudinem deteſtatus, eos in *Tiberim* proiecit, vltimamque partem igni adiudicauit.

(29) Autore *Ioanne* Epiſcopo, quam *Iulius* Herbipol. Epiſcopus ſuperiore Saeculo reſtaurauit.

(30) Dubii ortus eſt, cum quipiam eam longe antiquiorem faciant Florentiſſima inter praecipuas orbis Academias fuit, inter cuius ſtatuta et hoc, neminem priuilegiis eius frui poſſe, niſi per annum duas quotidie praelectiones audiret, et tunc matriculae Vniuerſitatis adſcriberetur.

(31) Occaſionem eius inſtituendae dedit *Io. Huſſus*, non modo noua, vt putabatur, ſua doctrina, ſed et quod *Germanos* contra leges Academiae *Pragenſis*, duobus ſuis votis ſpoliaret, eaque in *Bohemos* transferret, illis vnico tantum relicto. Vnde vna die 5000. *Germanorum* iuxta *Cuſpinianum*, vel 2000. iuxta *Cranzium Praga* exceſſerunt. Vid. *Io. Frid. Franci* Orat. de origine, incrementis et fortuna Acad Lipſienſis.

(32) *Martinus V.* Pontifex priuilegia indulſit. Saepe iterumque haec ob ciuium tumultus *Gryphiswaldum* translata, demum etiam parte priuilegiorum ſpoliata fuit: A. 1419 publice introducta.

(33) *Ioanni* Duci ſua debet incrementa, et *Martino V.* R. P. priuilegia, *Iuſtus Lipſius* ad inuidiam vſque eam extulit, in *Lovanio*.

(34) Autorem habet *Albertum Auſtriacum*, qui primos Profeſſores *Vienna* euocauit: *Vdalricus Zaſius* magna cum laude ibidem

dem

dem docuit. Principia illius illuſtrauit *Ioan. Pfeffer* de *Widenberg*, Theologus *Francus:* vltimis belli Gallicani inſultibus multa paſſam fuiſſe, vero admodum eſt ſimile.

(35) Sub *Iacobo II.* R. *Scotiae* coepit, autore *Turnbullo* loci praeſide.

(36) *Wartislaus IX.* Dux *Pomeran.* eandem conſiliis *Hemingi* vel *Henrici Rubenonii* Conſulis ac primi Rectoris fundauit; priuilegiis *Fridericus IV.* Imp. et *Calixtus III.* Pont. dotarunt. Saeculo ſup. A. 1547. a *Philippo* Duce *Pomer.* reſtaurata.

(37) *Pius II.* eandem occaſione Concilii *Baſileenſis* inſtituit: primus ibi Rector *Georgius ab Audlo Canonicus* fuit.

(38) *Ioannes III.* R. *Portugall.* excitauit, opera *Andr. Goneani* Theologi, *Nic. Gruchii* Philoſophi, item *Georgii et Patricii Buchananorum Scotorum.* Colonia quaſi *Lutetienſis* et *Burdegalenſis* Academiarum eſt.

(39) Ex *Viennenſi* haec orta, luculentisque priuilegiis a *Pio II.* ornata fuit. *Gregorius Zuiugel.* primus Rectoratum obiit: multum a *Bauariae* Ducibus exculta.

(40) Rectore primo *Io Vergenhans*, ſiue *Nanclero*, Decretalium Doctore, S. crucis die inſtituta. Priuilegia impetrauit a *Friderico IV.* et *Sixto IV.* Pont. *Gabriel Biel* director fuit Profeſſorum et lectionum.

(41) Per *Dietherum* ab *Iſenberg*, Archi Epiſcopum coepta.

(42) A *Bernardino Sandenaſtio* inſtituta, in qua *Aluarus Gometius* multos annos linguam Graecam docuit.

(43) Enumeratis adiici poſſent *Aberdonenſis* in *Scotia* a *Wilhelmo Elphinſtonio* auſpiciis *Iacobi III.* R. A. 1480. fundata, quamquam alii antiquiorem reddant, cui *Hector Boëthius* multum lucis dedit. *Cadonenſis* in *Normannia* An. 1418. vel 1431. inchoata, ab *Henrico V. Angliae* Rege. *Dolana* in *Burgundia* circa A. 1426. (al. 1484.) ſua debet auſpicia *Philippo Bono Burg.* Duci, primum habuit Rectorem *Bernhardum Roillerum.* *Florentinam Coſmus Medices* A. 1438. reddidit florentiſſimam, euocatis e media Graecia viris doctiſſimis, quam filius *Laurentius* poſt magis magisque excoluit et ditauit. *Hafnienſis* ſiue *Copenhagenſis* A. 1478. *Chriſtiano I.* Regi *Daniae* adſcribitur, qui fundationem coepit, quam *Ioannes* filius et ſucceſſor autoritate *Sixti IV.* continuauit, quamquam alii recentiorem faciant, et in ſequens Saeculum ad *Chriſtianum III.* et A. 1539. primordia eius reiiciant; ſed ab hoc dici poteſt reſtaurata potius, quam nouiter fundata. *Londinenſis* liberalitate *Ioannis Coleti* coepit An. 1489. ſub *Henrico VII.* Rege. Floruerunt hic *Thomas Linacer*, *Th. Morus*, *G. Lilius*, et complures alii. *Pictauienſis* in Ducatu *Auerniae* per *Carolum VII.* R. *Gall.* A. 1430. introducta, atque ab *Eugenio IV.* priuilegiis aucta fuit. *Io. Capnio* hic Profeſſorem egit, it. *Chriſtoph. Longolius*, *Sant-Andreanam* in *Scotia* R. *Iacobus I.* ex *Anglicano* carcere, in quo ab Aulico ſtrepitu remotus, bonas literas addidicit, reuerſus

inſtituit A. 1411. variiſque beneficiis exornauit, et praeſtantiſſimam reddidit.

(44) Huius recenſionem ſeq. ſaeculo referuamus.

(45) Scripſit in Pſalmos *Dionyſium* vid. ſup. num. 24.

(46) Fuit *Belga* et *Canonicus Regularis*, libris 4. de imitatione Chriſti clarus, quamquam alii *Io. Gerſen* ord. Benedict. *Abbati Vercell.* eosdem adſcripſerint. *Kempiſio* tamen vindicauit *P. Heribertus Rosweydus*; cum *Bellarmino* et *Naudaeo*.

(47) Adiice *Angelum Aretinum, Barthol. Caepolam, Franc. Zabarellam, Guid. Papam, Ioan. Bapt. Caccialupum, Io. de Immola, Io. de S. Romano, Lancellotum, Nic. Panormitanum, Paulum de Caſtro, Petrum Mauroccenum, Phil. Cornaeum* aliosque, magno numero; ex quo *Ioan. Petrus Ferrarienſis, Gregor. Heimburg, Martinus Meyer*, Cancellarius *Mogunt.* magni Pontificum hoſtes fuere, eorum fulmina flocci facientes.

(48) Primus hic donationem *Conſtantini M* figmentum eſſe demonſtrauit. Vid. *Wolf.* p. 746.

(49) Horum omnium ſcripta videri poſſunt in variis Scriptorum ac Eruditorum Iudicibus, it. in *Ant. Varillaſii* Anecdotis Florentinis, et *Hofmanni* Lexico Vniuerſali.

(50) *Bartholomaeus* hic (non Baptiſta) *Sacchus* vel *Saccus* a patria *Platina* dictus, per Papam *Pium II.* adbreuiator ſiue Secretarius factus, in odium *Pauli II.* incidit, qui eund. diro carceri mancipauit, e quo vix fuit erutus. Varios edidit libros. Eius hiſtoria Pontificum iuſſu *Sixti IV.* ſcripta ab hodiernis Romanis Scriptoribus adſenſum vbique non meretur, quod Pontificum vitia liberiore calamo detexiſſet. Hoc ei Epitaphium poſitum legitur:

Cognomen Piadena dedit, cruciantia fata,
Munera cum fama morteque Roma tulit.

(51) Nobili hic genere natus initio apud *Carolum Burg.* Ducem fuit, poſt ad *Ludouicum XI. Galliae* R. ſe contulit, qui illius opera ſummis in negotiis vtebatur. Scripſit Commentarios ſui temporis libris X. it. de bello Neapolitano lib. V. eoque Autore Imp. *Carolus V.* adprime fuit delectatus.

(52) Autor Chronici, *Noribergae* A. 1493. publicati: incepit ab O. C. ad An. dictum, quem *Nauclerus* dein vberius diduxit.

(53) *M. Anton. Coccius Sabellicus* inſigne nomen meruit Enneadibus XI. ab O. C. ad A. 1504. it. libris 33. de rebus geſtis Venetorum.

(54) Annalium rerum Gallic. autor libris XI. quorum ſupplementum *Hubertus Vellerius* adiecit.

(55) Chronici a M. C. ad A. 1500 autor, in quo perpoliendo *Phil. Melanchthon* operam poſuit; in duos diuiſum libros eſt, quorum prior continet 63. generationes, ab Adamo ad Chriſtum, poſterior 51.

(56) Ab-

(56) Abbas initio *Sponheimenſis*, poſt *Würzburgenſis ad S. Iacobi*, artis Steganographicae autor, et propterea a nonnullis necromantiae accuſatus, quamquam ſemetipſum non modo, ſed et alii eundem defenderunt. Sereniſſ. Brunſuic. Dux *Auguſtus* ſub *Guſtaui Seleni* nomine ſub tit. Syſtematis Crypto graph. denuo publicauit. Vid. *Paullini* zeitkürzende Luſt T III. p. 29. ſqq. Polygraphiam idem autor et libros de illuſtribus Benedictinis, ſcriptoribus Eccleſiaſticis, et Chronica Hirſaugienſe ac Sponheimenſe reliquit, quorum illud incipit ab A. 830, et deſinit A. 1370. quamquam alii velint ad An. 1515. productum: Hoc ab An. 1044. ad 1511. Vid. *Wolfgang. Ern. Heidel.*

(57) Fuit Theol, Prof. et Collegii *Hamburg.* Decanus; ſcripſit Metropolin ſiue Hiſtoriam Eccleſiaſticam de Eccleſiis *Caroli M.* aetate inſtitutis et inſtauratis; praeterea *Saxoniam* de Saxonum gentis vetuſta origine, longinquis expeditionibus ſuſceptis, et bellis domi pro libertate diu fortiterque geſtis, item Vandaliae ac Daniae, Sueciae ac Noruegiae hiſtoriam ſtylo ſuo expoſuit. Obiit An. 1517. et de *Lutheri* conatu inaudiens eum irritum fore credidit.

(58) Hiſtoriam Anglicanam reliquit, et l. 8. de Inuentoribus rerum.

(59) De *Laër Carthuſianus* origine *Weſtphalus:* fuit quoque Paſtor *Hofenſis* ſiue *Curienſis* in *Voitlandia*, vt ex faſciculo temporum patet, quem ab initio mundi ad ſuam vſque aetatem pertexuit, ad An. 1486. continuauit poſtmodum *Ioan. Linturius*, itidem paſtor *Curienſis*.

(60) Vngaricarum rerum ſcriptor.

(61) Horum et aliorum vberiorem mentionem faciunt *Voſſius* de Hiſtoricis Latinis, it. *Zeilerus* libro, quem inſcripſit Hiſtorici, Chronologi et Geographi celebres. Pertinent ad hos *Fl. Blondus*, *Italus*, Decadum III hiſtoriae, et Romae illuſtratae VIII, libris autor. *Engelbertus Wuſterwiz* clericus *Brandenburg.* reliquit Chronic. Marchiticum. *Io. Annius Viterbienſis* praedicatorum ordinis, Profeſſor et S. Pol. Magiſter, praeter Comment. in Pſalmos 17. libros edidit Antiquitatum, quarum tamen autores ipſe ex ſuo cerebello effinxit. *Theodoricus a Niem*, Pontificum aliquot Secretarius, eorum artes vafras ſilentio haud praeteriit. E *Graecis Georgius Phranza Byzantinus*, hiſtoriam Byzantini Imperii dedit ab A. 1260. ad 1476. libris quatuor.

(62) Adde *Ioan. de Lignano Mediolan.* Aſtrologum inſignem, de quo vide *Wolf.* p. 796.

(63) Vitae hic ſeueritate, morumque ſanctitate clarus, diſciplinarum omnium ſcientiſſimus fuit. Suis carminibus quam ſibi multa in Rom Eccleſia diſplicent, oſtendit. *Wolfius* p. 949. concinnauit idem librum de ſuorum temporum calamitatibus, aliosque tres de patientia.

(64) Duo fuere Poëtae incluti, *A. Sincerus et Iacobus Sannazarii*, qui ſuis carminibus Pont. *Alexand. VI.* et Rom. curiae mores depinxerunt, nec non alter Venetae vrbis laudes breui carmine deſcripſit, ſplendide propterea muneratus. Philoſophi adnectendi *Marſilius Ficinus* et *Rudolphus Agricola*.

(65) Vide *Bernegg.* Argentorato inuentum hoc vendicantem, *Serarium Moguntiae*, a Birken vtrumque conciliantem. De primo typis exſcripto libro conf. autorem der monatl. Unterredungen.

(66) Reiicit hos in Saeculum ſuperius *Wolfius* Lect. Memorab. vbi videri poteſt p. 724.

(67) Hunc A. 1499. *Io. Tiſſeranus* Minorita, ex proſtitutis non iuuenculis, ſed decrepitis, communi ordinum vſui non amplius aptis inſtituit. *Wolf.* p. 946. Reliquos hoc Saeculo coeptos ordines idem autor pluribus recenſet.

§. 4.

Iudaeorum alii agnita veritatis diuinae luce ſuperſtitionum ſuarum fallacias abiurarunt, quos inter *Hieronymus de S. Fide* (1) et *Paulus Burgen-*
1420 *ſis* (2) nominandi: alii vero *Thalmudicis* dogma-
1430. tibus firmiter adfixi illuſtrare eadem perrexe-
1440. runt, vtpote *Rab. Abraham* (3), *R. Lipman* (4), grauis Chriſtianae fidei inſectator, quamquam inter illos quoque eminuerit *R. Mordechai* (5) *Concordantiarum Ebraicarum* conſignator (6). Ipſi porro, quod ab odio in Chriſtianos nihil
1492. omnino remitterent, in *Germania* denuo et *Hiſpania* (7) exturbabantur, et hac quidem exiguo tempore vltra ducenta familiarum millia exceſſerunt, remanentibus plurimis aliis, qui Chriſtianam quidem fidem oretenus profitebantur; inde et *Hiſpanica* Inquiſitio (8) tum fuit inſtituta.

Turcae vero, qui Saeculo priori non parum ſibi virium conciliauerant, atque in *Aſia* arma circumtulerant victricia, vltimas tandem hoc tempore Imperio *Orientali* manus impoſuerunt (9). Ini-

(9). Initio quidem *Muhammedes Seruia et Wal-* 1412.
lachia deuictis *Hadrianopoli* ſedem conſtituit Re-
giam (10), inde *Amurathes* (11) *Theſſalonicam* ca- 1438.
pit, et ab *Hungarorum* Rege *Vladislao* profligatus
foedus ſancit (12), quod cum *Eugenii* Pontificis
ſuaſu ille rumperet, ſtupenda ad *Varnam* (13) 1444.
clade fuit adfectus, quamquam et *Turcis* aliquo-
ties a *Chriſtianis* haud contemnenda damna fue-
rint illata (14). Tandem vero *Mahummedes II.* 1453.
ipſam Orientis ἀκρόπολιν et ſedem Regiam *Con-
ſtantinopolin* (15), *Conſtantino Palaeologo* vltimo
Orientis Imperatore expugnauit, crudeliſſimeque
per aliquot dies in eadem ſaeuiit, atque ita Chri-
ſtianorum in Oriente Imperium terminauit, vix
vllis deinceps viribus reſtituendum maxime, vbi
et *Peloponneſum* (16), et *Trapezunticum* (17) 1460.
Imperium ſubiugauit: inde in *Italia* (18), *Hun-
garia* (19), *Croatia* (20) aliisque locis irruens
multa Chriſtianorum millia in miſerrimam ſerui-
tutem abduxit (21) (22).

(1) Fuit Pontificis *Benedicti XIII.* Medicus, duos libros contra Iudaeos et Thalmud ſcripſit, quibus eorum perfidiam ex ipſis Rabbinis exhibet, quorum ope vltra quinque mille Iudaei conuerſi ſcribuntur.

(2) Secutus Anteceſſorem, Iudaeos itidem egregie confutauit.

(3) R. *Abraham* Aſtrologus fuit vaniſſimus et ſuperſtitioſiſſimus, qui An. 1464. certo futurum Meſſiam praedixit.

(4) Autor libri Nizzachon, peſtilentiſſimi.

(5) Vide *Hottinger.* in Hiſtoria Eccleſiaſtica.

(6) R *Ioſef Alba* ſcripſit librum Iekarim ſiue Articulos. R. *Iacof Leuita, Maharil* dictus: R *Elia Miſraeſi*, R *Izhaac ben Ormaah*, R *Iacof Aben Chaſif.* R. *Lemlein* et quipiam alii, quos inter primam fert laudem R *Iſaac Abarbenel* Hiſpanus, qui e *Dauidis* ſe poſteris gloriatus fuit. Vid. Ei. Comment. in Prophetas priores. Obiit *Venetiis* Anno 1508.

(7) Non modo ſaeua perſecutio in Iudaeos *Germanos* exercebatur ſed et *Ferdinandus Catholicus* cum *Iſabella* coniuge, occupato An. 1461. *Granadae* regno, *Iudaeos* cum *Mauris* inde

expu-

expulit, adeo vt 170000. familiae, et octingenta millia Iudaeorum, A. 1491. emigrauerint.

(8) De cuius tyrannide et iniuſto procedendi modo hiſtoriae Belgicorum tumultuum, de Inquiſitione Hiſpan. *Crocius* in Martyrologio, aliisque peculiaribus ſcriptis egerunt.

(9) Fruſtra Imperatoribus Graecis ex Occidente auxilia expectantibus. *Baiazethe* a *Tamerlane* capto filii eius de regno inter ſe altercabantur, *Ioſua* primogenito a *Muſulmanno* fratre ſuperato et necato, qui *Graecorum* Imperatori, cuius neptem vxorem duxerat, *Theſſalonicam* et alia quaedam *Aſiae* loca reddebat; ſed poſt et hic a fratre *Moſe* interemtus fuit, qui rurſus a fratre *Mahommede Graecorum* ope victus et throno deturbatus fuit A. 1413.

(10) *Mahommedes I.* itaque initio regiminis *Graecis* ſe gratum exhibuit, reliquis tamen Chriſtianis durior, dum *Caramaniam* et *Cappadociam* ſubiugauit, in *Seruiam* et *Wallachiam* penetrauit, *Bulgariam* ſubiecit, primusque *Venetis* in *Aſia minori* bellum intulit, quibus A. 1420. *Theſſalonicam* eripuit, ab *Andronico Venetis* conceſſam; cuius tamen occupationem alii *Amurathi II.* tribuunt.

(11) Ope *Graecorum Amurathes II.* initio a *Muſtapha* patruo infeſtabatur, quem tamen captum ſtrangulari iuſſit; inde *Conſtantinopolin* acerrima obſidione, quamquam fruſtra, preſſit, quae fortiter ſe defendit. Huic *Ianizarorum* ordinata inſtitutio tribuitur, quos ex Chriſtianorum liberis a parentibus ſuis auulſis, et in ſuperſtitione Mahummedica, atque bellicis diſciplinis educatis eligi deinceps voluit. Porro *Seruiam Georgio* deſpotae eripere tentans, duos eius filios captos oculis priuauit, filia gynecaeo incluſa. *Belgradum* tamen fruſtra per 7. menſes obſedit, et circa 10000 hominum in foſſis amiſit. Inde *Ioannes Hunniades* vno die quinquies *Turcarum* inter *Sauum* et *Drauum Hungariam* vaſtantium victor extitit.

(12) In *Haemi* ſcilicet campis illuſtri victoria contra *Turcas* potitus *Ludouicus*, ad pacis conditiones eosdem compulit.

(13) De miſeranda hac clade, quae, vtut ad Chriſtianorum partes virtute *Hunniadis* victoria iam inclinaret, *Vladislai* tamen inconſiderato feruore, a *Turcis* illata, quamquam vltra 30000. ex ſuo exercitu amiſerint, 10000. Chriſtianorum caeſis, vide a Bircken p. 546. ſqq. it. Ottomann. Pforte p. 34.

(14) Promouit *Turcarum* clades *Scanderbeg* ſiue *Georgius Caſtriota*, fortiſſimus *Epiri* Dux, qui parua manu aliquoties *Amurathis* debellator extitit. Conf. *Sagredo* p. 34. ſqq. In ipſa metropoli ſuis *Croiae* obſidione *Amurathes* vitae finem fecit. Ipſe autem *Caſtriota Scanderbeg* ſiue *Alexander M.* a *Turcis* dictus, quem omnino aemulatus fuit, poſt innumeras ab *Amurathe* et *Mahommede II.* obtentas victorias A. 1451. anno Climacterico magno deceſſit.

(15) *Mahommedes II.* Imp. *Turcarum*, imperii initia fratricidio fecit,

fecit, variisque praeliis vicinos laceſſiuit, maxime *Graecorum* imperio finem impoſuit, partim ipſorum *Graecorum* mollitie, timiditate ac auaritia, partim vero Occidentalium Chriſtianorum duritie et detrectatis ſubſidiis amiſſo. *Conſtantinopolin* quippe poſt 54. dierum obſidium expugnauit, diramque crudelitatem in captos exercuit. Vid. *Laon. Chienſ.* de capta Conſtantinopoli. *Leunclauii* annales Turc. et Pandectas Hiſt. Turc. *Sagredo* p. 42. ſqq. a **Birken** p. 602. ſqq. Poſt captam *Conſtantinopolin Belgradum* arctiſſime obſidebatur, ſed fruſtra, quod *Hunniades* viriliter eam defenderet, vt *Mahomed* 30000. ſuorum amiſſis ſoluere obſidionem coactus fuerit.

(16) A. 1458. *Corinthus* capta, inde *Peloponneſus* tributum imperatum. A. 1468. *Euboea et Negropontum* iugum ſuſcepere runt.

(17) *David Comnenus* Imperator *Trapezuntius* A. 1460 poſtquam obſidionem diu ſuſtinuiſſet, vrbem et Imperium dedere coactus fuit, contra datam fidem crudeliter poſt cum ſuis mactatus.

(18) A. 1470. *Turcae* in *Dalmatiam*, *Forum Iulium*, *Stiriam*, fecerunt excurſiones, multaque ex hominibus praeda abacta, ac tantus *Italiae* terror iniectus fuit, vt Pontifex cum Cardinalibus de linquenda *Italia* cogitauerit.

(19) Eodem anno *Turcicus* quoque exercitus vltra decem millia captiuorum ex *Vngaria* in miſerrimam ſeruitutem abduxit, idemque aliquoties poſt repetiit.

(20) Factum id A. 1469. vbi prima *Turcarum* in *Germaniam* et *Carnioiam* facta irruptio, quam 1473. ſecunda excepit in *Croatiam*, qua ad viginti Chriſtianorum millia pecudum more abacta. *Vſumchaſanes* tamen Perſarum Rex *Mahommedis* victorias aliquantiſper inhibuit. A. 1475. menſe *Auguſto* tertio *Carniolam*, *Stiriam* ac *Carinthiam* inundarunt, multis iterum barbariei ſignis relictis, et quarto poſt triennium denuo decem millibus abductis. An. 1480. cum quintam irruptionem tentaſſent, non ſine clade reiecti fuerunt, quod eodem anno in Transſyluania quoque et in oppugnatione Inſulae *Rhodus*, quam per tres menſes vehementiſſima obſidione oppugnauerant, iisdem contigit. *Hydruntum* tamen in *Calabria*, *Italiae* proximum oppidum ab iisdem occupabatur.

(21) Poſt innumeras obtentas victorias An. 1481. *Mahomed II.* Imperator *Turcicus*, cum duo Chriſtianis imperia extorſiſſet, regna 12. ademiſſet, 200. vrbes Chriſtianas cepiſſet, ac vltra octingenta hominum millia miſere trucidaſſet, blaſphemam tandem ac crudelem animam euomuit. Succeſſorem nactus filium *Baiazethem II.* qui fratris *Zemen* machinationes cum ſuppreſſiſſet, et in exilium eum eieciſſet, *Caramaniam* iugum *Turcicum* ſuſcipere coëgit, caeſis praelio contra eius principem 30000. Chriſtianorum. Inde *Aegyptum* fuit adgreſſus, infelici tamen conatu, adeo, vt pacem cum Sultano inire cogeretur.

An. 1484. ſextam ſuſcepit in *Germaniam* impreſſionem, qua decem millia captorum abacta, at maſcula *Croatarum* virtute, deletis ad vnum omnibus *Turcis*, ſeruata fuerunt; parem poſtmodum ſortem et illi, qui An. 1492. ſeptimo redierant, experti fuerunt. An. 1493. magnam ſtragem ab eodem *Batazethe* paſſi *Hungari*, caeſisque naſi abſciſſi, et *Conſtantinopolim* miſſi fuerunt; quam noua dein in *Auſtriacas* prouincias excepit incurſio. Quo fato Chriſtianis adeo iniquo etiam *Morea Venetis* ab ipſo extorquebatur, *Cephalonia* tamen iis relinquebatur.

(22) Hoc quoque Saeculo noua Perſici Imperii dynaſtia *Sofitarum*, ex Prophetica proſapia ortum trahentium, coepit, de qua *Olearius* Itinerario Ruſſo Perſico.

SAECVLVM XVI.

§. 1.

Exortus fuerat priori Saeculo lucis Euangelicae radius; nunc ipſa ſe pandit, totumque illuſtrat orbem (1) Hinc latius eius explicanda incunabula. In apricum eam reduxit ex Papatus
1483. tenebris erutam *D. Martinus Lutherus* (2), patria *Islebienſis*. Natus hic piisſimis quidem, at obſcuris parentibus (3) ab iis ad literarum ſcientiam adipiſcendam admotus, paupertate licet preſſus, ſtrenue artes ſectatus eſt in ſcholis *Mansfeldenſi*, *Magdeburgenſi*, *Iſenacenſi* (4), et Academia dein
1502. *Erfurtenſi*, vbi *Magiſterii* gradu ſuſcepto, iuris ſe
1505. primum ſtudio, poſt (5) *Auguſtinianis* fratribus addixit, inque coenobio euolutis ſumma diligentia ſacris literis et Patrum ſcriptis veritatem paulatim coepit agnoſcere. Quod vero fama incla-
1508. ruiſſet apud *D. Staupitium*, *Wittebergam* in recens ibi conditam Academiam ad *Dialectices et Phyſices Ariſtotelicae* profeſſionem vocatus, poſt
1510. biennium *Romam* miſſus ſuis vidit oculis Papales abomi-

abominationes (6); inde rediens *Theologiae Doctor* renunciatus, eiusque *Profeſſor* deſignatus 1512.
fuit. Hinc cum Pontifex *Leo X.* ſub belli *Turcici* praetextu indulgentiarum forum exponeret, atque per *Io. Tezelium* in *Germania* et *Saxonia* maxime integros pecuniae theſauros corraderet, ſimplicioresque ſub ſpe remiſſionis peccatorum, liberationis e purgatorio, licentia item veſcendi cibis prohibitis nummis emungeret, *Lutherus* rei 1517.
iniquitate motus concionibus et publica etiam diſputatione nundinationem illam improbat, ſimulque quaeſtores illos de tanta auaritia apud Papam et alios accuſat (7). Reſpondet equidem *Tezelius* per *Conradum Wimpinam*, Theologum *Francofurtanum*, *Lutherique* theſes igne cremat (8), aſt hic ſe defendere, et contra *Ioan. Eccium* (9), Profeſſorem *Ingolſtadienſem*, *Syluestrum Prieriam* (10) et *Iacobum Hochſtratum* (11) *Dominicanos* propugnare veritatem, Pontificem ſubiiciendo Vniuerſali concilio, negando Purgatorium, remiſſionemque peccatorum merito CHRISTI ac fide in Eum, non noſtris contingere operibus firmiter docendo (12). Cum vero *Romam* ad cauſam dicendam vocaretur, noluit eo venire, *Huſſi* exemplo territus (13), comitia tamen *Auguſtana* a *MAXIMILIANO I.* inſtituta in- 1518.
trepidus acceſſit, ibique coram Cardinali *Caietano* (14) ſumma conſtantia diuinam veritatem defendit, neque prece vel pretio aut promiſſo ad dogmatum ſuorum reuocationem potuit compelli, quin ad Pontificem potius adpellauit (15), a quo 1520.
vero *Romae* diro anathematis fulmine petitus (16) prouo-

prouocauit ad Concilium *Vniuerſale* (17), *Bullamque Pontificiam* cum iure *Canonico* exuſſit, quod idem *Lutheri* ſcriptis contigiſſet (18). Impe-
1521. rante vero poſt *Maximiliani* obitum *CAROLO V.* Caeſare. *Lutherus* ad Comitia *Wormatienſia* ſub publica fide vocatus, imperterrite diſſuadentibus id amicis, comparuit, ibique coram Imperatore et Imperii Statibus denuo ſuam profeſſus eſt religionem, qua diſcedere ſe haud poſſe, niſi ex S. ipſi literis errores demonſtrarentur, publice edixit (19). Dimittitur poſt aliquot priuatim cum ipſo inſtituta colloquia (20), quamuis aegre ſatis (21), ſed poſt diſceſſum ab Imperatore proſcribitur (22), a *Friderico* vero Electore in arce *Wartbergenſi* clam adſeruatur (23), ac licet Pontifex tradi *Lutherum* vrgeret, perque ſuos aliquoties efflagitaret, laterem tamen lauabat. Hinc rurſum ingens eorum numerus ſurgebat, qui, cum ferro non poſſent, calamo tamen *Lutherum* confodere tentabant, quos inter *Henricus VIII. Angliae R.* fuit, *defenſoris Eccleſiae* nomen propterea meritus (24), item *Eraſmus* Roterodamus (25). At Megalander per tumultum ab *Andrea Bodenſteinio*, a patria *Carlſtadio* dicto, *Wittebergae* in
1522. imaginibus demoliendis excitatum, non expectato Electoris conſenſu illinc reuerſus (26), nouos ibi hoſtes, *Anabaptiſtas et Sacramentarios* (27) offendit, quos validis etiam armis ſtrenue impugnat, dum interea mortuo *Romae Leone* partim in nouo adſciſcendo Pontifice occupati ſunt praeſules, partim vero aliis curis defatigati, *Lutherum* turbare haud pergunt, qui ſequentibus temporibus,

bus, cum indies ipſi a Diuino Spiritu magis magisque aperirentur oculi, ceteros etiam Pontificiorum errores perſtringit (28), vniuerſamque religionem ad priſtinum nitorem, et CHRISTI atque *Apoſtolorum* aeuum reducit (29). Hinc *Catharinam a* Born (30) monialem vxorem ducit, ringentibus fruſtra Pontificiis (31). Cum porro ad indictum a Papa Concilium XVII articulos conſcripſiſſet (32), ex iisdem confecta *Philippi Melanchthonis* ſtudio *Proteſtantium* ſiue Euangelicorum ſtatuum confeſſio, et in *Auguſtanis* Comitiis ſolenniſſimo conuentu *CAROLO* Caeſari oblata, ac publice praelecta fuit (33) varie pro auditorum varietate excepta (34). Exin ſonus illius in vniuerſum exiit orbem (35). Interea *Lutherus Coburgi* commorabatur, rerumque euentum praeſtolabatur, ac poſt reditum cum *Sueuicis Theologis* inibat concordiam (36). Tandem cum maiores arietes conuellendo Chriſti nomini admouere meditaretur Satanas (37), Megalander ille *Lutherus Islebiae* in patria a *Mansfeldicis* Comitibus litis priuatae componendae gratia accitus, *Concordiae* die quiete et in Domino beate deceſſit anno aetat. Clımacterico magno 63. (38). Hoc itaque modo preſſa hactenus et ſub vinculis Papalibus anxie ſuſpirans Eccleſia ab Heroe iſthoc liberata fuit, adeo quidem, vt *Saxonia* primum et *Thuringia*, poſt noſtra haec *Franconia* praecipuam partem Pontificium abiurauerint cultum: Inde *Haſſi*, *Friſii Orientales*, *Wormatienſes*, *Erfurtenſes*, *Goslarienſes*, *Hamburgenſes*, *Lubeccenſes*, *Halberſtadienſes*, aliique magno

1525.
1530.
1536.
1546.
1520.

gno numero et hilari animo haec Euangelii ſemina exceperunt; Ita *Sueciae* Regnum *Erico*
1525. mina exceperunt; Ita *Sueciae* Regnum *Erico*
1537. Rege, et *Daniae* ac *Noruegiae* ſub *Friderico I.* promouente *Io. Bugenhagio* Pomerano reformatio-
1529. nem admiſerunt. Sicut porro *Argentoratenſi-*
1534. *bus*, *Würtenbergicis* et *Hildesheimenſibus*; *Pome-*
1535.
1539. *ranis* atque *Marchiacis*, defunctoque *Georgio Saxoniae* Duce, *Miſnenſibus* diuina haec vox nunciata. Accurrebant porro ad audiendam vim Euangelii *Palatini*, *Megapolitani*, *Transſyluani* et complures alii (39). *Bohemia* denique, *Morauia*, *Stiria et Auſtria* per varias Principum conceſſiones religionis huius libertatem impetrarunt, quae felicitas *Sileſiae* etiam, *Hungariae* ac
1559. *Poloniae* obtigit (40). *Anglia* vero certis quibusdam articulis exuto Papatu (41) cum *Helueticis* et *Gallicanis* nonnullis Eccleſiis peculiare excitauit ſchiſma, de quo paulo poſt. Sicut autem puritas Euangelii in exteras deuenit Regiones, (occupauit enim *Islandiam*, *Groenlandiam*, et vltimas *Septentrionis* Inſulas (42), fouetque complures ſectatores in *Moſcouia*, *Turcarum*, *Perſarum* ac *Indiarum* vaſtiſſimis regionibus hinc inde diſperſos;) ita CHRISTI quoque notitia penetrauit ad remotiſſimos et Daemonum cultui
1547. hactenus deditiſſimos illos *Indiae Orientalis* et *Occidentalis* populos (43), ſiquidem Monachorum et Ieſuitarum ſolerti ſtudio CHRISTI nomen vtrinque publicatum fuit, quamquam pari animorum attentione, nec eadem conſtantia vbique haud fuerit exceptum.

(1) Pro ſemel ſuſcepta opuſculi ratione breuitatis ſtudioſus, vberioris cognitionis cupidum lectorem ad Illuſtris et B. Viri V. Ludw.

V. Ludw. a *Seckendorf* opus cedro dignum, quod Commentarium Hiſtoricum et Apologeticum de Lutheraniſmo, ſiue de Reformatione Religionis inſcripſit, aliquoties iam editum, qui et compendii cauſa aliquoties citabitur, editione ſecunda *Lipſiae* 1694. publicata, remitto.

(2) *Martini Lutheri*, Viri de Eccleſia Chriſti incomparabiliter meriti, hiſtoriam exhibuerunt complures, praecipue *Philippus Melanchthon*, *Ioann. Mattheſius*, in Concionibus peculiaribus, *Nicol. Selneccerus*, cuius deſcriptionem D. *Io. Frid. Meyer Wittebergae* cum notis recudi fecit, *Io. Mullerus* Theol. *Hamburg.* it, *a Seckendorf.* p. 18 Pluribus qui de eo egerunt, collegere *Chriſt. Matth. Pfaffius* in introduct in hiſtor theol. litter. P. III. *Io. Alb. Fabricius* in centifolio Lutherano. Adde *M. Io. Melch. Moelleri* Leben des ſel. D. Martin Luthers, Erford. 1746. *Frider. Sigiſm. Keilii* Leben Hanns Luthers und ſeiner Ehefrauen Margarethen Lindemannin, Lipſ. 1752. eiusd. ſeligen Zeugen Gottes D. M Luthers merkwürdige Lebensumſtände bey ſeiner medicinaliſchen Leibesconſtitution, ib. 1753. *Io. Andr. Rohſteni* Beytrag zu der Genealogie des Lutheriſchen Geſchlechts, Ien. 1754.

(3) Pater erat *Io. Luther*, operarius metallicus, tum adhuc habitans in pago *Moera*, poſt domicilium in *Mansfeld* transtulit. Mater *Margaretha*, nata *Lindemannia*, quae ad nundinas *Islebienſes* profecta, partus tempore praeuenta, filium ibidem fuit enixa: communiter Annus 1483. adſignatur, quamquam non adeo firmiter conſtet.

(4) Sphalma, credo, typographicum in Hiſtoria Eccleſiaſt. B. *Kortholti* eſſe, vbi p. 720. *Lutherum* in ſchola *Ienenſi* pro *Iſenacenſi* literis incubuiſſe ſcribitur.

(5) Inconſulto et inuito omnino parente, eapropter aliquandiu indignante, motus vel fulmine, vel ſodalis ſubita nece. *Auguſtinus* in coenobio dici voluit; initio a fratribus duriter habitus, vt cum ſacco mendicanti per ciuitatem diſcurrendum fuerit; poſt autem *Staupitii* interceſſione aliquantum honeſtius exceptus. A. 1507. Dom. Cantate ſacerdotio inauguratus fuit. v. *M. Io. Nicol. Sinnholdi* comment. de meritis Martini Lutheri in ciuitatem et eccleſiam Erfordienſem, Erford. 1746.

(6) In cauſa ordinis, vbi Rom. curiae ſcelera ſuis vidit oculis, ab *Italis*, dum ipſe ſacra magna deuotione celebraret, cachinnis exceptus, et feſtinare iuſſus.

(7) Iam ante *Lutherus* naeuos quosdam Rom. Eccleſiae notauerat, quos, vt et receptam *Theologiam Scholaſticam* corrigi optabat. Vid. *a Seckendorf* p. 19. ſqq. *Korth.* p. 694. ſqq. Caeterum potiſſimum indulgentiarum occaſione motus, (quas *Albertus* Archi-Epiſcopus *Moguntinus* per *Io. Tezelium* Dominicanum vendi curabat, vt pallium redimere poſſet) publica non modo concione in eas inuexit, ſed et 95. theſes profeſto omnium

Digitized by Google

omnium ſanctorum valuis *Wittebergenſis templi* adfixit, ad emendam veritatem propoſitas. *Seckend.* p. 24.

(8) Studioſi *Wittebergenſes Tezeli* quoque theſes, inuito quamquam *Luthero* comburebant. De ipſius *Tezelii* proteruia et nimia indulgentias praedicandi temeritate et imprudentia conf. *a Seckendorf.* p. 25. ſqq. item *Meieri* Diſſ. de Eccleſia Papaea, Lutheranae Reform. Patrona. v. *Gothofr. Hechtii* diſſ. II. de vita Io. Tezelii nundinatoris ſacri, Viteirb. 1707. rec. 1717. Io. *Iac. Vogelii* Leben des Ablaßkrämers Joh. Tetzels, Leipz. 1727.

(9) De *Eccio* videſis a *Seckendorf.* Lutheran. p. 30.

(10) De *Syluestro Prieriate*, ſiue *de Prierio* eund. p. 31.

(11) *Ioan. Hochoſtratum* deſcribit *a Seckendorf.* pag. 38. Erat Monachus *Louanienſis*

(12) Factum id non ſimul, ſed temporis ſucceſſu, (*Seckend.* p. 30) dum initio autoritatem Pontificis comiter admodum venerabatur *Lutherus*, eiusue iudicio theſes ſuas ſubmittebat. A. 1518. *Lutherus* ad conuentum *Auguſtinianum Heidelbergam* profectus, ibidem publica diſputatione *paradoxa* 40. propoſita defendit, magno auditorum, quos inter *Bucerus*, *Brentius*, *Schnepfius* et alii, adplauſu, qui poſt diſputationem Lutherum conuenerunt, et multa ex eo ſciſcitati fuerunt.

(13) Elector Saxon. *Fridericus* praecipue apud Pontificem obſtabat, ne *Luthero Romam* eundum eſſet, petebatque, cauſam eius Germanis quibusdam Praelatis committeret. Pontifex igitur Cardinali *Caietano*, quem alia de cauſa ad Comitia *Auguſtana* ablegauerat, mandat, quid hoc in negotio agi velit. Quamquam et hoc verum ſit, *Lutherum* ipſum *Romam* tum venire detrectaſſe, ne parem cum *Huſſo* ſentiat exitum.

(14) De actis *Caietani* cum *Luthero* prolixior recenſio videri poteſt apud *Seckend.* p. 45 ſqq. Ex duplici argumento Cardinalis *Lutherum* ad reuocationem impellebat, quod indulgentias et *Clementis VI.* Bullam impugnaret, et circa fidem vtentium ſacramentis erraret. Tertia vice *Lutherus* cum Cardinali collocutus fuit. *Staupitium* in hoc conuentu fidelem adhuc habuit paraſtatam, qui tamen eundem poſt deſeruit, et in *Archi-Epiſcopatu Salisburg* Abbatiam impetrauit, breuique ibidem mortuus fuit 1524. *Seckend.* p. 48. *Chriſt Frid. Boerneri* diſſ. de colloquio auguſtano Lutheri cum Caietano R. P. legato, Lipſ. 1722.

(15) A Pontifice ſcilicet male informato ad melius informandum, quae adpellatio, cum nemo Cardinali exhibere auderet, publice in foro fuit adfixa. vid. p. 49. Ipſius Cardinalis in hac cum *Luthero* ſuſcepta actione reprehenſionem idem exhibet p. 51 ſq.

(16) *Romae Leo* Pont. indulgentias initio Bulla noua confirmauit, nulla tamen *Lutheri* facta mentione, qui poſtmodum alia An. 1520. d. 15. Iun. tanquam haereticum condemnauit.

(17) Fa-

(17) Facta *Wittebergae* An. 1518. d. 18. Nouemb.

(18) Praeceſſit exuſtionem fruſtra inſtituta *Caroli Miltizii* legati Pontificii, cum Electore *Friderico* de non tutando, ſed *Romam* mittendo *Luthero*, it. cum *Luthero* de eo Eccleſiae Rom conciliando tractatio, quae An. 1519. initiis contigit. *Seckend.* p. 60. Offerebat hic *Lutherus* denuo, ſe, ſi aduerſariis ſilentium imponeretur, itidem de toto negotio nihil amplius moturum. Imo humillima epiſtola *Leonem* delinire moliebatur, quamquam incaſſum. Ille quippe A 1521. tertio Non Ian. noua bulla *Lutherum* ſine omni conditione excommunicauit. De ipſa Iuris Canonici et Bullae Pontificiae exuſtione An. 1520. a *Luthero* ſuſcepta confer eundem pag. 121.

(19) Acta in Comitiis *Wormatienſibus* cum *Luthero* prolixius exhibet a *Seckend.* p. 142. ſq. Ante *Lutheri* aduentum confeſſionarius Caeſaris *Io. Glapio* Mon. *Franciſcanus*, cum *Pontano* Cancellario Electoris aliquoties collocutus ſatis honorifice, quamquam ſubdole de *Luthero* ſentire viſus eſt, praeter quod eius librum de captiuitate Babylonica reuocari vellet. *Lutheri* vocationem ad Comitia Ordines Imperii a Caeſare flagitarant, et fruſtra ringente *Alcandro*, legato Pontificio, impetrarant, qui publicis literis ſalui conductus d. 6. Martii datis, (*honorabili, dilecto, deuoto D. Martino Luthero, Ord. Auguſtiniani* inſcriptis) plenam ei ſecuritatem ad iter et reditum indulſit, *Caſparemque Sturmium* fecialem miſit, qui eundem deduceret. *Witteberga* profectus, *Vinariae* a Duce *Ioanne* Electoris fratre viaticum accepit, *Erfurti* ad inſtantiſſimas preces Domin *Quaſimodogeniti* concionatus, multisque curis diſtractus, magno tamen et imperterrito animo d 16. Aprilis *Wormatiam* intrauit, multa nobilium aliorumque caterua ei obuiam procedente, et in vrbem deducente, vbi ſimul vltra bis mille homines eum ad hoſpitium vſque comitabantur. Quae ibidem cum eo acta fuerint, ipſe recenſet Tom. II Lat. Ien. p. 236. ſqq. adde a *Seckendorf.* p. 153. Verba eius, quibus ſe reuocaturum negauit, haec coram Imp. et Statibus prolata erant: *Quando Sereniſſima Maieſtas Veſtra, Dominationesque Veſtrae ſimplex Reſponſum petunt, dabo illud neque cornutum neque dentatum*, (iuſſus enim fuerat ab Officiali Treuirenſ. *Io. ob Eck*, ſimplex nec cornutum reſponſum dare) *in hunc modum: Niſi conuictus fuero teſtimoniis Scripturarum, aut ratione euidenti, (nam neque Papae, nec Conciliis ſolis credo, cum conſtet, eos erraſſe ſaepius, et ſibi ipſis contradixiſſe) victus ſum ſcripturis a me adductis, captaque eſt conſcientia in verbis DEI, reuocare neque poſſum, neque volo quicquam, cum contra conſcientiam agere neque tutum ſit, neque integrum.* Hier ſtehe ich, ich kann nicht anders, Gott helfe mir! Amen.

(20) Collocuti cum eodem priuatim fuere Electores *Treuirenſis* et *Brandenburg. Epiſcopi Auguſtanus* et *Brixienſis*, *Magiſter Ordinis Teut. Dux Saxoniae Georgius*, et ex *Comitibus* ac *Ciuitati-*

bus quidam, quibus itidem conſtanter reſpondit, ſe nec velle nec poſſe, niſi ſcripturis conuictum, cedere; poſtmodum Officialis *Eccius* et *Cochlaeus* cum *Luthero* diſputarunt, et denique *Vehus Badenſis* Cancellarius atque *Peutingerus Auguſtanus* eum fruſtra mouere voluerunt, Caeſaris et Imperii iudicio aut ſaltem Concilio ſcripta ſua ſubmittentem, ſi ex ſcriptura deciderentur, quod denuo *Treuirenſi* clam expoſuit.

(21) Fuerunt enim, qui *Luthero* fidem ſeruandam haud eſſe, ſed vt haereticum captiuandum adſererent, quibus tamen *Carolus* ipſe contradixit, fidemque, etiamſi toto mundo exularet, ſe ſeruaturum promiſit. Die itaque 26. April. *Wormatia Lutherus* receſſit, ac *Fridberga* Caeſari et Ordd. ſcripſit, gratias pro impetrato et praeſtito ſaluo conductu exhibens, iisque literis fecialem *Sturmium Wormatiam* remittens.

(22) Edicto d. 22. Maii publicato, in quod tamen Ordines Imperii omnes neutiquam conſenſerunt, et pauci prius *Wormatia* iam diſceſſerant, qua de cauſa callide ad 8. Maii fuit retractum.

(23) Captus in itinere prope arcem *Altenſtein*, et vicum *Schweina* ad radices ſylnae Thuring. per *Ioan. a Berlepſch*, praefectum *Wartbergenſem*, et *Burchardum Hundium*, Dynaſtam in *Altenſtein*, *Iſenacumque* in arcem *Wartberg* ductus, ibidemque per 9. menſes adſeruatus fuit, quo tempore varia ſcripta concinnauit, imo ſemel clam *Wittebergam* amicos inuiſendi gratia ſe contulit. Totam huius capturae hiſtoriam *Matthesius* exhibet conc. III. Hiſt Lutheri. v. *Paulli Antonii* animaduerſiones hiſtoricae de pathmo Lutheri in arce Wartburg prope Iſenacum, Hal. 1703.

(24) Scripſit *Henricus VIII. Angl.* Rex, pro 7. Sacramentis contra *Lutherum*, quem, vehementiore quamquam ſtylo, acerrime caſtigauit.

(25) De *Eraſmo*, ſcriptis item *Academiae Pariſienſis*, et aliis, conf. *a Seckend.* Ipſe *Eraſmus* initio cauſae *Lutheri* fauere videbatur, poſt tamen ſcriptis eum laceſſiuit, acriter propterea a *Luthero* exceptus.

(26) De *Andrea Bodenſtein, Carlſtad* dicto, inferius n. 14. §. 2. et n. 80. §. 3. plura dicenda venient. Praenotandum id, eundem abſente *Luthero* famae cupidum confeſſionem auricularem abrogaſſe, et imagines ex templis exturbaſſe, quod cum ſine ingenti tumultu haud fieret, *Lutherum* ex pathmo *Wittebergam* redire coëgit, quamquam Elector haud conſentiret, cui tamen maſcule reſpondit. *Seckendorf.* pag 195.

(27) De vtrisque inferius ad §. 2. n. 14. et 15. plura erunt dicenda.

(28) Non autem ſimul, ſed ſucceſſiue, Pontificios errores correxit *Lutherus*, poſtquam a praeiudiciis, quibus occupatus et imbutus fuerat, ſeſe liberaſſet, teſtatus, ſe vnum fuiſſe ex illis, qui, vt *Auguſtinus* de ſe ſcribit, ſcribendo et docendo profecerit,

rit, non ex illis, qui de nihilo repente fiunt ſummi. Indulgentiarum enim nundinationem primo omnium reiecit, et abuſum taxauit; hinc Theologiam Scholaſticam impugnauit, in diſp. Heidelberg. alios quosdam Romanae Eccleſiae errores de L. A. poſt peccatum, de gratia, fide, iuſtificatione, B O. taxavit, et de eorum veritate vel falſitate, diſputationis cauſa inquiſiuit. Succeſſit in certamine cum *Sylu. Prieriate* diſquiſitio de Eccleſia, an illam repraeſentet Papa, et vtrum Concilium cum Papa errare poſſit? hinc Papae ius gladii ſecularis abiudicat, eumque Anti-Chriſtum, ni ſe emendet, ſuſpicatur. A. 1519. in *Lipſienſi* cum *Eccio* Diſputatione anſa illi data fuit, inquirendi in primatum Pontificis, ſuamque mentem de eodem, item gratia diuina explicandi; ſimulque *Huſſi* quaepiam dogmata defendendi. Anno ſeq. dubitare coepit de numero Sacramentorum ſeptenario, et de confeſſione peccatorum, item communione ſub vna; ſcripto porro libello *de libertate Chriſtiana* oſtendit, ſolam fidem iuſtificare, et quae circa Bona Opera ſtatuat, exponit; alio de *captiuitate Babylonica*, de natura, numero et vſu Sacramentorum agit, Primatum autem fortius, quam in diſputatione Lipſienſi, impugnat, Papatumque Regnum Babylonicum eſſe adſerit; imo poſtquam bulla *Leonis* eſſet damnatus, Pontificem tyrannum, haereticum, apoſtatam, Anti Chriſtum et ſuperbum Concilii contemtorem ſtatuit, autoritatem Scripturae contra Patres defendit, Caeſarem Pontifici praefert, huncque Imperium ad Germanos tranſtuliſſe falſo tradi credit. An. 1521. poſt *Wormatienſia* Comitia confeſſionem priuatam, qualem Pontificii exigebant, reiicere coepit, concupiſcentiam peccatum eſſe contra *Latomum* adſerit, *Miſſae* autem ſacrificium, vt ſuperiori anno, ita nunc fortius impugnat; votorum denique Monaſticorum validitatem poſt magnam luctam infringit, et Monachis coniugia licere contendit: Aduerſus *Henricum* Anglum ſcripto edito transſubſtantiationi cumprimis ſe opponit, nec Papam controuerſiarum iudicem eſſe concedit. Anno 1522. Pontificum praecepta de ieiuniis et coelibatu impietatis accuſat, et *Auguſtinianis* Miſſam ſuperiori anno abrogantibus conſentit, quamquam innouationem illam *Fridericus* Elector non ſatis probaret; baptiſmum porro lingua patria fieri ordinat. A. 1523. de bonis Eccleſiaſticis mentem ſuam aperit, canonem Miſſae remouet, et *Bennonis* canonizationem inſectatur. Sequenti anno ſuam de vera et reali praeſentia Chriſti in *S. Euchariſtia* ſententiam contra *Carlſtadium* propugnat, Anabaptiſtasque ſcripto aduerſus Prophetas coeleſtes libro impugnat; cucullum inde Monaſticum deponit, ab *Eraſmo* edito de L. A. libello irritatus, de ſeruo arbitrio reſpondet, cuius in eodem genuinam ſententiam exponit et defendit *Seb. Schmidius*, recuſo dicto libello. An. 1526 linguarum vſum in Eccleſia ſeruandum, nec penitus abrogandum decernit, atque pro ſimplicium informatione Catechiſmi neceſſitatem flagitat; hinc reliquos

etiam fidei articulos ex ſacris liter ſtatuminat, contrarios autem, de inuocatione praecipue Sanctorum, purgatorio, diſcrimine ciborum, iurisdictione Epiſcoporum, reliquosue eliminat.

(29) Multum ei rei profuit verſio Sacr. Bibliorum in linguam Germ. A. 1521. incredibili ſtudio ſuſcepta, et feliciſſime peracta, quamquam in Pathmo *Wartberg*. Nouum Teſtam. iam verterat, ſed A. 1522. demum edidit. An. 1523. Pentateuchum abſoluit; in Hiobo An. 1524. occupatus. An. 1527 Prophetas transferre coepit, vſque ad A. 1530. adiutoribus ſibi in hoc opere *Io. Bugenhagio Pomerano*, *Iuſto Iona*, *Phil. Melanchthone*, *Matth. Aurogallo* et quandoque aliis. An. 1534. integrum Bibliorum volumen prima vice prodiit, recuſum A. 1541. et 1545. non ſine emendationibus. Vid. *a Seckend.* p. 203. ſqq.

(30) Exierat haec *Catharina Bora* cum 8. aliis monialibus nobili genere natis, An. 1523. ex coenobio *Nimtſchen*, prope *Grimmam*, ope *Leonhardi Coppen*, Senatoris *Torganienſis*, quo tempore *Lutherus* nil minus, quam coniugium cogitabat.

(31) Dies deſponſationis erat 11. Iunii, ſecundum Melancht. 13. die 27. domum eam duxit. *Io. Pomeranus* paſtor *Wittebergenſis* benedictionem nouis his nuptis impertiit. Non autem *Eraſmus* modo, ſed et complures alii ex Pontificiis *Lutheri* factum hoc damnabant, quibus tamen praeter ea, quae iam antea ſcriptis expoſuerat, conſcientiae bonitatem oppoſuit. Vid. *a Seckendorf*. p. 14. ſqq. *Müller* def. Luth. c. 6 *Chr. Guil. Franc. Vualchii* wahrhafte Geſchichte der ſel. Frau Catharina von Bora D. Martin Luthers Ehegattin; wider Euſebii Engelhards Morgenſtern zu Wittenberg, Hal 1751. 1754

(32) Sunt, qui articulos in *conuentu Suobacenſi* conſcriptos fundamentum Auguſtanae Confeſſionis faciant; ſed cum illi nondum publice producti fuerint, rectius ex *Smalcaldicis a Luthero* confectis, compoſitam fuiſſe adſerimus cum *Seckend*. p. 152. v. *Io. Guil. Iani* diſſ. de articulis Suobacenſibus Aug. Conf. fundamento, Witteb. 1719.

(33) Iuſſu Electoris *Phil. Melancht.* cum reliquis *Auguſtae* praeſentibus Theologis *Agricola*, *Iona*, *Spalatino*, *Brentio et Schnepfio* dictos Aug. Conf. articulos congeſſit, et *Luthero Coburgi* relicto accurate expendendos et reuidendos miſit. a quo adprobati, et poſt a Statibus et Theologis denuo reuiſi, ſubſcripti, ſtatoque tempore publice praelecti fuerunt. Hiſtoriam praelectionis exhibet *Coeleſtinus* in Hiſtor. Comit. Aug. ſt. *Seckend.* l. II. *Korth.* p. 772. ſqq. cum aliis, quos laudat *Io. Alb. Fabricius* in centifolio Lutherano P. I. c. LV. p. 142. ſeqq. et P. II. p. 584. In primis huc referri meretur *Chr. Aug. Saligii* Hiſtorie der Augſpurgiſchen Confeßion und derſelben Apologie bis auf den 1555. geſchloſſenen Religionsfrieden, Hal.

(34) Quidam enim eius dogmata non improbabant, ita, vt ipſe etiam

etiam *Eraſmus* ſcripſerit, praeſenti rerum ſtat i conducere, vt *Lutheri* doctrina ad tempus ſaltem quoddam toleretur; alii refutanda ſuſcipiebant, vt *Faber*, *Eccius*, *Wimpina*, *Cocl laeus* et alii, qui ſuam itidem confutationem publice praelegi d. 3. Aug. fecerunt, cuius tamen copia Proteſtantibus, quamquam enixe petentibus, non fuit facta, hinc illi ſuae Confeſſionis *Apologiam* conſcripſerunt, quam tamen Caeſar recipere detrectauit.

(35) Variorum enim Principum et ſtatuum legati, in illis Comitiis praeſentes, in ſuam linguam transferri Confeſſionem curarunt, eamque domum transmiſerunt. Quomodo poſt lectam, et, vt gloriabantur aduerſarii, refutatam confeſſionem priuatim de concordia partium ſancienda conſilia fuerint habita, et quaenam tum acta fuerint, exhibet *a Seckendorf.* p. 174. ſqq. Part. II.

(36) Factum id An. 1536. *Wittebergae*, quo venerant *Mart. Bucerus*, *Capito Argentorat.* et *Lycoſthenes Anguſtan.* Eccleſiaſtae, item *Mart. Frechtus Vlmenſis*, *Iac. Otterus*, *Esling.* *Wolfg. Muſculus*, *Aug. Geruaſius Scholaſticus Memming.* et alii *Sueuicarum* Eccleſiarum Doctores, qui cum ſe *Lutheri* doctrinae de vera ac reali Chriſti in S. Coena praeſentia per omnia conſentire publice confeſſi fuiſſent, (de *Helueticis* Eccleſiis idem adſeuerabat *Bucerus*, ſed falſo) recepti in fraternitatem, certaque concordiae formula ab vtraque parte d. 29. Maii ſubſcripta fuit, magna animorum laetitia. *Seckend.* p. 129. ſqq. P. III.

(37) Non tantum per Concilium, quod ad inſtantiam Caeſaris aliorumque Pontificiorum Principum conuocare tandem neceſſe habebat Pontifex, quem in finem *Lutherus* A. 1537. articulos *Smalcaldicos* conſcripſit, publica autoritate ab orthodoxis receptos, in futuro Concilio exhibendos; Vid. *a Seckend.* p. 152. ſqq. ſed et per *bellum* illud *Schmalcaldicum*, de quo inf. ad §. 2. Inde magna fide per *Saxoniam* Eccleſiarum viſitationem inſtituit, et ad religionis repurgatae propagationem cuncta ordinauit.

(38) Cauſa, cur *Witteberga Lutherus Islebiam* profectus fuerit, multis exponitur a *Seckend.* p. 634. lib. III. qui ſimul veram de eius morte relationem adfert. Conf. *Müller.* Luth. def. n. 348. ſqq it. in Defenſi defenſione c. 29. p. 831. ſqq. Cadauer defuncti ingenti omnium luctu *Wittebergam* reuectum, et in templo arcis conditum fuit. Exequiarum hiſtoriam a *Seckend.* exhibet p. 644. v. *M. Io. Gottlobii Vvaltheri* ergänzte und verbeſſerte Nachrichten von den letzten Thaten und Lebensgeſchichten des ſel. D. Luthers, Ien. 1749. ſeqq. *D. Chph. Henr. Zeibichii* electa hiſtoriae vitae et mortis B. D. Martini Lutheri, Witteb. 1746.

(39) Iuxta annorum ſeriem, quantum fieri poteſt, breuiſſimis reformationis hiſtoria ex *Illuſtri Seckendorfio* praecipue, aliisue monumentis, adnectenda venit. *Wittebergae* initium eius

 omnino

omnino factum, exinde ad vicina alia loca ſub Electorali ditione in *Saxonia* et *Thuringia* progreſſa purior verbi diuini praedicatio fuit; vtut enim *Fridericus*, qui ſub coeptae reformationis primordia Electoratui praeerat, *Luthero* initio aperte haud adſtipularetur, neque eius controuerſias ſuas faceret, clam tamen eundem fouit, et reformationis negotium haud turbauit, exitum rei Deo et Prouincialium ſuorum ſtudiis committens. A. 1518. poſt Diſputationem *Lutheri Heidelberga* tenſim veritatem diuinam agnoſcere coepit, tardius tamen eandem amplexata. An. 1519 *Altenburgum* Euangelii lucem coepit reſpicere, poſtquam cum *Miltizio* ibidem locutus, et poſtmodum concionatus eſſet *Lutherus*; *Gabrielem Didymum* eo miſerat concionatorem, qui *Torganiam* poſtmodum concedens, ſucceſſorem habuit *Wenceslaum Linccinum*, qui coenam ſub vtraque petentibus diſtribuit, *Noribergam* poſt renocatus. Poſtea *Georgius Spalatinus* Paſtor et Superintendens illic conſtitutus, cooperarium habuit *Eberhardum Brisgerum*. *Cygnea* ſiue *Zuiccauia* ab initio etiam occultos quamquam habuit verbi praecones, quos inter *Fridericus Myconius*, poſt *Gothanorum* paſtor celebris, it. An. 1521. *Nicolaus Hansmannus*. Anno ſeq. *Lutherus* eo venit, ibidemque coram innumera hominum multitudine, ex vicinia confluente, magno fructu verbum praedicauit. *Fribergae* Dux *Sax. Henricus* ab Euangelio ſe haud alienum exhibuit, quamquam poſt *Wormatienſis* edicti promulgationem quicquam mutare haud fuit auſus. A. 1520. *Ezardus Friſiae* Comes *Lutheri* dogmati coepit fauere, vbi *Emdae Georgium Apertanum* filiorum praeceptorem publice concionari permiſit. *Bornae* eod. anno *M. Wolfgangus Fuſius Witteberga* miſſus, primus religionis *Lutheranae* adſertor fuit, cui A. 1523. *Leisnizium*, et poſt *Chemnizium* vocato ſucceſſit *M Georgius Mohr*, qui multas Chriſto animas fuit lucratus, et ſponſam ex *B. Lutheri* manibus accepit. *Halberſtadii* circa idem tempus *Eberhardus Widenſee* et *Valentinus Muſteus* praedicare coeperunt (Vid. *Sagittar.* Hiſtor. Halberſt.) *Erfurti* docebat *Io. Langus* prior *Auguſtinianorum*, quamquam non ſine tumultu a plebe et iuventute Academica in clerum excitata; fideles poſt *Langae* paraſtatae fuerunt *D. Io Culſamerus, Aeg. Mechlerus, Conr. Klingius, Petrus Geltnerus. Ant. Muſa, Io. Rotelſtein, Nic Fabri, Chriſtianus, Matth.* Wideman, *Iuſtus Menius et Georg. Forcheimius*, illito cathedrae veneno ſublatus. Poſtquam deinde *Lutherus* An. 1522. bis ibidem praedicaſſet, infinitus eius doctrinae numerus hominum acceſſit. In *Bohemiae* confiniis et *valle Ioachimica* Rector ſcholae *Phil. Eberbachius* docere verbum coepit *Treptouiae* in *Pomerania Io. Bugenhagius* et *Andr. Cnophius Lutheri* ſententiam adprobare coeperunt, quorum ille poſt ſolum vertere et *Wittebergam* ſecedere fuit coactus. Poſt diſceſſum *Lutheri Wormatia* puriores conciones audiuit, et *Argentorati Matth. Cellius*, cum *Capitone, Bucero et Hedione*

repur-

repurgatam doctrinam propoſuit. *Antuerpiae* in *Belgio Iacobus Praepoſitus* cognomine *Spreng* ad *Lutheri* mentem publice concionatus, ſub ignis interminatione ad palinodiam coactus fuit, tandem denuo e carcere elapſus, *Bremae* diu ſatis docuit.

A. 1521. et ſeq. cum Epiſcopi *Miſnenſis et Merſburgenſis* in ditionibus *Saxonicis* ſuae dioeceſi ſubiectis viſitationes inſtituerent, locis compluribus, vt *Grimmae*, *Bornae*, *Herzbergae*, *Torgauiae*, *Wurzenae* Euangelii praedicationem, Miſſae factam abrogationem, Clericorum coniugia deprehenderunt, quibus tamen reniti haud ſatis valuerunt. Sic eod. A. 1521 *Io Ebner Noribergenſis Windshemii* in *Franconia* primam habuit concionem Euangelicam. *Bambergae* in *Franconia* quoque A. 1522. doctrinam Euangelii radices fixerat, qua de cauſa Pontifex *Hadrianus* Senatum ab eadem dehortatus fuit; neque minus alias *Franconiae*, in ditione Marggrauiorum *Caſimiri et Georgii* fratrum ſitas, ex vrbe *Norica* Euangelii lux irradiare coepit. In hac equidem vrbe prima concionando fundamenta poſuit *Domin Schleupnerus*, cui adſtitit *And. Oſiander Gunzenhuſanus*, et exinde in circumiacentem oram verbi ſonus vndiquaque ſe diffudit, quamquam Marchio *Caſimirus* firmiter initio ſuperſtitioni veteri adhaereret, ac poſtmodum A. 1526. in conuentu *Onoldino Spirenſi* receſſui ſtricte inhaerendum eſſe iniungeret, quod tamen ita ab eodem limitabatur, vt Paſtoribus quibuscunque imperaretur, Euangelium pure, nec quicquam ei contrarium docerent, .(Vid. *Hortled*. lib. I. 3. pag. 37. ſqq.) *Georgius* vero *Marchio* iam dum ſe Euangelio victum dederat, hinc poſt *Caſimiri* obitum A 1528. ſtatibus indulſit, vt Verbum Dei V. et N. Teſtamenti pure proponeretur, nec quicquam illi contrarium doceretur, ad cuius obſeruationem Magiſtratum Politicum obſtringebat. *Creilshemii* A. 1521. *Adam Candidus* ſiue *Weis* primus docuit, cuius dein opera multum poſt verbi praedicatio illic profecit. *Culmbacum* A. 1518. *Luthero* ad Comitia *Auguſtana* profecto hoſpitium praebuit, primaque doctrinae ipſius ſemina priuatim excepit, ſequenti tempore a *Io. Eck* A. 1524. it. *Io. Steinmez* et *Georgio Thielio* vberius ſparſa. *Baruthum*, Marggrauiorum hodie ſedes ſplendida, primos circa eadem tempora verbi praecones habuit *Io.* Prücknern, *Pancratium* Beeren, *et Ioan. Leuthold*; quos poſt aliquot annorum ſpatium *Petrus* Haueißen. et *Mart. Paeonius* ſecuti fuere. *Curiae Variſcorum Mart. Helſerus* Rector iam An. 1517. recepta Pontificiorum dogmata impugnare coeperat, relictaque ſtatione *Wittebergam* conceſſerat, ad vberiores in vera fide progreſſus faciendos, reuerſus inde in vicinis *Curiae* pagis Euangelium coepit docere. In ipſa autem vrbe *Caſp. Loehner* circa A. 1525. Papatui contradixit, multa propterea paſſus, praecipue a *Bambergenſi* Epiſcopo. *Io. Rurero* in *Onoldina* ciuitate haec cumprimis reſuſcitati Euangelii laus debetur. In *Suoba-*

ceno conuentu An. 1528. a Statibus prouincialibus Marggrauiatus, et vrbe *Norica* celebrato XVII. articuli conſcripti fuerunt, quibus praecipua fidei illius dogmata exponebantur, quaeque prima quaſi Auguſtanae Confeſſionis delineamenta nonnullis fuiſſe dicuntur; (vid. ſup. n. 32.) Aderant ex Theologis veritatem iam profeſſis *Io. Wenkius, Abbas Hailsbronn. Io. Rurerus*, paſtor *Onoldinus, Adamus Weis Creilsheimenſis: Dominicus* item *Schleupner et Andr. Oſiander Noribergenſes.* Quomodo An. 1524. *Noriberg.* Magiſtratus Monachis ſuae religionis exercitio interdixerit, prolixe exhibetur a *Seckend.* lib. I. p. 299. ſqq. *Neoſtadii ad Ayſſum* ante illud tempus verbum inſonuerant *Balthaſar* Fritſch et Dominus *Seifrid*, de quibus olim plura in Oratione Synodali Neoſtadii ad Ayſſ. An. 1690. habita dixi *Wonſidelii* in *Bohemiae* confinibus itidem A. 1523. in Xenodochio repurgationis ſuſceptum negotium, quod poſt in reliquis quoque templis contigit; primo hic Decano orthodoxo *Adriano de Rubenſtein*, et ſucceſſore M. *Ioh. Scharnagelio.* Conf. *D. I. G. Pertſchii* Origines Bonſid. p. 335. ſqq. Nec minus *Wertheimenſis* in *Franconia* Comes a B. Luthero A. 1522. praedicatorem orthodoxum expetiit. *Auguſtae Vindelicorum* eodem tempore *Io. Froſchius*, Theol. Doctor et Carmelitar. Prior, apud quem *Lutherus* olim diuerterat, Euangelium docere coepit, quod *Francofurti ad Moenum Hartmannus Ibachius*, inde ſecedere iuſſus, (vid. a *Seckend.* p. 243. ſqq.) *Vlmae* Monachi aliquot, *Ioan.* praecipue *Eberlinus* et *Henr. Kettenbachius*, inde propterea expulſi, *Conradus* item *Samius* cum *Io. Diepholto*; *Halae Sueuorum Ioan. Brentius* et *Iſenmannus*, fecerunt. *Erhardus Schnepfius* initio *Weinsbergae* Euangelium docuit, vnde poſt pulſus, a *Gemmingiis* receptus, *Guttenbergae* praedicauit, hinc *Wimpinam* vocatus, a ſeditioſis multa paſſus, poſtmodum *Weilburgi* in *Comitatu Naſſouico* reformationem inſtituit, *Hamburgi* A. 1521. *Otto Stifelius* contra indulgentias et cleri vitia concionando. reformationis fecit initia, ſed ſenio et cleri oppoſitione fractus deſtitit. Secutus A. 1523. *Stephanus Kempe* verbum DEI magna itidem contradictione praedicare coepit, quod A. 1526. publico Senatus decreto iniunctum. Quae illud conſecuta fuerint, vſque A. 1528. Pontificii Doctores per plebem vrbe eiicerentur, Vid. apud *Seckendorf.* lib. I. pag. 244. et II. p. 120. ſqq.

Mildeburgi ad Moenum A. 1522. *Io. Draco Carlſtadius, Bremae Henricus Zutphanius et Iacobus Auguſtiniani Antuerpienſes, Seruestae* ipſe *Lutherus* non ſine fructu docuerunt. *Stetini Pomeranorum Nicolaus Curienſis* et *Paulus a Rhoda, Stralſundae Chriſtianus Ketteibut, Stolpenae Petrus Suauenius. Danus*, verbi ſementem fecerunt. In *Liuonia Riga, Reualia, Dorpatum* ſuos habuerunt praedicatores, maxime *Andr. Cnophium.* Sic *Heluetiis et Alſatiis*, quamquam non in omnibus conformiter *Luthero*, praedicabatur Euangelium per *Zuinglium*, *Caſp. Hedionem*,

nem, Mart. Bucerum et *Io. Oecolampadium*; *Argentorati* praecipue omnium templorum fores Euangelio A. 1524. patefactae fuerunt, quod prolixius exhibet Dn. a *Seckendorf.* lib. I. p. 299. 301. II. p. 144. ſq. Nec minus in *Bohemia* et *Sileſia* ope *Georgii* Marchionis *Brandenb.* audita Euangelii vox, praecipue *Vratislauiae Io. Heſſo Noribergenſi* concionante, cui adiutor fuit *Ambroſ. Morbanus.* In ipſis quoque *Belgii* ditionibus et vrbibus haud pauci Euangelii praecones inueniebantur. *Magdeburgum* porro admiſit reformationis primordia A. 1522. per *Melch. Myricium, Io. Fritzhans Franciſc.* et *Eberhard Wildenſee Halberſtadio* pulſum, item *Nicol. Amsdorfium*, quamquam non ſine tumultu. *Islebiae Caſp. Guttelius* verbum pure docuit, atque *Arnſtadii* etiam conciones aliquot habuit, quibus itidem ſeminauit ibidem verbum, puriorisque fidei articulos defendit.

A. 1523. *Godſchalcus Groppius*, Monachus *Herfordenſis*, *Wittebergae* Doctor creatus, *Eimbeccae* cum *Erneſto Burmeiſtero* Euangelium docuit, vrbe propterea eiectus, vnde *Zellam* venit, ibidemque praedicauit, ex qua tamen poſt *Eimbeccam* fuit reuocatus.

Suecici Regni reformatio per *Guſtauum Erici Sueciae* Regem A. 1523. coepit, ob intolerabilem cleri potentiam exacerbatum, qui cum *Lubecae* in exilio Euangelii principia hauſiſſet, ac diſputationem inter *Olaum Petri Lutheri* diſcipulum et *Petrum Galle* Prof. Theol. permiſiſſet, qua hic peſſime ſteterat, ſacra Biblia in linguam Suecicam transferre, et noua Agenda Eccleſiaſtica conſcribere iuſſit. Circa bona Eccleſiaſtica An. 1526 conſtitutionem edidit, aliaque annis ſequentibus in Comitiis *Aroënſibus, Stregneſenſibus, Orebrogenſibus* et aliis conſtituit, non tamen omnia ex veteri cultu Pontificio ſimul abrogavit, ſed plurima adhuc retinuit, ſucceſſu demum temporis eliminata.

In *Daniam Chriſtiernus II.* adhuc Rex A. 1522. *Witteberga* quendam *Martinum* euocauerat, vt in aede *Nicolai* concionaretur: poſt regno pulſus A. 1523. *Lutherum* maxima voluptate concionantem audiuit. *Fridericus* vero Rex *Chriſtierno* ſubſtitutus, A. 1524. publico edicto ſanxerat, ne quis alteri religionis praetextu vitae aut honoris periculum inducat, ſed quisque in religione ita ſe gerat, quomodo DEO de facto ſuo inuiolata conſcientia reſpondere queat. Poſtmodum A. 1525. cuidam *Georgio Ioannis Wiburgi* in *Seelandia* liberam verbi praedicationem conceſſit, quem ſecuti alii, praecipue *Io. Tauſſon* et *Io. Schroeb* ingentem in expurganda *Dania* operam praeſtiterunt; ideo Rex An. 1527. in Comitiis *Othonienſibus Lutheranae* religioni cum Pontificia liberum exercitium permiſit, Monachisque et Monialibus clauſtris exire conceſſit. An. 1529. *Malmoae* in *Scania* Regis conſenſu purior religio, abdicata Pontificia, introducta, multum ringente Regni Clero, a quo Anno ſequ. in Comitiis publicis *Tauſſoni* magnum intentabatur vitae pericu-

lum, cui tamen a ciuibus ereptus, concluſumque fuit denuo, licere Miniſtris Euangelicis, in doctrina ſua pergere, donec publico Concilio, vtra Religio alteri praeferenda ſit, determinaretur. Rege demum *Chriſtiano III* per *Io. Bugenhagium* plenaria in *Daniam* reformatio introducta fuit, quod prolixius enarrat a *Seckend.* lib. III. p. 242. In *Holſatia* porro Anno 1522. quidam *Hermannus Taſt* ſub tilia et dio quosdam de Euangelio ſermones ad numeroſam multitudinem habuit. In *Pruſſiae* parte, cui *Albertus Marggrauius Brandenb.* Ord. Teut. Magiſter, et *Caſimiri* ac *Georgii* frater, praeerat, iam ab A. 1520. ſanae doctrinae deſiderium incolas iam ceperat, et cuncti ad eandem adſpirabant, ipſeque *Albertus* in Comitiis *Noribergenſibus* A. 1522. ex *Andreae Oſiandri* concione prima hauſit ſemina, a *Luthero* poſtea magis confirmatus A. 1523. a quo etiam *Io. Briſmannum* et *Petrum Amandum*, primos Euangelii in Regio monte Doctores impetrauit, quibus dein *Georgius a Polenz*, Epiſcopus *Sambienſis* ſuo conſilio et adiutu acceſſit, item *Paulus Speratus*, qui poſtquam *Auguſtae, Herbipoli, Viennae et Salzburgi* docuiſſet, *Iglaciae* in *Morania* incarceratus, ſed elapſus, a *Luthero* in *Pruſſiam* commendatus, Aulicus initio *Alberti* concionator, poſt Epiſcopus *Pomeſanenſis* factus eſt, autor Cantici: Es iſt das Heil uns ꝛc. *Io.* quoque *Poliander* itidem Doctor Euangelii in *Pruſſia* Canticum: Nun lob meine Seele den Herren ꝛc. compoſuiſſe ſcribitur. Anno tamen 1525. demum *Pruſſiae* ſolennem religionis mutationem fecit.

Iſenaci eodem Anno 1523. *Caſpar Aquila* ex *Rheni* partibus fugatus, docere coepit, poſt *Salfeldiam* translatus, cum iam An. 1522 duo Monachi Pontificios errores *Iſenaci* perſtrinxerint, et *Iacobus Straus*, ac *Thomas Neuenhagen* maſculi ibidem praecones extiterint; prior tamen propter vehementiam, et quod furenti plebi praeiret, An 1525. *Vinariam* captiuus fuit abductus. Nec minus in *Lotharingiam* ipſumque *Galliae* regnum hoc tempore *Lutheri* doctrina penetrauit, magno tamen Satanae furore ibidem excepta, quod ex perſecutionibus patebit. *Olsnitii Wolfgangus Cruſius* acrius et imprudentius, quam par erat, taxabat errores Pontificios, a *Luthero* propterea increpatus; denique eodem An. 1523. *Bipontinus* Ducatus, autore Principe *Ludouico* per *Iohan. Schwebelium* et alios verbi comminiſtros praedicationem admiſit.

An. 1524. *Vinariae Ioannes* Dux et Frater Electoris *Friderici* clam hactenus toleratam religionis mutationem publice introduci conſenſit, quo *Ioannes Caeſius* ſiue *Grau*, *Witteberga a Luthero* miſſus, praedicando Euangelio omnem nauauit operam, primusque illic Paſtor conſtitutus, a luxurioſo quopiam, quem debite correxerat, colapho exceptus fuit, cui vniuerſaeque ipſius poſteritati *Lutherus* peſſima quaeque haud vane fuit imprecatus; annis tamen adhuc ſequentibus *Vinariae* et alibi in *Thuringia* moniales veteris ſuperſtitionis adhuc obſeruantes

erant,

erant, quoad viuerent, toleratae. *Brunſuigae* iiſdem temporibus ſemina Euangelii iacta fuere, Anno tamen 1528. demum ope *Ioan. Pomerani* ad maturitatem perducta, miniſterium illic confecta ordinatione Eccleſiaſtica recte ordinantis. Sic *Io. Sluterus Roſtochii* in Ducatu *Megapolitano* A. 1523. praedicationis fecerat initium, *Henricus* autem *Mollenſis Wismariae* Anno ſequenti Euangelium adnunciare coepit. *Iaegerndorfenſis* item Principatus ope *Georgii Marggrauii* eodem A. 1524. agnoſcere veritatem coepit Euangelicam. In *Haſſia* illo tempore per *Philippum Landgrauium*, quamquam tenuia initio reformationis praeludia fieri coeperunt. *Hoienſis* Comitatus A. 1524. ope Comitis *Iodoci* per *Adrianum* quendam *Antuerpia* profugum Euangelium admiſit; et *Noerdlingenſis* ciuitas, poſtquam ab Abbate *Hailsbronnenſi* iura Patronatus redemiſſet, ope Theologi *Gerlacheri Billicani* reformationem publice ſuſcepit, quamquam tenuibus initiis, vſque A. 1538. plenior Miſſae aliorumque errorum abrogatio fieret, a *Seckend.* lib. III. p. 184. ſqq. *Bopſinga* itidem Imperiale in *Suenia* oppidum, paria cum *Nordlinga* vicina fata habuit, A. 1554. tandem ad firmius colenda illa ſacra adacta.

An. 1525 Felix exitit quibusdam in *Luſatia* locis, *Goerlitio* et *Laubae*, ductu *Franciſci Ahenobarbi*, Diaconi *Gorlizenſis*, Papatum eliminantibus, Comitatibus item *Hanonienſi*, *Oldenburgico*, *Tecklenburgico*, vrbibus quoque *Northuſae et Hagenoae*, nec non *Dantiſco* ſiue *Gedano*, celeberrimo ad mare *Balthicum* emporio, quod *Bugenhagium* concionatorem exoptauit, qui tamen *Wittebergae* permanſit.

Anno ſequ. 1526 *Philippus Haſſiae* Landgrauius ampliſſimas fores Euangelio poſt *Spirenſia* Comitia in ſuo Principatu patefecit, adiutus opera *Franciſci Lamperti, Galli*, qui publica cum aduerſariis diſputatione veritatem fortiter defendit. Sic *Philip. Melanchthonis* conſilio A. 1527. viſitatio Eccleſiarum in *Saxonia*, *Miſnia* et *Thuringia Electorali* ſuſcepta, plurimas ex Papaca ſuperſtitione reliquias eliminauit.

Goslarienſes A. 1528. Duce *Nicolao Amsdorfio* reformationem admittebant, item *Goettingenſes*. Comes quoque *Diepholtenſis* Euangelii doctrinae adſurrexit, it. *Mompelgardenſis* Comitatus eadem luce fuit illuſtratus.

An. ſequ. 1529. *Mindenſi* vrbi *Albertus Niſeus et Nicolaus Cragius* Euangelium praedicarunt.

An. 1530. *Lubecenſis* Senatus ciuibus ſuis id ipſum multoties hactenus id anxie petentibus, liberam Euangelii praedicationem permiſit, et *Andream Guilielmi* cum *Io. Walhof*, primos praecones conſtituit, fruſtra renitentibus Canonicis. *Liuonia* quoque magno feruore verbi puritatem admiſit, *Io. Briſmanno* ex *Pruſſia* eum in finem illuc miſſo

An. 1532. *Principes Anhaltini Ioannes* et *Ioachimus*, cum patruelis eorum *Wolfgangus* iam A. 1522. *Lutherum* concionantem

Serue-

Serueſtae audiuerit, et Confeſſioni Auguſtanae ſubſcripſerit, tandem in reliquis ſuis ditionibus reformationem admiſerunt, primo ibidem praecone *Nicolao Hausmanno*. *Bremae* etiam in cathedrali templo Miſſaticum ſacrificium abrogatum; *Oſnabrugenſes* autem conſenſu Epiſcopi ſui Lubeca *Hermannum Bonnum* vocarunt, qui verbum pure praedicaret.

An. 1533. *Ioan*. Dux *Cliuenſis*, edictum propoſuit, quo ſuos paſtores Dei verbum pure docere, omiſſis hominum additamentis, antiquos tamen ritus retinere iuſſit, atque ita nondum Papatui valedixerat. *Suſatenſes* tamen et *Lippienſes* Euangelii praedicationem liberam admiſerant. Eodem Anno in Electoralibus ditionibus viſitatio Eccleſiaſtica magno fructu repetita, in *Ruthenorum* item Dominorum terris, et *Schwarzburgica* ditione introducta fuit.

Anno 1534. Ducatus *Calenbergicus* reformationi ſe ſubmiſit, curante opus *Nicolao Amsdorfio*, et conſtituto Eccleſiarum Ephoro *Gotſchalco Groppio*. Ciues quoque *Hannouerani*, reluctante quamquam Principe ſuo *Erneſto*, liberum verbi curſum admiſerunt, accito eum in finem *Herfordia Rudalpho Mylio*, et poſt *Vrbano Rhegio*. *Pomeraniae* quoque Duces Reformationem publice ſuſceperunt, et *Auguſtani* omnibus ex templis Miſſam eliminarunt.

An. 1535. *Vlricus* Dux *Wurtenberg*. Ducatu ſuo a *Ferdinando* Rege et foederatis olim eiectus, ſed a *Philippo* Landgrauio *Haſſiae* reſtitutus, Euangelicam religionem induxit. ope cumprimis vſus *Erhardi Schnepfii* et *Ambroſii Blaureri*, *Tubingenſem* item Academiam purius ordinauit, auxilio *Phil. Melanchthonis*, monaſteria denique Principatus rectius conſtituit, eiectis ſuperſtitionibus Papalibus. *Georgius* item Dux *Wurtenberg*. in ſua ditione reformationis negotium ſuſcepit, *Helueticae* tamen confeſſioni conformiter. Anno eod. omnis *Pomerauia*, eiecto fermento Papali, et inſtituta viſitatione Eccleſiaſtica, Euangelii doctrinae ſe addixit.

Hermannus Colon. Archiepiſcopus A. 1536. iam conſilia de reformatione ſuſceperat, eamque in rem per *Ioan. Gropperum* formulam quandam conſcribi fecerat, quae tamen neutri parti ſatisfecit, vſque tandem A. 1542. et ſeq. maiorem reformando illi Archi Epiſcopatui operam admoueret, idque ope *Melancht*. *et Buceri*; verum cum Pontifex et Clerus omni conatu reſiſteret, ceſſit A. 1547. conſilio reformationis, et abdicato Archi-Epiſcopatu priuatus conſenuit. Vid. haec prolixius recenſita a *Seckend*. lib. III. ſect. 15. 27. et 34.

A. 1537. *Henricus Saxoniae* Dux *Georgii* frater, diu ſecum meditatam reformationem in *Fribergenſi* ditione, fruſtra ringente fratre, induxit.

An. 1538. feruore *Magni* Epiſcopi *Suerinenſis* in Ducatu *Mecklenburgico* reformationis Euangelicae iacta fuerunt fundamenta,

menta, obnitente tamen *Henrico* Duce, hinc ad An. 1552. plenior purioris religionis introductio fuit reſeruata.

Poſtquam An. 1539. *Georgius*, *Saxoniae* Dux, infenſiſſimus Pontificiarum ſuperſtitionum defenſor, nullo ex ſe relicto haerede, obiiſſet, ad fratrem *Henricum* deuolutae eius in *Miſnia* et *Thuringia* ditiones, confeſtim ad dudum exoptatam Euangelii publicam profeſſionem adſpirarunt, vbi initio *Annebergae*, poſt in feſto *Pentecoſtali Lipſiae* et alibi conciones Euangelicae habebantur, Miſſae item et communio ſub vna abrogabantur, ac per viſitationem publicam, quae ad redintegrationem Euangelii neceſſaria erant, ordinabantur. Vid. *Seckend.* l. III. ſect. 19. p. 216. ſqq. *Marchiacis* terris idem annus extitit fauſtiſſimus, quippe *Ioannes* Marggrauius initio in *noua Marchia*, et Ducatu *Croſnae*, ac parte *Luſatiae* Euangelii doctrinam admiſit; quod quidem Anno praeced. factum fuerat: quem ſecutus Elector *Ioachimus II.* vltimo Octobris A. 1539. idem praeſtitit, et *Coloniae ad Spreuum* communionem ſub vtraque aliaque purioris religionis dogmata admiſit, ope vſus *Iacobi Stratneri*, Concionatoris aulici *Onoldini*, et *Georgii Bucholzeri*, praepoſiti *Berlinenſis*, qui ordinationem Eccleſiaſticam conſcripſerunt, ſimulque per viſitatores melior illis Eccleſiis facies fuit inducta. Eadem felicitas *Daniae* quoque regno eod. anno obrigit, quo vltima reformationi manus per *R. Chriſtianum III.* feliciter fuit impoſita. vid. *a Seckendorf.* lib. III. p. 241. ſqq. Exin Euangelii ſonus penetrauit in *Islandiam* eod. anno: nec minus *Holſati* et *Dithmarſi* repurgatae fidei ſe penitus addixerunt. *Quedlinburgi* quoque Abbatiſſa *Anna Stolbergenſis* ciuibus ſuis Euangelii libertatem non modo indulſit, ſed et eandem fidem profeſſa fuit, adiuta conſilio *Tilemanni Plettneri*, Superintendentis *Stolbergenſis*, conſtituitque *Ioannem Wimmenſtadium* cum aliis puriorem verbi praeconem. Nec minus Dux in *Sileſia Lignicenſis* repugantes Miniſtros ſuae ditioni reformandae expetiit. Porro circa haec tempora in *Anglia* et *Gallia* verbi purioris profeſſio magno animo a compluribus agitabatur, Satanae tamen molitionibus grauiter inhibita

An. 1540. *Spirenſis* Senatus duos Concionatores Euangelicos, indignante licet Caeſare, vocauit, et *Dinkelſpilenſes* cum *Giengenſibus* eandem fidem circa illa tempora receperunt.

Sequente anno 1541. *Hala Saxoniae* publice religionem orthodoxam admiſit, operam ſuam conferente *Iuſto Iona*, praepoſito *Wittebergenſi*; cum diu ante purioris doctrinae ſemina ſparſa clanculum fouerentur. *Seckendorf.* p. 372. l. III. Parem felicitatis gradum quaedam *Sueuiae* ciuitates, item Comitatus ad *Rhenum* nonnulli eod anno impetrarunt. Sic *Naumburgi* diu hactenus ſollicitata, et interruptis quanquam vicibus ſuſcepta reformatio, ad finem tandem fuit perducta, per *Nicolaum Medlerum*, *Curia Variſcum*, primum illic Paſtorem et Superintendentem.

Cizae

Cizae quoque *Eberhardus Bugerus*, a *Saxoniae* Electore eo miſſus, cum ad verbi diuini normam iam A. 1539. plebem coepiſſet informare, An. 1542. opus illud feliciter ad finem perduxit, quo ipſo anno *Ratisbonam* quoque lux diuinae veritatis circumfulſit, et penitus orta fuit, prioribus iam annis, et quidem ab A. 1523. radiis ſuis oculos anhelantium ciuium perſtringens, primo hic doctrinae Euangelicae publico et ordinario Doctore *Eraſmo Zolluero*, quem plures alii fidiſſimi paraſtatae in opere hoc ſtrenue adiuuerunt. Sic *Palatinatus iunior* ſiue *Neoburgicus* per *Ottouem Henricum* iſthoc ſplendore fuit colluſtratus, conſiliis adhibitis *Michaelis Dilleri Monachi Auguſtiniani*, et *Andreae Oſiandri*. *Hildeſia* vrbs ope *Bugenhagii* orthodoxam fidem adprehendit, fruſtra omnem contra lapidem mouente vrbis Epiſcopo. *Metenſes* quoque ad eandem libertatem adſpirauerant, ſed obtinere haud valebant, a Caeſare impediti *Wurzenae* quoque viſitatio inſtituta, tranquillitatem religioni peperit, primo illic Superintendente *Ioan. Hofmanno*.

An 1543. Elector *Saxoniae* cum Landgrauio *Haſſiae Philippo*, in occupato priori anno certis de cauſis Ducatu *Guelferbytano*, et eiecto Duce *Henrico*, magno Proteſtantium hoſte, ordinationem Eccleſiarum illius regionis edi curauit per *Bugenhagium*, *Ant. Coruinum* et *Mart. Gorlitium*. *Reualienſibus* in *Liuonia* ad inſtantes preces *Lutherus M Henr. Bock Hamuelenſem* tranſmiſit.

An. 1544. *Comitatus Principalis Hennebergicus* diu hactenus reluctante *Wilhelmo* eius Domino, tandem publice Euangelium admiſit, et *Io Forſterus Wittebergæ* eam in rem vocatus, quae ad opus hoc expediendum erant neceſſaria, perfecit. *Merſburgenſis* quoque Epiſcopatus ſub *Auguſto* Duce *Saxoniae* et Epiſcopo, ad diu ante votis expetitam reformationem peruenit, ope *Georgii Anhaltini* Principis, cui ſacrorum cura ab *Auguſto* fuerat commiſſa *Rotenburgum ad Tubarim* eodem anno publicam fidei Euangelicae profeſſionem fecit, quam diu ante multi ex Senatu et ciuibus priuatim coluerant.

An. 1545. *Fridericus* Elector *Palatinus*, multoties ſecum meditatam Euangelii Profeſſionem publice introduxit, quod non modo in inferiori, ſed et ſuperiori Palatinatu factum, quamquam poſtea circa An. 1559. *Caluiniſmus* fidei puritatem illis in dies infecerit. Vid. *a Seckendorf.* lib. III. pag. 616.

An. 1546. *Leutkircha* Imperialis *Sueuiae* vrbs, non ſine magna contradictione, religionis tandem libertate frui coepit, *Io. Schalheimero* primo repurgati verbi praecone. His et reliquis ad fidem puriorem ſe adplicantibus plenior conſcientiarum libertas *pace Paſſanienſi* fuit A. 1552. indulta, et in *Comitiis Auguſtanis* An. 1555. confirmata. Hinc An. 1561. Archi Epiſcopatus *Magdeburgenſis Lutheri* quoque doctrinae ſubſcripſit: A. 1564. *Ferdinandus I.* Imp. *Bauaris et Auſtriacis*, certis quam

quamquam conditionibus, communionem ſub vtraque permiſit; et a *Maximiliano II.* Imp. Dynaſtae, *Comites, Barones et Nobiles Auſtriaci* in Eccleſiis ſuis publicum *Auguſtanae Confeſſ.* exercitium obtinuerunt, ea tamen ratione, vt ordinem doctrinae et rituum totius adminiſtrationis Eccleſiaſticae certum *Saxonicis* Eccleſiis congruentem ſeruarent. Sic et Ordinibus in *Stiria* et *Carniola* conceſſum fuit liberum Euangelicae religionis exercitium.

A. 1583. Archi-Epiſcopus *Colonienſis Gebhardus* eandem fidem inducere molitus eſt, ſed, quod repugnaret denuo Clerus, et Pontifex *Gebhardum* excommunicaret, infauſta haec fuere molimina. Creſcebat porro in *Belgio* credentium numerus, quos immanis tandem *Hiſpanorum* ſaeuitia extirpare ſedulo adniſa fuit. Atque haec praecipua religionis orthodoxae hoc Saeculo fuerunt incrementa.

(40) *Polonia* A. 1552. religionibus *Lutheranae et Reformatae* Rege *Sigiſmundo Auguſto* libertatem plenariam magno fructu indulſit, adeo, vt ipſe Rex haud parum ab illius profeſſione abfuerit, ſociorumque confeſſionem blande exceperit, et Concionatores *Io. Camninium et Laurentium Praſnitium* aliquoties magna voluptate audiuerit. *Hungaria* vero ſenſim fidei puriori ſe addixerat, Saeculo ſequente demum ea felicitate plenius mactata.

(41) Fundamenta ad religionis in *Anglia* mutationem iacta fuere ſub Rege *Henrico VIII.* qui vtut Pontificiarum ſuperſtitionum antea acerrimus contra *Lutherum* fuerat defenſor, quod tamen Pontifex in diuortium cum coniuge *Catharina* fratris relicta vidua conſentire nollet, omnem illi in *Anglicanis* ſacris poteſtatem deneganit, obedientiam renunciauit theſauros *Romam* exportare prohibuit, ſeque caput Eccleſiae *Anglicanae* conſtituit, quamquam in ipſa fide nihil initio immutaret; poſt vero Principibus Proteſtantibus foedere iunctus, reformationis negotium in *Anglia* haud prohibuit, *Anna* praecipue *Bolenia*, ſecunda eius coniuge, multum operae contribuente, et, vt Biblia in linguam *Anglicanam* transferrentur, curante, poſt cuius tamen ſupplicium reformationi ingens ab *Henrico* ſufflamen iniectum: quo defuncto, et *Eduardo* ſucceſſore adhuc impubere, a tutoribus Pontificia religio cum Miſſa plane abrogata, et communio ſub vtraque introducta fuit; ſed *Eduardo* An. 1553. rebus humanis exemto, *Maria* Regina Pontificios ritus reſtituit, regnumque Pontifici denuo ſubdidit, retentis tamen ſupremi Eccleſiae *Anglicanae* capitis titulo ac bonis Eccleſiaſticis. Quae huic 1558 defunctae ſuccedebat *Eliſabetha*, ſine omni motu ac ſenſim denuo Reformatam religionem regno induxit ac ſtabiliuit. Vid. *Burnet.* Hiſt. reform. Anglic. Exinde eadem fidei profeſſio in *Scotiam* fuit introducta, ibidemque Anno 1559. publico parlamenti decreto, Papatu abrogato, ſtabilita.

(42) Vid. ſuperius dicta de Reformatione *Danica.*

(43) *Franciſcus* enim *Xauerius*, et poſt eum complures alii Societa-

Digitized by Google

cietatis IESV Patres de fide Chriſtiana *Sinenſibus* aliisque conterminis, gentiliſmo adhuc imbutis, impertienda ſolliciti, non inanem prorſus operam impenderunt, ſi omnimoda eorum relationibus fides adhibenda. In *Chinam* autem primus omnium veniſſe perhibetur *Martinus de Rada*, Auguſtinianus A. 1575. cui ſucceſſit A. 1581. *Martinus Riccius*, Ieſ. Adpulere poſtea A. 1596. *Dominicani*, qui magnam conuertendis *Sinenſibus* operam impenderunt. *Iaponenſium* autem conuerſio ab initio Ieſuitis debetur. Vide *Pract. Mor. Ieſuit.* Tom. III. Ex *Africa* Pontifex *Clemens VII.* magnum ſuae dignitati pollicebatur incrementum, dum *Franciſco Aluarez Luſitano* Rex *Habeſſinorum David* literas et mandata *Romam* deferenda commiſit, quibus amicitiam ſpondebat: *Romani* autem ſubiectionem interpretati, ſpe iam illud regnum deuorauerant, qua tamen omni penitus exciderunt. Vid. *Ludolf.* Hiſt. Aeth. In *Americanis* nouiter inuentis ditionibus *Hiſpani* magna ſaeuitia Chriſti religionem inducere conabantur, adeo, vt non tam Chriſto, quam ſuae auaritiae gentes lucreſecerint; poſtmodum tamen in reliquiis earum conuertendis aliquam impenderunt curam.

§. 2.

Quantum vero impedimentum curſui Euangelico a Daemone fuerit oppoſitum, paucis lineolis explicari haud poteſt. Apud *CAROLVM* Imperatorem maior ſuperſtitionem ſemel inbibitam defendendi, quam veritatem inquirendi cura fuit, itaque *Lutherum* proſcripſit (1), atque *Proteſtantium* foederi *Schmalcaldico* (2) ac ipſi nomini, quod a ſolenni illa *proteſtatione*, quam
1529. in *Spirenſibus* Comitiis interpoſuerant, geſſerunt (3), excidium intentauit vltimum (4). Atque
1546. ex eodem fonte manauit bellum illud *Schmalcaldicum*, *Papae* praecipue inſtinctu, quo Elector *Saxoniae Ioannes Fridericus* in praelio ad *Mülbergam*, ac poſt *Halae* Landgrauius *Haſſiae Philippus* vnius literulae facta inuerſione (5), capti, perque ſexennium fere in captiuitate detenti fuere (6). Atque ille quidem Electorali dignitate ſpolia-

ſpoliatus, agnato *Mauritio*, (hodiernae familiae *Electoralis Saxonicae* propagatori, tandemque eiusdem *Io. Friderici et Philippi* ſoceri, adiuto armis *Alberti* iunioris M. B. liberatori, et pacis 1552.
Paſſauienſis procuratori,) (7) praeeminentiam hanc cedere fuit coactus. Vt praeterea infinitas perſecutiones contra Euangelicos vbique fere ſuſceptas ſileam (8): inquiſitionum certe in *Hiſpan.* grauitas (9), *Albani* in *Belgio* crudelitas 1572.
(10); et *Pariſienſis* illa in *Gallia* execranda laniena *Bartholomaei* feſto acta, horum fidem faciunt (11). Propoſita *Auguſt. Confesſioni* addi- 1548.
ctis fuerat alia ab Imperatore religionis formula, *Interim* dicta (12), quae ad *Concilii* vſque Generalis decifionem obſeruaretur, confectaque erat a *Iulio Pflugio*, Epiſcopo *Naumburgenſi*, *Mich. Sidonio*, Chor-Epiſcopo *Moguntino*, Epiſcopo poſt *Merſeburgenſi* et *Io. Agricola Islebio*, compluraque Pontificum dogmata confirmabat, vnde et a multis, maxime Electore adhuc captiuo, *Io. M. B. Wolfg. Bipontino* aliisue conſtanter reiiciebatur (13).

Exorto itaque Euangelio haereſes ſuperaddidit tyrannis grauibus grauiores et foecundas omnis mali pater, quibus ſinceram hanc doctrinam labefactare vel inficere fuit aggreſſus. Quod *Sacramentaria lis* (14) inter *Martinum Lutherum* 1522
ac *Wittebergenſes* ab vna, ac *Carlſtadium*, *Vlricum* ſqq.
Zuinglium, *Io Oecolampadium*, *Io. Caluinum*, *Martinum Bucerum* ac *Theologos Heluelicos* ac *Sueuicos*, (qui tamen vltimi primis poſt ſe ſociarunt) ab altera parte hanc doctrinae vnitatem

conuulſerit, vt in hodiernum etiam diem redu-
niri haud valuerit, calidiſſimis deplorandum eſt lachrymis. Statuerat ſcilicet *B. Lutherus* ex CHRISTI mente in Inſtitutionis verbis declarata, et concordi Patrum ſententia, in ſacra Euchariſtia corpus et ſanguinem IESV CHRISTI vere accipi, ore edi, ore bibi, ab indignis pariter et dignis, quamquam in illorum condemnationem, horumque ſalutem. Huic ſententiae *Carolſtadius* initio, qui in Verbis Inſtitutionis τὸ Hoc
1524. demonſtratiuum tantum eſſe aiebat, poſt *Vlricus Zuinglius*, paſtor *Tigurinus*, ſe oppoſuerunt, hicque CHRISTI corpus et ſanguinem vere in coena ſumi negauit, ſed fide modo accipi ſtatuit, quod alteram ſententiam rationi ſuae perſuadere non poſſet. Inſtitutionis igitur verbis tropum ineſſe, et τὸ EST pro *ſignificat* poſitum fuiſſe voluit. Videbatur lis ea quibusdam ab initio de verbis tantum eſſe: cum vero *Lutherus* demonſtraſſet, ipſam rem explicatione hac periclitari, *Tigurini* porro alios etiam de perſona CHRISTI et eius omnipraeſentia, praedeſtinatione et electione errores fouere inciperent, ſegregarunt ſe a nobis, omnique fruſtra tentata opera conciliatio feliciter hactenus inſtitui non potuit. Hac itaque ratione ſchiſma illud in puriori doctrina ſuccreuit, ſuſtentatum et latius propagatum a *Io Caluino*, praecipue in Articulo *de Praedeſtinatione* ceteris duriore. Ad latus ponendi his *Anabaptiſtae* (15), ſuorum baptiſmum in adultiorem aetatem, et Annum vſque 13, communitex adſeruantes, atque ab aliis ad ſe transgreſ-

transgreſſos rebaptizantes; Quorum non vna ſecta, dum alii *tacentes*, alii *orantes*, *Ecſtatici*, *Libertini*, *Auguſtini*, *Adamitae*, *Hutitae*, etc. variis, iisque ſaepe ridiculis opinionibus ſunt dediti (16). Praecipui illorum Autores *Thomas Münzerus*, ruſticorum in *Germania* concitator, *Io Leidenſis* ſartor et *Knipperdoellingius Monaſterienſium* turbatores extiterunt (17). *Dauid Georgius*, qui 1525.
diu *Baſileae* ſub alio nomine latitauit, ſe verum *Chriſtum* mentitus fuit, mortuorum reſurrectionem, extremum iudicium, Angelos, vitamque aeternam negauit, ſoli carni peccatum attribuit, aliaque plura finxit blaſphema, tertio poſt mortem anno, quo reſurrectionem ſuis fuerat pollicitus, igne crematus (18); Haud inferior illo *Caſpar Schwenkfeld* ex *Sileſia* nobilis, Enthuſia- 1542.
ſmum Anabaptiſtico furori addidit, verbique diuini et Sacramentorum contemptum in Eccleſiam inuexit, patria propterea exulare iuſſus (19). *Michaël Seruetus* Hiſpanus (20), horribili et blaſphemo ore de Sacroſancta Trinitate locutus, ob easque blaſphemias *Geneuae* tanquam haereticus 1552.
ad flammam vſque contumaciſſimus exuſtus. Item *Valentinus Gentilis Campanus*, ob ſimile dogma peſtiferum *Bernae* ſupplicio adfectus (21). *Laelius* inſuper et *Fauſtus Socini* (22) *Itali Socinianam* induxerunt haereſin, qua Trinitatis ſacratiſſimae myſterium, CHRISTIQVE cultum et ſatisfactionem impugnarunt, atque ex diuinis literis palliare conati fuerunt. Dicuntur hi alias a *Photino*, Saeculi IV. haeretico, *Photiniani*, *Neo-Photiniani*, *Anti-Trinitarii*, *Neo-Ariani* (23), vi-

iusque hoc *Poloniam*, *Tranſyluaniam*, *Vngariam*, *Prusſiam*, et *Belgium* peruagatum eſt, atque ex *Germanis* plures, vt *Valentin. Smalcium* Gothanum, autorem Catechiſmi *Rakouienſis*, *Io. Sotherum* Pitnenſem, *Chriſtoph. Oſtorodium* Gorlicenſem, aliosque infecit (*). Complures ex illis in abominandam iſtam ſententiam per *Caluini* dogma deducti fuere, hinc *Adam Neuſſerus Mahummedanus* tandem factus expreſſe adſeruiſſe fertur: *Mahummedaniſmum vitaturus fugiat Arianiſmum, et ab hoc liberum ſe praeſtiturus, Caluiniſmum*

1592. (24). *Franciſcus Puccius Indifferentiſmum* induxit, fideque naturali omnes homines ſaluari quacunque religione poſſe, dummodo virtutibus ſedulam praeſtent operam, dixit (25). Monachi porro quidam *Hiſpaniae illuminatos* ſe nominantes aliorum vxoribus ſub diuini cultus praetextu miſcebantur (26); alii in *Gallia* auriculari confeſſione ad varias libidines abutebantur; quidam etiam in *Belgio* frater *Cornelius* ſimplicioribus aliquot foeminis et virginibus, vt virgis ſe nudas ſubiicerent, perſuaſit (27). In hunc porro numerum referendi veniunt alii huius Saeculi *Schi-*

1538. *ſmatici*: In *Germania Io. Agricola* Islebius, *Antinomorum* autor, omnem ex Eccleſia legem ſublatam voluit (28); qui librum *Interim* receperant, *Adiaphoriſtae* dicti fuerunt (29); *Georgius Maior* Theologus Wittebergenſis, bona opera neceſſaria dixit ad ſalutem (30); *Nicolaus* vero *Ambsdorfius* pernicioſa (31). *Synergiſtae* autore *Victorino Strigelio* (32) coeerunt, et naturales hominum vires etiam in regeneratione haud parum

rum valere contenderunt. *Andreas Oſiander* (33) 1551.
Profeſſor Regiomontanus, *CHRISTVM* extra *Adami* etiam lapſum incarnandum quamuis haud crucifigendum fuiſſe, eundemque ſecundum diuinam ſolum naturam noſtram eſſe iuſtitiam ſtatuit. Oppoſuit ſe ipſi *Fr. Stancarus* (34) Italus, Ebr. linguae ibidem Prof. qui *CHRISTVM* ſecundum humanam modo naturam nos redemiſſe voluit, *Petrum* quoque *Lombardum* pluris aeſtimauit, quam C *Lutheros*, CC *Melanchthones*, CCC *Bullingeros*, CIↃ *Martyres et* IↃ *Caluinos*, ex quibus omnibus, licet in mortario comminuerentur, verae tamen Theologiae vnciam exprimi nequicquam poſſe fabulatus eſt. Porro *Matthias Flacius Illyricus* in feruore diſputationis cum *Strigelio* totam hominis naturam eſſe peccatum originis fuit arbitratus (35). Cum vlterius partim inter *Euangelicos*, quos a *Luthero Lutheranos* communiter indigitant, et *Caluinianos* *Caluini* ſectatores (36); partim vero inter ipſos *Euangelicos* diuerſae enatae eſſent ſententiae, *Auguſtus Saxon.* Elector, *Torgae* per Theologos ex diuerſis prouinciis euocatos, *Iacobum Andreae*, *Martinum Chemnitium*, *Nicolaum Selneccerum*, *Dauidem Chytraeum*, *Andr. Muſculum*, *et Chriſtoph. Cornerum* Concordiae articulos conſcribi, *Bergenſi* porro coenobio prope *Magdeburgum* reuideri, et denique ſub *Formulae Concordiae* nomine publicari iuſſit (37), cui magnus Electorum, Principum, Nobilium, Ciuitatum et Eccleſiarum Scholarumque Miniſtrorum ſubſcripſit (Vide *Maii* Theol. Symbol. p. 40. ſq.) numerus (38), quam

(margin dates: 1561 beside "Porro Matthias Fla-"; 1577 beside "Elector, Torgae ... pro-"; 1580 beside "porro coenobio ... et")

non modo ob priuatas et politicas quasdam rationes nonnulli varie traduxerunt, eiusque ſubſcriptionem recuſarunt (39), (quamquam et *Dania* ac *Noriberga* non ſubſcripſerit, quarum tamen Eccleſiae eam nec reiiciunt, nec impugnant, ſed adprobant.) ſed de *CHRISTI* etiam omnipraeſentia et vbiquitate ingentem litem concitarunt (40). Hinc *Samuel Huberus* Prof. Witteb. noui ſchiſmatis autor fuit, dum electionem omnium hominum vniuerſalem plane ſtatuit, quem *Aeg. Hunnius* et alii impugnarunt (41). Reliquas huius Saeculi controuerſias ſilentio inuoluo: Denique haut parum *Germaniam* turbavit emendatio *Calendarii* (42), ſuſcepta a *Gregorio XIII.* R. P. Quod enim *Iulianum* nonnullis ſcateret vitiis, iniunxit eius correctionem Pontifex viris in arte hac celebratiſſimis, *Antonio et Aloyſio Liliis* fratribus, qui demtis 10. diebus ex
1583. A. 1583 annum ad priſtinos reuocarunt terminos. Cumque Papa *Rudolpho* Imp. et Imperio idem vellet imponere, a Proteſtantibus, fere omnibus certis ex cauſis fuit reiectum; atque hoc non in rem modo priuatam, ſed et publicam ipſamue Eccleſiam plurima inuexit damna (43).

(1) Factum id in Comitiis *Wormatienſibus*, menſe *Maio*, edicto, quod Tomo I. Ien. Germ. p. 456 extat, quo vt haereticus et ſchiſmaticus proſcribebatur, omnibusque illum recipere aut protegere prohibebatur, contra eum cum adſeclis inuadendi permittebatur.

(2) *Schmalcaldiae* An. 1531. congregati Principes Euangelici ſeptem, cum ciuitatibus foedere ſe iungebant, ad hoſtilem quamcunque vim depellendam, ſi quae fidei et religionis cauſa inferretur, confectis eapropter tabulis, quas *Hortlederus* lib. VIII, 8. de bello Smalcaldico T. I. exhibet.

(3) Decretum Comitiorum *Spirenſium* cum in fauorem Pontificiorum

ciorum

ciorum eſſet ſancitum, atque purioris religionis propagatio eodem impediretur, contra illud publice *Ioannes* Elector *Sax. Georgius M. Brand. Erneſtus et Franciſcus* Duces *Luneburgenſ. Philippus Haſſiae Landgrauius*, ac *Wolfgangus* Princeps *Anhaltinus*, cum vrbibus *Argentorato, Norimberga, Vlma, Conſtantia, Lindauia, Memminga, Campoduno, Nordlinga, Heilbrunna, Reutlinga, Iſna, San Gallo, Weiſſenburgo in Norico et Windshemio* proteſtati fuerunt, quo ipſo *Proteſtantium* nomen ipſis adcreuit. Vid *Sleidan.* l. VI. de Statu relig. et Reip. *Seckend.* l. II. p. 127 ſqq.

(4) Perſuaſus enim a Pontifice Caeſar ad exterminandam religionem Proteſtantium plurima contulit conſilia, maioremque Euangelicorum opprimendorum, quam coërcendorum *Turcarum* curam impendit.

(5) De bello *Smalcaldico* praeter *Sleidanum* ex actis prolixam recenſionem congeſſit *Frid. Hortlederus*, editis de eodem duobus voluminibus. Ad capturam *Philippi Haſſiae Landgr.* palliandam ex vocabulo einige Gefängniß, ewige per *Atrebatenſem* Caeſatis Conſiliarium immutabatur, quo ipſo maieſtati Caeſareae non parum fuit derogatum

(6) Ab Anno ſcilicet 1547. ad 1552. quo vterque Princeps in libertatem fuit adſertus.

(7) *Mauritius* ex familia *Saxoniae Albertina*, Duce *Henrico Georgii* fratre natus, foederi *Smalcaldico* non erat adſociatus, ſed in bello illo Caeſari adhaerebat, cuius fidei praemium Electoratum reportauit. Quod fideiuſſerat cum Electore Brandenb *Ioachimo II.* pro *Philippo Haſſiae* Landgr. isque in cuſtodia Caeſaris retineretur, omnem pro eo liberando nauauit operam, ſed interceſſio quaecunque erat fruſtranea, dum captiui Principes cum Caeſare hinc inde traherentur: vſque A. 1552. poſt ſublatam *Magdeb.* obſidionem confeſtim exercitum *Oenipontem* verſus in Caeſarem duxit *Mauritius*, grauiter ad fidem liberandam ab *Haſſis* ſollicitatus, eumque inde fugatum non in libertatem modo adſerere captiuos Principes, ſed et *Euangelicae* religioni ſecuritatem et pacem indulgere coëgit, quae *Paſſauii* initio nomine Caeſatis a *Ferdinando* fratre pacta, in *Auguſtanis* dein Comitiis A. 1555. fuit confirmata.

(8) Magnae omnino Euangelium hinc inde ſubuertere tentabant perſecutiones, quarum praecipuas in compendio memorare opus eſt. In *Germania Georgius* praecipue *Sax.* Dux, durior in ſubditos fuit, quos, quod *Lutheranas* conciones audiuerant, et N. Teſtamentum vernaculum ſibi comparauerant, emigrare ſuis ditionibus iuſſit, carcereque, mulctis, exiliis, imo capitali ſupplicio adfecit, quod idem *Henricus Brunſuic.* item *Ferdinandus* Caeſar in ſuis regionibus praeſtiterunt. *Mildenburgenſes* in Electoratu *Moguntino* vim armatam religionis cauſa patiebantur. *Bruxellis* A. 1523. primi duo *Auguſtiniani Monachi* et a *Dithmarſis Henricus Zütphanienſis* martyrio adfecti fuerunt.

An. 1524. *Caſp. Taulerus Viennae* ob religionem, et *Budae in Hungaria* quidam bibliopola ignis ſupplicium ſubierunt. An. 1525. *Bernardus Carmelita*, A 1527. *Leonh* Kaiſer in *Bauaria* exuſtus, 1529. duo Theologiae Studioſi *Coloniae*, alii alibi viuicomburium paſſi fuerunt. Quomodo *Io. Diazius Hiſpanus* propter ſinceram fidem immani parricidio a fratre trucidatus fuerit, ex *Seckendorf.* vberius l. III. pag 652. recenſetur. De aliis particularibus huius Saeculi perſecutionibus *Martyrologia Rabi, Crocii* aliorumue conſuli poſſunt.

(9) *Philippus II.* Rex *Hiſpan* de extirpandis *Lutheranis* votum fecerat, quod et in *Hiſpania* variis ſuppliciis in innocentiſſimos homines perficere tentauit, quos inter *Toletanum* Archi-Epiſcopum *Bartholom Carauzam*, bonis eius fiſco adiudicatis, in carcerem coniecit, et Monachum *Conſtantinum*, qui patri *Carolo V.* a confeſſionibus fuerat, et moribundum ad Chriſtum duxerat, cremari iuſſit.

(10) In *Belgio Carolo V.* adhuc viuo promulgatum fuerat An. 1550. edictum ſanguinarium, quo vltra 50000. hominum periiſſe ſcribuntur *Meterano.* Sub *Philippo* vt zelus puriorem religionem profitendi apud *Belgas*, ita eandem eradicandi apud Regem creuit, hinc inquiſitio illic introducta, *Belgicis* prouinciis ad libertatem adſpirandi occaſionem praebuit, vnde diuturnum illud et cruentum bellum *Belgicum* enatum, quod *a Strada* et *Meteranus* cum aliis deſcripſerunt. Ipſe certe Dux *Albanus a Philippo II.* Belgii Gubernator conſtitutus, tanta ſaevitia in *Genſios* (ita ſe tanquam mendicantes a Rom. Eccleſiae ſuperſtitionibus alieni adpellabant) furebat, et ſuo iuſſu ſex annorum, quibus *Belgicae* clauum tenuerat, ſpatio carnificum manibus 18000. hominum interfeciſſe in conuiuio iactauerit, exceptis, quos belli tempeſtas hauſerat. Conf. *Meteran.* it. *Erneſt. Eremundum* de origine et hiſtoria Belgicorum tumultuum.

(11) Quantam ſaeuitiam in *Gallia* contra *Hugonottas* (quod Reformatae religioni addictorum illic nomen fuit) perſecutores exercuerint, etiam ante *Pariſienſem* illam lanienam, ex *Thuani* Hiſt. lib. V., VI, XII, XVI. recenſet *Kortbold* in H. E. p. 729. ſqq. it. ex libris XXIII. et ſqq. pag. 805. Sane ex *Conſtant. Aletophilo* ſiue autore perſecutionum *Proteſtantium et Waldenſium* conſtat, ab A. 1550. vſque ad 1580. in *Hiſpania, Gallia, Anglia, Belgio et Italia* nongentos mille occiſos fuiſſe. Adde Compendium hiſtoriae martyrum Gallicorum tempore reformationis. De famoſa illa *Pariſienſi* laniena *Thuanus* idem prolixus eſt l. 51. et 52. Conf. et autorem aller denkwürdigen Sachen unter der Regierung Henrici II. Franciſci II. Caroli IX. Henrici III. et IV. ad An. 1570. p. 880. ſqq. Vltra 30000. paucis diebus tum in *Gallia* trucidata feruntur. Tandem An. 1598. per edictum *Nannetenſe*, quod perpetuum et irre-

irreuocabile eſſe debebat, Reformatis plena religionis libertas fuit indulta.

(12) Scilicet interea obſeruanda iniungebatur a Caeſare haec *Auguſtae* conſcripta formula, (vnde *Interim Auguſtanum*, vel *Interreligio Auguſtana* dicta,) omnibus in *Germania* Statibus, vſque dum in Concil. *Tridentino* de reformatione plenaria ageretur, et decideretur. Sacerdotum coniugium in eodem non penitus damnabatur, nec communio ſub vtraque omnino reiiciebatur, ſed haec et altera toleranda ad Concilium vſque proponebatur: Liber tamen ille ab vtraque parte impugnatus fuit. Recipere quidem videbantur Elector *Saxon. Mauritius, Ioach. II. Brandenb* et *Fridericus Palatinus*, quos nonnullae ciuitates Imperiales ſequebantur, *Argentoratum*, *Conſtantia* et aliae, vbi *Miſſa* fuit reducta, et non pauci conſtantiores Theologi officiis ſuis dimiſſi.

(13) Pontificii non modo ſtatus eandem formulam aſpernati fuerunt, ſed et non pauci ex noſtratibus, quod fucoſis palliationibus fidei veritatem corrumpi viderent. Vid. *Schlüſſelb.* Catal. haeret. l. XIII et vlt.

(14) De controuerſia Sacramentaria prolixi extant Commentarii Theologorum aliorumque, qui conſuli poſſunt. Conf. *Hutteri* Conc. Concord. et Irenicum, it. *Hiſt. Aug. Conf.* contra Wolfium, *Conr Schluſſelburg.* de Sacramentariis, *L. Liebhardi* Hiſtor. Caluiniſmi, (cui equidem *Becmannus Prof Francof. ad Viadrum ſub Orthuinii Gratii* nomine refutationem oppoſuit, ille tamen ſcripta Apologia adhuc MSCta grauiter ſe defendit,) *Seckendorf.* lib. I. p. 302. nec minus *Kortholdt* in H. E. p. 781. ſqq. Ex altera vero parte *Rud. Hoſpinianum* in hiſtor. Sacrament. *Hottinger.* in H. E. *Hoornbeck* in ſumma Controuerſ. lib. IX. p. 608. ſqq. et alios. Ex Pontificiis *P. Maimburgius Caluiniſmi* quoque vt *Lutheraniſmi* hiſtoriam acerrimo ſcripſit ſtylo; a quam multis impugnatus, nec minus *Du. Soulier, Gallus.*

(15) *Zuickauiae* hi A. 1522. prima ſui erroris fundamenta poſuerunt, autore quodam pannifice *Nic. Storch*, colloquia et reuelationes Angelicas iactante, qui XII ſibi Apoſtolos et 72 diſcipulos legit: cui adſtitere *Marcus Stübner*, *Mart. Cellarius*, et *Thomas Münzer.* Illorum de paedobaptiſmo ſententiae *Philippus Melanchthon* ſatisfacere haud poterat; Vid. *Seckendorf.* lib. I. p. 303. ſqq. II. pag. 3. III. pag. 76, 114. Adde *Schlüſſelburg.* lib. XII. de Anabaptiſtis. *Hoornbeck* ſumm. l. V. *Frid. Spanheim.* Diatrib. Hiſt. de origine, progreſſu et ſectis Anabaptiſtarum.

(16) Conf. *Hiſt. Eccleſ. Oſiand.* Centur. XVI. it. *Kromayeri* H. E. p. 485. ſqq. *Tacentes* inter eos dicebantur, qui tacebant, nec conciones ducebant neceſſarias; *Orantes* orationibus ſemper erant dediti; *Eſtatici* extra ſe rapi, atque ita diuinas inſpirationes ſentire iactabant; *Libertini* ſe ab omnibus plane

exactionibus liberos credebant: *Auguſtini* ab *Auguſto* quodam *Bohemo* nomen ſortiti, coelum vſque ad diem nouiſſimum omnibus eſſe clauſum fabulabantur: *Adamitae* nudi *Adamum* imitaturi ad explorandam caſtitatem incedebant: *Hutitae* a quodam *Io. Hut* adpellati, corporaliter ſe populum Iſraël nugabantur, a quibus *Cananaei* gladio exſcindendi eſſent: adde plures alios ſectarios, recenſitos a *Frid. Seylero* in Anabaptiſta laruato, vbi ſimul dogmatum ſtolidorum confutationem deprehendes.

(17) *Thomas Münzer*, paſtor initio *Zuiccauienſis*, hinc *Alſtetenſis*, poſt excitatos in Magiſtratum ruſticos, et infelix ad *Francohuſam* proelium captus, capitis ſupplicium ſubiit. v. *Val. Ern. Loeſcheri* diſp. de Thomae Münzeri doctrina et fatis, Vitemb 1708. *Chriſt. Guil. Auerbachi* diſpp de inepta eloquentia Thom. Münzeri, ib. 1716. De *Monaſterienſium* Anabaptiſtarum tumultuoſis ſeditionibus conferri poteſt *Ant. Coruini* ad *Georg. Spalatinum* epiſtola de Monaſterienſ. Anabapt. obſidione et excidio. Adde *Io. Sleid.* de ſtatu relig. et rep. Adiice his reliquos *Anabaptiſtarum* Prophetas et antesignanos, *Balthaſar Hubmeier Friburgenſis*, Waldhutenſium primus Reformatae religionis paſtor A. 1525. voce et ſcripto multa ibidem turbare coepit, vnde factum, vt oppidum breui Papiſmum recipere fuerit coactum. Inde elapſus *Tiguri*, *Conſtantiae* atque alibi, praecipue in *Bohemia*, *Polonia*, *Vngaria*, *Sileſia*, cumprimis vero *Morauia* virus ſuum diſſeminauit, vſque tandem ibidem captus, et cum vxore *Viennam* abductus, A. 1542. igne exuſtus, vxor aquis ſubmerſa fuit. *Felix Manzius* cum *Conrado Grebelio Tiguri* omni conatu pro Anabaptiſtica ſecta tumultuabatur, quorum ille An. 1527 aquis ſuffocatus fuit. *Georgius Iacobi*, vulgo **Plaurock**, ob eundem furorem virgis initio *Tiguri* caeſus, poſt A. 1529. publice *Cluſenis* crematus fuit. *Ludouicus Hezer Wormatienſis* antea verbi miniſter, quod Chriſti Deitatem impugnaret, et beluinam vitam gereret, (13. quippe foeminarum maritus, multisque periuriis et adulteriis infamis fuit) *Conſtantiae* An. 1529 gladii ſupplicio periit. *Iac. Hutterus*, vel, vt alii volunt, *Io. Hut*, Hutitarum autor, e *Bauaria* in *Morauiam* ſe contulit, ibidemque Anabaptiſticum venenum ſparſit, tandem in carcere obiit, vel, vt alii volunt, *Oeniponte* combuſtus fuit. *Gabriel Scherding* in concitanda *Morauia* prioris ſocius, tandem inde pulſus in finibus *Poloniae* miſer obiit. *Melchior Hofmann* e *Suenia* oriundus, ſectam Anabaptiſticam *Belgio* intulit, circa A. 1529. *Argentorato Embdam* venit, reuerſus vero *Argentoratum* in carcere obiit. Errores eius recenſet *Seyler* p. 34. loc. cit. v. *M. Io. Gottl. Hoffmann* diſſ. de ſecta Hoffmanniſtarum, Lipſ. 1700. **Barthol. Nikol. Krohns Geſchichte der Fanatiſchen und Enthuſiaſtiſchen Wiedertäufer, vornehmlich in Niederdeutſchland, Melchior Hofmann und die Secte der Hofmannianer,** Lipſ. 1758.

1758. *Io. Trypmacher Hofmanni ſucceſſor*, *Embda* in *Hollandiam* ſeceſſit, ibidemque praecipue *Amſtelodami*, *Harlemi*, *Lugduni*, ſectae ſuae diſcipulos coëgit, magnorum autem tumultuum autor a Magiſtratu *Amſtelodomenſi* captus, et *Hagam* miſſus ſupplicio obiit. *Ioan. Matthaeus* pictor, vxoris vetulae pertaeſus, et iuniorem ambiens, itidem magnos cum ſociis motus *Amſtelodami* excitauit, certosque quaſi Apoſtolos hinc inde emiſit. *Hoornb.* p. 344. ſq. *Menno Simonis* ex Pontificio ſacrificulo Anabaptiſticus Propheta factus, ab *Vbbone* vel *Obbone* rebaptizatus, *Groeningae* aliisque locis infinitos adſciuit adſeclas, qui *Mennonitae* dicti, ab aliis certis articulis ſe ſegregabant, nec tumultus et vxorum pluralitatem comprobabant, de quibus idem p. 352. ſqq. *Seyl.* p. 35. ſqq. v. *Io. Chriſt. Burgmanni* diſſ. de hiſtoriae Mennoniticae fontibus et ſubſidiis, Roſt. 1732. eiusd. comment de Vbbone Philippi et Vbbonitis, ibid. 1733. Quidam *Loy* A. 1540. *Antuerpiae* doctrinam Libertiniſticam ſparſit, reſurrectionem, infernum et alia negauit, A. 1546. ibidem combuſtus. *Henricus Nicolai Weſtphalus*, *familiae*, quam vocabat, *charitatis* conditor, circa A. 1556. paradoxa ſua diſſeminauit, reuelationes fingens Angelicas, poſt ex *Hollandia* in *Angliam* traiiciens, permultos praecipue ex plebe, et mulierculis dementauit, externam religionis profeſſionem neutiquam putabat neceſſariam, ſed ſimulari poſſe religionem tradebat. Eius ſodalis fuit *Sebaſtianus Francus*, Chronici autor. *Brouniſtae* a *Roberto Broun* in *Anglia* orti, alias *Separatiſtae* dicti, denuo ab iis diſcrepant. *Seyler.* p. 86. ſq. Conf. prolixe *Hoornb.* l. X. it. *Paullini* T. II. zeitkürzende erbaul. Luſt p. 724. Atque haec de praecipuis fanaticorum horum ſectis.

(18) *Belga* hic fuit, et *Delfenſis* artem exercens pictoriam, magnae inter ſuos autoritatis, cum propter blaſphema in Chriſtum dogmata haud ſatis ſecurum ſe videret in parria, *Baſileam* fugiens *Io. a* Bruck, et de *Binningen* ſe adpellauit; eius vitam et doctrinam haereticam praeter *Vbbonem Emmium* gener eius *Nic. Blesdixius* ſua manu conſignauit, ſimul 1670. *Frid. Ieſſenius* ex eius libris in medium produxit. v. *M. Car. Gottl. Zeidtleri* hiſtoria Dau. Georgii eiusque aſſeclarum, Lipſ. 1701. Kurzer Auszug von des berufenen Ketzers Dau. Georgi oder Joris Lehr und Leben, 1699.

(19) De quo videſis *Seyler* in Anabaptiſta laruato p. 64. ſqq. et *Hoornb.* p. 438. ſqq. Autor a nonnullis fuiſſe fertur Theologiae Germanicae, *Taulero* ab aliis adſignatae.

(20) Fuit hic profeſſione Medicus, cumque e *Gallia* in *Africam* ad diſcendam linguam Saracenicam eſſet profectus, cum lingua ſimul impietatem reportauit. SS. Trinitatem (abſit narrationi blaſphemia!) Cerbero tricipiti adſimilauit, Chriſtum autem magnum Prophetam in hoc et futuro Saeculo profeſſus eſt. *Seyl.* p. 42. *Io. Laurent. von Mosheim* anderweitiger Verſuch einer vollſtän-

vollſtändigen und unpartheyiſchen Ketzergeſchichte, Helmſt. 1748. itemque neue Nachrichten von dem berühmten Spaniſchen Arzte Michael Serveto, der zu Genev iſt verbrannt worden, ibid 1750.

(21) Ad *Tritheitarum* potius ſententiam inclinauit *Val. Gentilis, Campanus.* Adſeuerauit hic, Eccleſias de Trinitate in graui errore haerere: ſubſcripſit tamen initio *Geneuenſi* confeſſioni de DEO, poſt tamen ſententiam mutauit, inde carceri mancipatus, denuo palinodiam cecinit, a iudicibus propter publicatas blaſphemias condemnatus, vt nudis pedibus et veſtibus exutis coram iudicibus ſe proſternens, veniam peteret, ſuisque manibus libros et veſtes exureret, ac ad tubae ſonitum ita per omnes vrbis plateas circumduceretur. Quo facto ſub iuramento, ſe absque Magiſtratus voluntate vrbe haud diſceſſurum, promiſit: verum violato hoc iuramento clam auffugit, et ad *Gribaldum* ſuae ſectae hominem *Bagiarum* ſe contulit, vbi iterum ſuorum deliriorum fundamenta collegit, et *Athanaſium Sathanaſium* adpellauit. *Lugduni* iterum carceri mancipatus, ſed et elapſus in *Poloniam* venit, vbi biennio amplius moratus, decreto R. *Sigiſmundi Auguſti* cedere iuſſus in *Moraniam* excurrit, vbi cum Anabaptiſtis confuſurrabat, *Viennamque* ſe conferens, nec ibi ſtabilem locum reperiens, in *Sabandiam* reuerſus, a praefecto *Bagienſi* in vincula coniectus, An. 1566. *Bernam* ductus, ibidem, quod blaſphemias in Deum exſpuere haud deſiſteret, capite plexus fuit. Vid. *Schluſſelb.* praefat. in Catal. haeret. l. XI. Eius et *Serueti* reliqui adſeclae fuerunt *Georgius Complatus* Medicus, *Grybaldus* ICtus, *Io Alciatus Mediol. Gregor. Pauli*, Concion. *Cracou. Petrus Statorius*, *Georg. Blandrata*, qui tamen cum priori haereſin plane negauit, et *Bernh. Ochinus.*

(22) *Laelius Socinus Senenſis* iuri ciuili initio operam dedit, poſt Theologiae animum adplicans, cum praecipuis Theologis ex noſtra et Reformatorum parte conuerſatus fuit, a quibus, quod quaſi dubitans ſua dogmata proferret, toleratus fuit, vſque An. 1562. *Tiguri* obiret. Hoc defuncto *Fauſtus Socinus* ex Italia *Tigurum* aduolauit, patrui ſcripta haereditate capeſſens, cum quibus initio in aulam *Florentinam* conceſſit, poſtmodum *Baſileam*, inde in *Transſyluaniam* ac *Poloniam* venit, vbi virus ſuum ſtrenue diffudit, *Craconiae* tamen varia paſſus, quippe aliquando aeger cubiculo extractus, et per ſtudioſos ſeminudus per plateas raptatus, vix eorum manibus viuus ereptus fuit. Obiit tandem A. 1604.

(*) Non tamen inter ſe dogmatibus ſatis conueniunt, ſed de DEO et Chriſti cultu diuerſa ſentiunt.

(24) Fuit hic *Neuſſerus* initio *Heidelbergenſis* ad Spiritum S. Paſtor reformatus, a Magiſtratu, poſtquam Arianiſmi ſemina ſparſiſſet, in carcerem coniectus, quo elapſus Conſtantinopolin demum venit, vbi Chriſtiana religione eiurata, et circumciſione admiſſa,

admiſſa, in ſumma deſperatione malignam animam exhalauit. Nunquam hic in concionibus Ieſu nomen expreſſit, ne auditores ad illud genua flecterent, aut capita nudarent. Conf. *Kromayeri* Hiſt. Eccleſ.

(25) Tandem hic captus, et Romae exuſtus fuiſſe dicitur. Eius Refutationem edidit *Luc. Oſiander Tubingae.* Interim hodienum complures inter Doctos adſeclas habet.

(26) Forſan confunduntur cum *illuminatis* ſequ. Saec. et multa praeter meritum ipſis adſignantur.

(27) Vid. *Em. Meteran.* hiſt B lg. p. m. 385.

(28) Initio in patria *Islebiae* Rectorem ſcholae egit, ibidemque concionando ſibi famam parauit, vt ad Comitia aliquoties inter Concionatores Electorales ſimul acceſſerit; poſtmodum non *Melanchthonem* modo, ſed et *Lutherum* ſugillare clam coepit, dimiſſus tamen ab officio *Witteb.* docendi et concionandi poteſtatem impetrauit: hic praeconceptas opiniones de lege et poenitentia reuocauit, a *Luthero* autem conuictus, aliquoties depoſuit, ſemper tamen recepit: cum vero cum *Luthero* coram Electoris deputatis controuerteret, *Wittebergâ* contra datam fidem *Berolinum* ſe contulit, ibidemque errores depoſuiſſe denuo videri voluit: nunquam tamen apud Electorem et *Lutherum* priſtinam gratiam recuperauit, quod ingenii erat mutabilis et nouaturientis, inde ad conficiendum Interim ſuam contulit operam, ac in lite adiaphoriſtica non otioſus fuit. Vid. *Seckendorf.* l. III. p. 306. ſqq. Obiit Berolini An 1566. De eius contra legem erroribus conf. *Schluſſelb.* Catal. haeret. l. IV.

(29) Quia plurimi Theologi formulae *Interim* contradicebant, nec illi recipiendae conſentiebant, *Adiaphoriſtae* contra, quod tantum, ex illorum mente, de adiaphoris res eſſet, ſalua fidei veritate eandem amplecterentur, bellum excitatum fuit adiaphoriſticum. Vid. *Schluſſelb.* l. XIII. et vlt. Catal. haeret. Iuſſu Ducum *Saxoniae* lineae *Vinarienſis* A. 1559. contra Adiaphoriſtas conſcribebantur confutationes quarundam corruptelarum, quibus *Victorinus* quoque *Strigelius* ſubſcribebat, iis tamen cum poſtea acriter contradiceret, in carcerem coniectus, ad colloquium adſeruatus fuit. v. *Chriſt. Frider. Wiederhold* memoria interimiſtica renouata, Nordh. 1748.

(30) Fecit id *Maior* occaſione libri *Interim*, atque ita doctrinam de Iuſtificatione haud parum deprauauit, conſtans in ſua ſententia ad mortem vſque. Vid. *Schlüſſelb.* lib. VII. de Maioriſtis.

(31) Natus *Amsdorfius* fuerat ex equeſtri familia, et literis egregiam nauauerat operam, inde etiam Rectoratum *Wittebergae* geſſit, *Magdeburgenſis* Paſtor fuerat conſtitutus, ſed A. 1542. ab Electore *Sax.* in Epiſcopum *Naumburgenſem* euectus, grauiſſimum aduerſarium non modo *Iulium Pflugium*, a Canonicis iam ante electum, ſed ipſum quoque Caeſarem nactus, retinuit tamen

tamen ad bellum vſque *Smalcaldicum*, quo *Pflugio* cedere coactus, *Magdeburgi*, et inde *Iſenaci* priuatus vixit. Hic itaque *Maiori* ſe opponens, noxia docuit eſſe B. O. ad ſalutem, quod ita expoſuit, vt nocere diceret opinione meriti. Obiit An. 1565. aetate ac ſenio grauis ac coelebs.

(32) *Eraſmus* ad Diſputationes has praeludia fecerat, quem tamen Diuus *Lutherus* maſcule excepit. Poſt B. *Lutheri* obitum *Phil. Melanchthon* hic humani quid paſſus fuit, quem dein *Georg. Maior*, *Paul. Eberus*, *Io. Pfeffinger*, *Victorinus Strigelius*, *Paulus Gellius* et alii ſecuti fuerunt. Conf *Schlüſſelb.* l. V. de Synergiſtis.

(33) Erat Oſiander *Gunzenhuſanus*, cognomine Hoſenmann, quod dein nomen Graece expreſſit. *Noribergae* in Reformationis initio multum operae poſuit, quippe A. 1522. 23. Febr. concionem primam Euangelicam magno adplauſu, atque poſt cum Monachis vehementer concertationes habuit; mentem ſuam viuo *Luthero* non adeo clare explicuit, eo vero defuncto apertius, quid ſentiret, prodidit. Cum in librum *Interim* conſentire nollet. relicta An. 1549. *Noriberga* in Pruſſiam conceſſit, et ab *Alberto* Duce paſtor *Palaeopolitanus* ac primarius Theologiae Profeſſor *Regiomonte* fuit conſtitutus, nullo quamquam gradu Academico exornatus. In Diſputatione pro loco de poenitentia negauit, fidem eſſentialem eius eſſe partem, hinc varios nactus aduerſarios, potenti eos vi ſuppreſſit. Alium dein errorem de imagine Dei errauit, et de incarnatione Chriſti: praecipue vero de Iuſtificatione hallucinatus fuit. Omnem diſputationis illius ſeriem exhibet Hartknoch lib. II, 2. hiſt. Eccl. Pruſſ. adde *Schlüſſelb.* l. VI.

(34) *Mantuanus* erat *Stancarus*, patria pulſus, quod Romanos errores taxaret, ex *Germania Cracouiam* venit, vbi Profeſſor Ebraeae linguae conſtitutus, poſt vero, cum a Rom. religione alienum eſſe innotuiſſet, carceri mancipatus fuit, e quo tamen euaſit, ac in *Pruſſiam* venit, linguaeque Ebr. Profeſſio in Acad. *Regiomontana* ipſi fuit demandata. Cum vero in controuerſia contra *Oſiandrum* implicitus eſſet, nec quicquam ſua opinione proficeret, relicta Pruſſia in *Francofurtanam ad Viadrum* Acad. conceſſit, eandemque Profeſſionem impetrauit; inde vero in *Poloniam* rediit, ibidemque nouam reformationem meditans obiit A. 1574. Conf. *Schlüſſelb* l. IX.

(35) *Flacius* hic *Venetiis Baptiſtam Egnatium* audiuit, et conſilia de ingrediendo monaſterio agitauit, ſed a Franciſcanorum prouinciali *Baldo* retractus, et in *Germaniam* miſſus fuit, purioris doctrinae, (cuius ipſe *Baldus* iam praeguſtum ceperat, mari propterea merſus) addiſcendae cauſa. In hiſtoria Eccleſiaſtica haud contemnenda praeſtitit, autor ſcilicet praecipuus *Centuriarum Magdeburgenſium*, quas cum aliis congeſſit. Vehemens tamen Philoſophiae oſor extitit, quod ipſum in errorem illum coniecit, quo in diſputatione *Vinarienſi* cum *Vict. Strigelio* habita,

habita, peccatum originis ſubſtantiam hominis adſeruit, eamque ex diſputationis feruore tum fotam opinionem modicus dein ſcriptis variis defendit, adſcitis ſibi in ea opinione paraſtatis *Amsdorfio, Coeleſtino, Spangenbergero* et aliis. *Iena*, vbi Profeſſor fuerat Theologiae, ſecedens, *Ratisbonae*, *Antuerpiae*, item *Argentorati* aliquamdiu vixit, *Francofurti* autem ad *Moenum* A. 1575. obiit. v. *Io. Balth. Ritteri* Beſchreibung des Lebens M. Mat. Flacii, Frf. 1723.

(36) *Caluinianorum* nomen hodierni adſpernantur, et *Reformati* dici malunt.

(37) Cum poſt *Philippi Melanchthonis* obitum *Wittebergenſes* Theologi, illius moderatione abuſi, in *Caluinianorum* ſententiam pedibus irent, atque *Lipſienſes* ſimul in ſuas partes traherent, magna in Eccleſiis *Saxonicis* orta confuſio; nouus quippe Catechiſmus intrudebatur, quem puriores Theologi impugnabant, Crypto-Caluiniani vero, edito ſtereomate defendebant, ad has itaque turbas componendas Elector *Saxoniae Auguſtus* A. 1571. *Dresdae*, et A. 1574. *Torgae* conuentus habuit, vbi cum in poſteriori certis articulis *Wittebergenſes* ſubſcribere nollent, *Lipſiam* captiui abducti fuerunt, vbi tandem, neſcio quibus conditionibus, ſubſcripſerunt; primarii tamen tragoediae autores vel in vinculis retenti vel ditione pulſi fuerunt. Ad haec et alia diſſidia componenda varia a Principibus acta conſilia fuerant, quibus A. 1576. menſe Februario, conuentus *Lichtenbergenſis* a Theologis *Wittebergenſibus, Lipſienſibus et Dresdenſibus* placuit, vnde denuo *Saxonici* cum aliis conuenerunt, de ſtabilienda concordia deliberantes, et declarationem articulorum controuerſorum adornantes: ipſi autem Theologi, *Andreae, Chemnitius* et reliqui in textu nominati, de controuerſiis obortis religioſe inter ſe contulerunt, easdem ſecundum analogiam verbi DEI et compendiariam doctrinae Chriſtianae formulam, *Auguſtanam* ſcilicet *Confeſſionem*. examinarunt, ac conuenientiſſimo ordine per theſin et antitheſin digeſſerunt, cenſurisque aliorum praeſtantiſſimorum Theologorum acceptis in coenobio *Bergenſi* An. 1577. libro piae Concordiae ſupremam manum impoſuerunt. v. *D. Iac. Henr. Balthaſaris* Hiſtorie des Torgauiſchen Buchs, p. V. Gryphisw. 1741 1744.

(38) Eorum vltra 8000. exemplari An. 1580. edito ſubſcripſerunt, ſicut poſt in *Saxo Vinarienſi* Principatu ab illo tempore ad noſtrum aeuum pauciſſimis exceptis 700. Paſtores et ſcholarum moderatores ſua manu eidem adſtipulati fuerunt.

(39) Non ſubſcripſerunt *Daniae* Rex, cui etiam ad ſubſcribendum haud fuerat transmiſſa, qui tamen in *Holſatiae* parte, quae *Daniae* ſubeſt, a Miniſterii Candidatis eius ſubſcriptionem expoſcit: (*Danhau r.* Salue Reformat. p 797.) *Pomeraniae* Duces, item *Saxo-Lauenburgici*, qui tamen eidem infucato animo erant addicti; Sic *Noribergenſes*, *Magdeburgenſes*, *Spirenſes*, *Francofurtenſes*, *Argentoratenſes* et *Wormatienſes* ſubſcribere

ex

ex cauſis politicis omiſerunt. Vid. *Hutteri* Conc. concord. c. 31. et 35.

(40) Confer eundem l. c. prolixe.

(41) Fuit *Huberus Berna Heluetius, et Zuinglianam* de praedeſtinatione ſententiam vitaturus, in aliam aeque abſurdam delapſus fuit, electionem omnibus omnino hominibus, etiam damnatis competere, adfirmans. Fouit initio, quamquam claneulum, hanc ſententiam adhuc in Ducatu *Wurtenbergico*, poſt Profeſſor *Wittebergenſis* conſtitutus, palam declarauit Praeter *Hunnium Wurtenbergenſes* et *Saxonici* Theologi illius errori ſe oppoſuerunt. Vid. *Acta Huberiana. Korth*, p. 836.

(42) Quod in *Calendarium* ſiue faſtos publicos non exigui naeui irrepſiſſent, de eius emendatione iam in concilio *Conſtantienſi* A. 1414. vrgente praecipue *Petro de Alliaco*, et poſt in *Baſileenſi* A. 1436. per *Nicolaum de Cuſa* fuit actum, at nullibi negotium transactum. *Gregorius* itaque *XIII*, nouum Calendarium confectum A. 1582. Imperatori *Rudolfo* transmiſit, petens, imo imperans, vt in Imperio reciperetur. Sed *Auguſto* Electore receptionem diſſuadente, omiſſa fuit. Cumque A. 1613. idem a Proteſtantibus vrgeret Imp. *Matthias*, non tamen obtinuit. In hodiernis adhuc durantibus Comitii Imp. *Leopoldus* Statibus propoſuit, vt nomine Imperatoris et Imperii interim reciperetur, donec deinceps aliter fuerit conuentum, ſed, cum neque ſic aliquid impetraretur, A. 1676. Imperator Electores ſingulos rogauit, vt reciperent, quamquam, quia res non ad ſingulos, ſed ad vniuerſos Ordines pertinet, denuo fruſtra laborant.

(43) Interim hactenus etiam ex noſtris partibus de vniendo et reformando Calendario non parum fuit laboratum, quod temporis difformitas ingentem rerum omnium confuſionem inueheret. Inter alios praecipue *M. Iacobus Elrod*, paſtor quondam in *Geſrecs*, ſtrenuam hic nauauit operam, dum intermedium quoddam Calendarium inter *Iulianum* et *Gregorianum* interpoſuit, et hodienum Cl. Dn. *Erhardus Weigelius*, Acad. *Ienenſis* Profeſſor famigeratiſſimus, idem iaxum voluit, quo ſucceſſu, dies docebit.

§. 3.

Inter *Saeculi* huius *Concilia*, ſua quidem dignitate minime, communi tamen autorum adpella-
1507. tione referuntur *Moguntinenſe* de immaculata
1511. *Mariae* conceptione (1); *Piſanum* a *Gallicanis* aliquot Epiſcopis habitum, contra *Iulium* II. R. P. (2). Cui hic *Lateranenſe* oppoſuit (3), quo Epiſcopos iſtos excommunicauit, Pontificiam autorita-

ritatem denuo ſtabiliuit, atque animarum immortalitatem credendam eſſe (de qua tamen vix inter gentes dubitatum) decreuit. Denique in hoc incidit Saeculum famigeratiſſimum iſtud *Tridentinum* conciliabulum potius, quam Concilium (4). Imperator ſcilicet et Status Imperii efflagitauerant aliquoties ob *Lutheri* a *Romana* Eccleſia diſceſſum Concilii generalis inſtitutionem, ſed illuſiones Pontificum eam Orbis Chriſtiani ſpem
ſaepius eluſerant, vſque tandem *Paulus III. CA-* 1541.
ROLI V. Imp. conſenſu *Tridentum* Concilii locum
indiceret, ibidemque Proteſtantes vt quoque ad-
eſſent, ſerio iuberet Imperator. Anno ſequenti, 1542.
quo inchoandum erat, disruptum, et in tertium 1545.
vſque dilatum fuit, quo tandem coepit, ſed ita, vt praeter Pontificis conſenſum necquicquam potuerit decerni. *Roma* petebantur reſponſa, non aliter, atque ex *Oraculo* quondam *Delphico*. Per
18. certe durauit annos; atque interea *Bononiam* 1547.
ſub peſtis praetextu translatum, demum in pri-
ſtinum remigrauit locum. Hinc ob *Mauritia-* 1550.
num bellum diſſolutum, et poſt integrum decen- 1552.
nium redintegratum fuit. Hoc igitur con- 1562.
ventu Sacrae Scripturae adaequatae fuerunt humanae traditiones, libri *Apocryphi* pro *Canonicis* ſanciti, Peccatum Originis in ſanctis negatum, bonis operibus homines ſaluari adſertum, transſubſtantiatio, 7. Sacramenta, purgatorium, indulgentiae, delectus ciborum, imaginum cultus,
ſanctorum inuocatio et ieiunia fuerunt ſtabilita. 1564.
Diſſolutum tandem et finitum fuit ſeſſione XXV (5). Vt autem in religionis iſthoc diſſidio

concordia quoquo modo ſanciretur, variis eapropter inſtitutis colloquiis hac de re actum.
1518. Ne illud *B. Lutheri* cum *Auguſtinianis Heidelbergae* (6), vel eiusdem cum *Caietano Cardinali Au-*
1519. *guſtae* (7), vel cum *Io. Eccio Lipſiae* (8) habitum
1523. memorem; *Tiguri* in *Heluetia Vlricus Zwinglius*
1599. aliquoties cum *Pontificiis* Doctoribus et *Anabaptiſtis* collocutus eſt, de Miſſa, cultu imaginum, paedobaptiſmo et aliis Chriſtianae doctrinae capi-
1526. tibus (9): Diſputatio *Badenſis* (10) inter *Eccium* et *Oecolampadium* de Sancta Coena; *Homburgenſis* (11) per *Landgrauium Hasſiae Philippum* indicta tandem in Monachorum expulſione deſiit.
1527. In *Suecia Vpſalienſis* (12) de Euangelii recipienda doctrina, et poteſtate politica Epiſcopis abro-
1528. ganda egit. In *Bernenſi* (13) Papatus doctrina
1529. examinata et profligata. Succeſſit *Marpurgenſe* (14) colloquium, a modo memorato *Philippo* inchoatum, vt inter *Lutherum* et *Zuinglium* diſſenſus componeretur; cui interfuerunt *Lutherus, Melanchthon, Ionas, Brentius, Oſiander, Agricola, Bucerus, Zuinglius* et *Oecolampadius*, atque poſt multorum dierum inter *Lutherum* et *Zwinglium* atque *Oecolampadium* habitas concertationes, cum in XIV capitibus conueniſſent, in ſolo *de S. Eu-*
1530. *chariſtia* diſſenſerunt, proin *Lutherus Zwinglium*, inſtante licet *Landgrauio*, fratrem agnoſcere noluit. *Auguſtanum* (15) poſt exhibitam confeſſionem inter *Melanchthonem*, *Eccium* et *ICtos* quosdam habitum, irritoque euentu ſolutum fuit. Plura etiam inter *Saxonicos*, *Sueuicos* et *Heluet icos* Theologos *Wittebergae* (16) et alibi inſti-

inſtituta, memorari ſingula in compendio haud
poſſunt. *Wormatienſe* (17) inter *Philippum* et 1541.
Eccium agitabatur, vbi de *peccato Originis* diſpu-
tatum, iubente vero Caeſare breui abruptum,
Ratisbonam translatum, ibidemque fructu quam-
quam exili continuatum, actis ad Concilium re-
iectis (18). Aliud deinceps *Ratisbonae* (19) in- 1546.
ſtitutum, eodemque modo diſſolutum fuit Syno-
dus porro *Moguntina* (20) nonnulla Pontificum 1548.
dogmata, vt de Imaginum cultu, Inuocationeque 1549.
ſanctorum improbauit. In *Anglia* quoque *Oxo-* 1554.
nii inter *Petrum Martyrem*, ac poſt *Thomam Cra-*
merum Archi-Epiſcopum Cantuarienſem, quos-
damue Pontificios acriter decertatum, et horum
machinationes exploſae fuerunt (21). Collo-
quio *Wormatienſi II.* (22) *Melanchthon, Brentius,* 1557.
Eberus, *Iac. Andreae* cum Pontificiis de norma
controuerſiarum Theologicarum diſputarunt, at
et hic ob Interimiſtarum lites ſine fruge diſceſ-
ſum. *Vinarienſi* (23) inter *Victorinum Strige-*
lium et *Matth. Flacium* de hominis conuerſione
et Libero Arbitrio controuerſum, hicque pecca-
tum hominis ſubſtantiam affirmauit. *Heidelber-* 1560.
genſi (24) *Morlinus Stoeſſelius* cum *Zuinglianis*
de lite Sacramentaria congreſſi, horum detexe-
runt ſtrophas, poſterior vero tandem apoſtata fa-
ctus, et ad deſperationem fuit adactus. *Posſia-* 1561.
cenum (25) in *Gallia*, curante Rege *Carolo IX.*
eiusue matre *Catharina* Regina habitum inter
Pontificios, et *Theodorum Bezam*, *Petrum Marty-*
rem aliosue, tandem, cum *Beza* confeſſioni Au-
guſtanae ſubſcribere detrectaret, finitum. Vlte-

Digitized by Google

rius *Fridericus* Elector *Palatinus* cum Duce Wür-
1564. tenbergenſi *Maulbrunnae* (26) Theologorum adornat colloquium, quo ex noſtratibus *Brentius*, *Bidembachius*, *Iacobus Andreae*, *Oſiander et Schnepfius*; ex *Caluino-Reformatis Boquinus*, *Dillerus*, *Oleuianus*, *Vrſinus* et *Xylander* congreſſi de Maieſtate Chriſti hominis, verbisque coenae egerunt.
1568. *Altenburgenſi* (27) Theologi *Miſnici* et *Thuringiaci* de iuſtificatione hominis V. menſibus decertarunt, illique tandem his aliisue inuitis ſe-
1570. ceſſerunt. In *Polonia Sendomiriae* (28) inter Theologos Aug. Confeſſioni, Helueticis et Bohemicis Eccleſiis addictos, Syncretiſmus quidam initus, et recepta confeſſio Auguſtana, proprio auſu à *Phil. Melancht.* immutata. *Franckenthalenſe* Colloquium cum Anabaptiſtis (29), *Argen-*
1578. *toratenſe* (30) cum *Flacio* habitum: *Herzbergenſe* (31) inter *Iacobum Andreae* et *Wolfg. Amlingum*, *Caluinianos* errores turpiter defenden-
1584. tem: *Heidelbergenſe* (32) iuſſu *Io Caſimiri* habitum inter *Io. Iacobum Grynaeum*, et Theologos *Heidelbergenſes*, quo quamquam ille Sophiſtam potius, quam bonum diſputatorem egiſſet, Lutherani tamen *Palatinatu* eiecti, et *Caluino-Reformati* introducti fuerunt. Celebratum porro
1586. *Mompelgardenſe* (33), *Friderici* Ducis auſpicio, inter *Iac. Andreae* et *Theodorum Bezam*, vbi de perſona Chriſti, S. Coena, Sacramentorum fructu perſeuerantia ſanctorum, aliisque controuerſis fidei articulis diſceptatum. Tandem vero *Iacobus Andreae* humanitatis dexteram, non fraternitatis porrigere *Bezae* voluit, quam hic recuſavit.

vit. *Badenſi* idem Theologus orthodoxus con- 1589.
tra *Io. Piſtorium* turpiſſimum apoſtatam acerrime
diſputauit (34). *Neoburgi* ad Danubium inter 1593.
D. Heilbronnerum et *Beutherum Caluinianum de*
Catecheſi Bipontina fuit diſquiſitum (35). Deni-
que in *Vngaria* quaedam (36) inter Orthodoxos, 1595.
Caluino-Reformatos et alios diuinam veritatem
inquiſiuerunt. Praecipua haec Saeculi huius
erant Colloquia (*).

Abundantiſſimum autem idem viris excellenter doctis fuit. Noſtrates enim praeſtantiores hos habuerunt Theologos: *Martinum Lutherum* Megalandra; *Philippum Melanchthonem* Palatinum communem Germaniae praeceptorem (37); qui tamen cum plus aequo mitioris eſſet ingenii, humani quid quandoque, maxime in controuerſia de *S. Coena*, fuit paſſus; (*ob. 1560.*) *Iuſtum Ionam* Northuſanum (38), paſtorem *Hallenſem* et alibi. (*ob. 1555.*) *Io. Bugenhagium* Pomeranum (39), Eccleſiarum *Danicarum* aliarumue reformatorem; (*ob. 1558.*) *Nic. Amsdorfium* (40), Epiſcopum Naumburgenſem; (*ob. 1563.*) *Iacobum Andreae* (41) Praepoſitum et Cancellarium Tübingenſem; (*ob. 1590.*) *Io. Brentium* (42) Suevum; (1570.) *Martinum Chemnitium* (43) Brunſuicenſem, (1586) *Dauidem Chytraeum Roſtochienſem* (44), excellentem Hiſtoricum, (1600.) *Paulum Eberum* (45) Crypto-Caluinianum, (1569.) *Matth. Flacium* (46) Illyricum, de Peccato Originis et Libero Arbitrio duriuſcule locutum, (1575.) *Caſparem Hedionem* (47) Argentoratenſem, (1552.) *Tilemannum Heshuſium* (48)

Helmſtadienſem, (1588.) *Aegidium Hunnium* (49) Würtenbergenſem, et Wittebergenſem, (1603.) *Georgium Mylium* (50) Wittebergenſem; (1607.) *Corn. Beccerum* 51) Lipſienſem; (1604.) *Vitum Dietericum* (52) Noribergenſem, (1549.) *Io. Funccium* (53) Boruſſum ob πολυπραγμοσύνην tandem decollatum, (1566.) Chronologum ſatis egregium: *Salomonem Geſnerum* (54) Wittebergenſem, (1595.) *Georgium* (55) Principem Anhaltinum, (1553.) *Iac. Heerbrandum* (56) *Tubingenſem;* (1600) *Georgium Maiorem* (57) Adiaphoriſtam, (1574.) *Io. Matth. ſium* (58), Vallis Ioachimicae Concionatorem, (1565.) *Philippum Nicolai* (59), *Hamburgenſem*, (1608.) *Andr. Oſiandrum* (60) Boruſſum (1552.) eiusue filium *Lucam Oſiandrum* (61) Tubingenſem (1604.) *Io. Pappum* (62) Argentinenſem, (1610.) *Simonem Pauli* (63) Roſtochienſem, (1591.) *Chriſtoph. Pelargum* (64) Francofurt. ad Oderam, qui in *Caluini* tandem caſtra tranſiit. (1626.) *Vrbanum Regium* (65) Lüneburgenſem, (1541.) *Iacobum Reihingium* (66) ex acerrimo Ieſuita ſtrenuum orthodoxae fidei defenſorem et Prof. Tubingenſem, (1628) *Conr. Schlüſſelburgium* (67) Stralſundenſem, (1619) *Vincent. Schmuccium* (68), (1628.) *Nic Selneccerum* (69) Lipſienſes (1592.) *Chriſt. Schleupnerum* (70) Byruthinum, (1635.) *Erhardum* (1558.) et *Theodoricum* (1586.) *Snepfios* (71) *Ioan. et Cyriacum Spangenbergios* (72), *Petrum Paulum Vergerium* (73), qui ex Pontificiis tenebris, (erat enim Epiſcopus Iuſtinopolitanus) ad Euangelicam lucem tranſiit (1565.): *Hieron. Welle-*

Wellerum (74) Sup. Friburg. (1574.) *Io. Wigandum* (75) Magdeburgenſem, (1582) aliosue infinitos (76) Inter *Sacramentarios*, quos alii *Caluinianos*, *Reformatos* et in *Gallia Hugonottas* (77) *vocabant*, eximii et praeſtantes fuerunt *Vlricus Zuinglius* (78) paſtor Tigurinus, dum militiam ſequeretur, miſere interemptus, (1531.) *Io. Caluinus* (79) initio Argentoratenſis, vbi noſtris addictus partibus voluit videri; poſt Geneuenſis, (1546.) *Andreas Carolſtadius* (80) Diaconus, (1543.) et *Io. Oecolampadius* (81) paſtor Baſileenſis, (1531) *Martinus Bucerus* (82) *Argentoratenſis*, (155) *Henr. Bullingerus* (83), Tigurinus, (1575.) *Pet. Martyr* (84) qui in *Anglia* tandem docuit et obiit, (1562.) *Ioſ Simlerus* (85) Tigurinus (15 7), *Ludouicus Lauaterus* (86) (1586.), *Io Gu. Stukius* (87), *Conr. Lycoſthenes* (88) *Io. Iacobus* Grynaeus (89) Baſileenſis, *Wolffg. Muſculus* (90), *Wolfg. Amlingus* (91), *Chriſt. Pezelius* (92), *Vrbanus Pierius* (93), *Aug. Marloratus* (94), *Theodorus Beza* (95), (1605.) *Ph. Mornaeus* (96). *Dan. Toſſanus* (97) *Z. Vrſinus* (98), *L Danaeus* (99), *Amandus Polonus* (100), *Immannel Tremellius* (101) *Fr. Iunius* (102), *Ant. Sadeel* (103), (1590) *Bernh. Ochinus* (104) *Io. Lasky* (105), *Dau. Pareus* (106) et complures alii (107). Nec *Papatui* ſui defuerunt propugnatores: vt enim *Ioann. Eccium* Ingolſtadienſem (108), (1542.) *Io Cochlaeum* (109), *Io. Dietenberg* Bibliorum translatorem ſat ineptum, *Aug. Steuchum*, *Iac. Latomum* *Stan. Hoſium*, *G. Wicelium*, *Wilh. Lindanum*, *Gregorium de Valentia*, aliosue praeter-

praeteream (110), erupit hoc Saeculo ex orco
nouus quidam ordo, a ſeruatore noſtro IESV *Ie-*
1535. *ſuitarum* (111) ſibi nomen falſo attribuens, autore
Ignatio Loiola (112) Hiſpano, qui, cum ex militia
membrorum reportaſſet mutilationem, ſacrum
profeſſus ordinem ſociis initio 10. acceptis, non
caſtitatis tantum, paupertatis et obedientiae, ſed
extremae quoque defenſionis Rom. Pontificum
1540. votis ſe obſtrinxit, qui ordo, contradicente licet
Clero, a *Paulo III.* dein fuit confirmatus. Su-
ſtentauit ſane ille ad caſum plus vice ſimplici in-
clinantem hactenus Papatum exquiſitis artibus,
quibus Magnatum, Regum ac Principum animis
innectere ſe valent, neque in templis modo do-
cent, ſed vt ab ineunte aetate ſuis addicant ſerui-
tiis homines, puerorum quoque ſuſcipiunt infor-
mationem *Ieſuitae* ſeu potius *Eſauitae*. Ita ex-
colebantur ſacra ſtudia. Neque humaniora ſuis
deſtituebantur cultoribus, cum praecipue tot
nouiter hoc tempore exurgerent Academiae,
1502. ipſius *Imp. MAXIMILIANI I.* ſuaſu, vt *Witteber-*
genſis (113) a *Friderico III. Sapiente*, El. Sax.
1506. conſtituta; *Francofurtanae* (114) *ad Viadrum* a
1515. *Ioachimo I.* Electore Brandenburgico; *Compluten-*
ſis (115) in *Hiſpania* a *Franciſco Ximenio*, Archi-
1526. Epiſcopo Toletano; *Marpurgenſis* (116) a *Phi-*
1544. *lippo* Haſſiae Landgrauio; *Regiomontana* (117) in
Pruſſia ab *Alberto* ſeniore, Marchione Br. *Ienenſis*
1548. (118) in *Thuringia*, a *Io. Friderico* Duce Sax. re-
cepta libertate condita, et poſt decennium a
1549. filiis introducta; *Dillingana* (119) *in Bauaria*
ſuperiore ab *Othone Truchſeſſio*, Card. et Epi-
ſcopo

ſcopo Auguſtano; *Oſſunenſis* (120) in Hiſpania; 1561.
Duacenſis (121); in Belgio a *Philippo II.* R. Hiſp. 1566.
Argentinenſis (122) a ciuitatis Senatu; *Lugdunen-* 1573.
ſis (123) a *Belgii* Ordinibus; *Helmſtadienſis* ſiue
Iulia *(124) a *Iulio* Brunſuic. Duce; *Altorfina* 1576.
(125) a Senatu Norico; *Sorana* (126) in *Dania* a
R. *Friderico II*; *Franekerana* (127) denique in 1586.
Friſia Occidentali ab huius Ordd. Dederunt hae eruditos ingenti numero. Inter *Hiſtoricos* certe praeter illos, qui ſuperioris Saeculi fine, huiusue initio vixerunt, recenſendi: *Paulus Iouius* (128), *Io. Cuſpinianus* (129), *Seb. Münſterus* (130), *Io. Sleidanus* (131) (1556.), *Io. Carion* (132), *Nic. Machiauellus* (133) Florentinus, Politicorum peſtis, *Ioachimus* (134) *et Philippus* (*) *Camerarii, Franc.* (135) *et Ludouicus* (136) *Guicciardini*, *Carolus Sigonius* (137), *Abr. Bucholzerus* (138) (1584), *Hier. Wolfius* (139) (1581), *Th. Zwingerus* (140) (1588), *Augerius Gisleuius Busbequius* (141), rerum *Turcicarum* ſcriptor egregius, (1592.) *Reinerus Reineccius* (142) (1595), *Abr. Ortelius* (*) (1598.), *Wolfgangus Lazius* (143) cum aliis nonnullis (144). Ceteris ſtudiis, linguarum praecipue ſedulam nauarunt operam multi ex *Graecia* exules, eorumque diſcipuli, quos inter *Demetr. Chalcondylas*, *Gregorius Tifernas*, *Hermonimus Spartiata*, *Io. Reuchlinus* ſiue *Capnio* (145), cui cum Colonienſibus ingens fuit contentio de Iudaeorum libris, *Rud. Agricola* (146) *Deſiderius Eraſmus Roterodamus* (147), *Io. Ludouicus Viues* (148), *Amb. Calepinus* (149), Cardinalis; *Petrus Bembus* (150), *Santes Pagni-*

nus (151), *Antonius Muretus* (152), *Barnabas Briſſonius* (153), *Aldus et Paulus Manutii* (154), *Io. Bodinus* (155), *Iſaac. Caſaubonus* (156), et alii. In *Poëſi* excolendia ſudarunt *Conradus Celtes* (157) *Io. Stigelius* (158) (1562.) *Eobanus Heſſus* (159), *Georgius Buchananus* (160) Scotus, *Georgius Sabinus* (161), *Nicodemus Friſchlinus* (162) *et Paulus Meliſſus* (163) (1590.). *Matheſin* et ſubtiliora indagarunt ac perfecerunt *Nicolaus Copernicus* (164) (1560.) *Theophraſtus Paracelſus* (165), *Hieronymus Cardanus* (166), *Iulius Caeſar Scaliger* (167) (1558.); *Tycho de Brahe* (168) (1601.); neque *ex ICtis* ignoti *Iaſon*, *Io. Oldendorpius*, *Vlricus Zaſius*, *Gu. Budaeus*, *Fr. Duarenus*, *Andr. Tiraquellus*, *Io. Coraſius* *Matth. Weſenbecius*, *Mynſingerus*, *Donellus*, *Vigelius a* Beuſt, *Iac. Cuiacius*, *Franc. Hotomannus* cum quam multis aliis (169).

(1) *Maculiſtae* hi dicti, quod *Mariam* in peccato, et maculatam labe originis fuiſſe tradebant.

(2) *Piſis* haec Synodus, quam praeceſſerat *Treuirenſis*, conſenſu Imp. *Maximiliani I.* et *Ludouici XII.* R. *Gall.* A. 1511. inchoata, *Mediolani* continuata, demum *Lugduni* A. 1512 abſoluta fuit. Metuebatur tum, ne graue Eccleſia ſchiſma pateretur. Defendit eandem *Philip. Decius*, ICtus *Mediolan.* Vid. *Seckendorf* Hiſt. Luth. l. I. p. 5. *Schilter.* de libertate Eccleſ. German. pag. 823.

(3) Hic Pontifex *Iulius* contra *Galliae* Regem ſuas tuebatur partes, reformationem autem Eccleſiae vix ſummis labris attingebat Concilium illud. Vid. eosd. ll. cc.; adde *Edm Richer.* hiſtor. Concil. general lib. III. et IV.

(4) Quam moleſte ad Concilium illud proceſſerint Pontifices, ex illorum temporum actis ſatis conſtat. Obligati erant Pontifices, ex decreto Concilii *Conſtantienſis* decimo quouis anno Concilium celebrare, atque ita reformationem tandem conficere. Sed quantum diſtulerint *Iulius*, *Leo*, *Hadrianus* et ſucceſſores, notum. Vide *Seckendorf.* l. II p. 212. et III. p. 94. ſqq. Quare autem Ordines Proteſtantes Concilio *Tridentino* ſe haud ſubmiſerint, peculiari ſcripto cauſas expoſuerunt, quod et *Hortle-*

Hortlederus ſuo de bello Schmalcaldico Commentario inſeruit.

(5) Dedit *Concilii Tridentini* examen ſolidiſſimum *Martinus Chemnitius*, hodienum firmo ſtans talo: hiſtoriam *P. Paulus Sarpius Venetus*, Seruita, ſub nomine *Petri Suauis Polani*, quem cane peius et angue oderunt Romanae curiae mancipia, quod eiusdem vitia liberiore ſtylo aperuerit. Hinc etiam *Scipio Henrici*, Theolog. *Meſſinenſ.* et. *Sfortia Pallauicinus* Card. refutationem eius, quamquam non ſatis feliciter, ſuſceperunt; defenſus quidque *P. Venetus* fuit a compluribus, inter alios etiam *Caeſ. Aquilino* ſcripto de tribus hiſtoricis Concilii Tridentini, item *Amelot Gallo*, et nouiter a *Petro Iurieu* in abrege de l'hiſtoire du Concile de Trente, Amſt. 1683. ac *Dn. de Mothe Ioſſencl* in praefat. hiſt. Conc. Trid. Sarpii. Adde hiſt. ius Conc. exhibitam ab *Edm. Richerio* in hiſt. gener. Conc. l. IV. *Nicol. Riccardii* ſynopſis hiſtoriae concilii Tridentini. Canones concilii Tridentini ex edit. *Phil. Chifletii* Colon. 1665. *Chriſt. Aug. Saligii* vollſtändige Hiſtorie des Tridentiniſchen Concilii, Hal. 1741. Hiſtoire du Concile de Trente, ecrite en Italien par Fra-Paolo Sarpi de l'ordee des Servites, et traduite de nouveau en François avec des notes critiques, hiſtoriques et theologiques par *Pierre François le Courayer*, Amſtel. 1736. T. II. Breuiter eius recenſebo hiſtoriam: Diu illuſerant orbi Pontifices indicendo Concilium, quod *Europa* vniuerſa anxie deſiderabat, illi vero de tempore in tempus trahebant; *Clemens* enim *VII.* ad illud habendum adduci nunquam potuit. Succeſſor *Paulus III.* quod remorari diutius haud poſſet, *Mantuam* primo Synodo deſtinat, poſt *Vincentiam*, ſed neutrius vrbis Domini id admittunt, et Proteſtantes reluctantur, qui in *Germania* Synodum expetunt, neque Pontifici iudicis partes concedere volunt. Tandem Imp. *Carolus*, Pontifici indulgens, vt extra *Germaniam* haberetur, in *Tridentum*, *Germaniae et Italiae* confine oppidum, conſenrit, fruſtra repugnantibus Proteſtantibus. Quamquam itaque A. 1542. conuenirent cum legatis Caeſaris aliquot Epiſcopi, otioſi tamen per VII. menſes ibidem haerebant, demumque propter bellum Caeſaris cum Gallo recedebant. A. 1545. denuo conueniebant legati Pontificii cum Epiſcopis, atque ſub finem anni Synodo initium faciebant, ſeſſione prima d. XIII Dec. habita. Durauit ſub *Paulo III*, *Iulio III*, *Marcello II. et Paulo IV.* ac abſoluta tandem fuit ſub *Pio IV.* An. 1563. d. 4. Dec. In *Seſſionibus* ſuis, quarum XXV. erant, Patres quaedam ad clerum emendandum equidem conſtituerunt, ipſam autem doctrinam ab erroribus et Eccleſiam Rom. ab abuſibus haudquaquam liberarunt. Ipſa decreta non niſi ex Rom. Pontificum iuſſu fiebant, quo de conqueſtus publice fuit *Andr. Dudithius* Epiſcopus *Quinqueeccleſienſis*. Hinc etiam factum, vt in *Gallia* non reciperetur, nec Proteſtantes in *Germania* Principes eidem ſe ſubmitterent. Imp. *Ferdinandus I.* maxi-

maximis quidem, ſed irritis conatibus coniugium Cleri, et vſum integri Sacramenti hic vrſit. Vid. *Hoornbeck* ſumma Contr. p. 205. *Korthole*. H. E. p. 793. *Micrael*. p. m. 848. ſqq.

(6) De *Heidelbergenſi Colloquio* iam tum ſuperius dictum n. 12. §. I. Prolixiorem recenſionem vide apud *Seckendorf*. l. I. p. 28. ſq.

(7) *Auguſtani* Colloquii cum Cardin. *Thoma de Vio Caietano* itidem ſuperius mentio facta n. 14. §. I.

(8) De *Lipſienſi* prolixus eſt *Seckend*. lib. I p. 72. *Eccius* hic cum *Carlſtadio* initio congreſſus fuit, *Lutherum* tantum habuit auditorem, quem tamen itidem ad diſputationem prouocauit, quam impetrata a Duce *Georgio* ſecuritate non abnuit, ſed de Primatu praecipue Papae et aliis quibusdam articulis cum eodem diſceptauit. Acta illa recenſuit D. *Sagittarius* c X. p. II. des ausgeleert - und entwehrten cathol. Zeughauſes p. 225. ſqq. Adde deſcriptionem eius P. *Moſellani*, qui Colloquio interfuit, et facunda oratione inchoauit.

(9) *Tigurinum* primum Colloquium A. 1523. menſe *Ianuario* inter *Zuinglium* et *Io. Fabrum*, Epiſcopi *Conſtantienſis* Vicarium, in curia *Tigurina* praeſente infinito hominum numero fuit habitum, illudque ſecutum Senatus decretum, quod *Zuinglio* et aliis libertatem, Euangelium pure praedicandi, indulſit. Eod. anno alia ibidem habita diſputatio priore frequentior, de tollendis imaginibus et abroganda miſſa. Vid. *Hoornb*. ſumma Controu. fidei l. IV. p. 241. ſqq. De Diſputatione cum *Manzio* et *Grebelio* Anabaptiſtis A. 1525. vide eund. l. V. pag. 339. ſeq.

(10) *Badenſe* Colloquium ex decreto *Cantonum* inſtituebatur, a quo *Zuinglius*, quod locum ſibi non ſatis tutum arbitraretur, abfuit, quod in decreta *Zuinglii* condemnatione, et *Papiſmi* obſeruatione deſiit.

(11) Collocutores fuerunt *Franciſcus Lambertus* et *Adamus Crato* ex vna, *Nic. Ferberus Herbornenſis*, *Guardianus Marpurg*. et *Io. Sperberus* ex altera parte: a qua diſputatione monachi et moniales clauſtris exire iuſſi, reditus autem monaſteriorum ad Academiae *Marpurgenſis*, et quatuor noſocomiorum ſuſtentationem tranſlati fuerunt. Conf. a *Seckend*. lib. II. p. 40. ſq.

(12) Diſputarunt hic M. *Olaus Lutheri* diſcipulus pro Euangelicis, et *Petrus Gallius* Prof. *Vpſalienſis* Pontificius, initio latio, hinc vernaculo ſermone; triumphauit et hic veritas, atque *Guſtavi* R. dein iuſſu regnum *Sueciae* idolis et ſuperſtitionibus fuit expurgatum.

(13) Senatus *Bernenſis* ad hanc omnes finitimos vocauit Epiſcopos et Clericos quoscunque; Reformatae religionis partes tuebantur *Franc*. *Colbius* et *Bertholdus Hallerus*, *Bernenſis Eccleſiae* miniſtri; ſecuta eſt labefactatae iam *Papaeae* religionis omnimoda eiectio e dicta vrbe, cuius annum et diem aureis literis columnae publicae inſcripſerunt.

(14) De

(14) De hoc Colloquio vide *Sleidanum*, *Lutherum* T. IV. Ien. Germ. *Matheſium* de vita Lutheri, a *Seckend.* l. II. p. 137. ſqq. adde *Hoſpinianum* it. *Hottingerum*. In 13. articulis vtraque pars conuenit, ſolo de *S. Coena* conſentiri haud potuit.

(15) De quo inter *Melanchthonem*, *Brentium* et *Schnepfium* ex vna, *Eccium*, *Cochlaeum* et *Wimpinam* ex altera parte, praeſentibus vtriusque religionis Principibus, habito de *Miſſa*, *ſacerdotum coniugio*, *communione ſub vtraque*, *votis item Monaſticis* et *Epiſcoporum iurisdictione*, conferri poteſt *G. Coeleſtini* Hiſtoria Comitiorum Auguſt. *Dav. Chytraei* hiſtoria Auguſt. Conf. *a Seckendorf*. l. II. p. 152. ſqq. item *Schilter*. l. VII. 4. de libertate Eccleſiarum Germ.

(16) De *Wittebergenſi* cum *Bucero* et *Suevicis* Theologis concordia edidit *Lutherus* relationem Tom. II. *Isleb.* it. *Frid. Myconius*, Superint. *Gothanus*, qui multum operae in ead. conficienda inſumſit, et hiſt. *Aug. Conf. Schneccerus* et alii inſeruerunt. Vid. a *Seckend.* l. III. p. 129. ſqq. Conuentu hoc *Mart. Bucerus* ea, quae in *Zuinglianorum* olim gratiam docuerat, contra realem corporis et ſanguinis Chriſti in S. Euchariſtia praeſentiam, reuocauit, et cum ſociis concordiae formulae eam in rem a *Philip. Melanchthone* confectae ſubſcripſit. Quamquam autem *Bucerus* etiam de *Heluetici*s Eccleſiis ad eandem concordiam reducendis ſpem fecerit, fruſtraneus tamen eius fuit conatus, imo ipſe tandem ad *Heluetiorum* partes potius, quam ad *Lutheri* denuo inclinauit.

(17) Initio *Hagenoae* indictus erat partium conuentus ad Colloquium, ſed contranitentibus legatis Pontificiis, *Wormatiam* translatus fuit, vbi cum per tres dies *Phil. Melanchthon* cum *Eccio* de peccato originis diſputaſſet, Imp. *Carolus* iuſſit abrumpere, et ad Comitia *Ratisbon*. rem reiicere. Vid. *Phil. Melancht.* operum T. IV. Praeſes hic fuerat nomine Caeſaris *Nicolaus Perenottus*, *Granuellanus* dictus, qui facili negotio omnem rem confici poſſe fuit arbitratus. Innotuit hic facta per *Philippum* auſu priuato *Confeſſ. Auguſtanae* mutatio. v. *Io. Paulli Roederi* diſquiſitio de colloquio Wormatienſi ad A. O. R. 1540. inter proteſtantium et pontificiorum theologos coepto quidem ſed non conſummato, Norimb 1724.

(18) Collocuti hic inter ſe fuere *Iulius Pflugius*, *Io. Eccius* et *Io. Gropperus*, cum *Io. Piſtorio*, *Bucero* et *Melanchthone*, praeſidibus Electore *Palatino*, et *Granuellano*, Caeſarique liber exhibitus, quo controuerſiae conciliari poſſe credebatur, qui tamen neutri parti ex affe ſatisfecit. Interim in articulo de *Iuſtificatione* videbatur vtrinque aliquantulum conueniſſe. Decretum hic *Auguſtanum* et perſecutiones ſuſpendebantur, totumque negotium Concilii deciſioni referebatur.

(19) Conuenerunt ad colloquendum *Bucerus*, *Schnepfius*, *Brentius* et *Georgius Maior*; ex altera vero parte *Maluenda*, *Cochlaeus*, *Billikius* et *Hofmeiſterus*, qui iuſſu Imp. Confeſſionis *Augusta-*

guſtanae articulos ordine examinare debebant; at, cum de iuſtificatione hominis denuo conuenire haud poſſent, in fumum abiit colloquium et diſſolutum fuit. Acta vide ap. *Seckend.* l. III. p. 6:7. ſqq.

(20) Habita fuit propter formulam *Interimiſticam*, ſicut et *Coloniae* alia, atque illa 56. decreta de reformatione, et 48. de fidei doctrina edidit. Conf. *P. Sarpium* de Conc. Trid. l. III.

(21) In priori *Oxouienſi Petrus Martyr a Smythaeo* prouocatus diſputabat cum tribus Theologis Pontificus, Vice-Cancellarii Academiae tegmine contra inuaſiones paratas vix tutus. Vid. acta. In poſteriori *Thomas Cranerus* ex carcere, in quem poſt *Eduardi* R. mortem coniectus fuerat, conſpirationem potius quam diſputationem cum Doctoribus Pontificiis ſuſtinuit, eo fine, vt in arctiora vincula coniectus, tandem poſt biennium combureretur.

(22) Praefuit Colloquio *Wormatienſi Iulius Pflug*, Epiſcopus *Naumburg.* Diſſolutum hoc diſſenſu noſtratium, quem aduerſarii laetanter aucupabantur; *Ienenſes* quippe Theologi interimiſticas actiones et *Maioris* doctrinam de neceſſitate B. O. damnabant; *Wittebergenſes* id facere recuſabant; illi proin diſceſſerunt; hi continuare colloquium parati erant, ſed renuebant Pontificii.

(23) A. 1557. habitum *Vinariae* colloquium inter *Victorinum Strigelium Synergiſtam* et *Matth. Flacium Illyricum*, praeſentibus Theologis *Ienenſibus*, aliisque viris ſplendidis, et inſigni Studioſorum corona. *Strigelius* hic in *Adiaphoriſtarum* inclinauit ſententiam, *Flacius* autem errorem de peccato originali, hominis ſubſtantia, protrudit. Vid. *acta illius*, nec non *Hutter.* in explicatione Form. Conc. et *Muſaeum* in eandem, ac *prooemio* in *Clauem Scripturae Flacii.* Poſt diſputationem *Strigelius* denuo in carcerem coniectus, dubiam confeſſionis ſuae declarationem, variis obſcuritatibus inuolutam, concepit, hinc ope *Pontani* Cancellarii, et *M. Stoſſelii* officio ſuo reſtitutus fuit; quam eius declarationem *Morlinus* Superint. *Coburg. Stoſſelius* et alii quidam Paſtores et Theologi ſua ſubſcriptione confirmarunt; hinc omnium illorum, qui ſubſcribere nolebant, ſecuta eſt remotio et perſecutio, quos inter *Flacius, D. Sim. Muſaeus, D Io. Wigandus, M. Barthol. Roſinus,* Sup. *Vinar.* cum 30. paſtoribus aliis, de qua dein ante exitum plerisque tragicum indoluerunt autores *Pontanus* et *Stoſſelius.* Vide *Schlüſſelb.* de Synergiſtis, et *Flacii* narrationem actionum et certaminum. *Strigelius* A. 1562. *Iena* profugus *Lipſiam* venit, quam poſt iterum relinquens, *Heidelbergae* An. 1569. obiit. Conf. *Ioan. Erneſt. Gerhardum* de Strigelianiſmo.

(24) Ex *Caluini* partibus diſputabant *Petrus Boquinus et Eraſtus Medicus*, cum *Wilhelmo Clebizio.*

(25) De hoc vide *Thuan.* l. 28. et *Varillaſ.* Hiſt. Caroli IX. Gall. R. quibus tamen aliquoties contradicit *Maimb*, in hiſt.

Calui-

Caluiniſmi. Praeſentes erant R. *Carolus* et mater *Catharina* Regina, Dux *Aurelianenſis*, ſoror *Margaretha*, Rex et Regina *Nauarrae*, *Condaeus* Princeps, et reliqui Regni Optimates ac Conſiliarii magno numero. Ex Pontificiis collocutoribus Cardd *Borbonius*, *Turnonius*, *Caſtellionius*, *Lotharingus*, *Armeniacus* et *Guiſius*, cum Archi-Epiſcopis et Epiſcopis circiter quinquaginta, et ingenti Doctorum *Sorboniſtarum* et *Canoniſtarum* copia. Ex *Reformatis* vero triginta duo verbi miniſtri, *Beza* tamen praecipuas collocutoris ab hac parte vices egit. Conf. et *Hoornb.* p. 257.

(26) Conſuli hic poſſunt acta Colloquii, in quo *Iacobus Andreae* decem actionibus cum *Boquino*, *Oleuiano* et *Vrſino* adeo maſcule pugnauit, vt cum antea negauerint, corpus Chriſti pluribus in locis ſimul et ſemel eſſe poſſe, poſt quidem adſeruerint id poſſe, ſed nolle tamen dixerint. Poſt colloquium diſſolutum calamis ſe inuicem vtriusque partis Theologi impugnarunt.

(27) Quod inter Theologos *Saxonicos et Thuringiacos* ingens contentionum ſerra reciprocaretur, *Auguſtus* Elector, et *Io. Wilhelmus* Dux Sax. in *Colloquium Altenburgenſe* conſenſerunt, quo de Iuſtificatione fidei, L. A. et Adiaphoris tamdiu ageretur, donec deciſa eſſent controverſia. Ex Electoralibus aderant *Paulus Eberus*, *Heur. Salmuth*, *Andr. Freihuf*, *P. Praetorius* et *Caſp. Cruciger.* Ex *Thuringiacis Io. Wigandus*, *Io. Fr. Coeleſtinus*, *Chriſtoph Irenaeus*, *Bartholom Roſinus. Alexius Breſnizer et Timotheus Kirchnerus.* Diſputabant a 21 Oct. ad 9. *Martii* anni ſeq de ſola Quaeſtione: an Bona Opera ſint ad ſalutem neceſſaria? Cum tandem *Miſnici* Theologi breuem confeſſionem de Iuſtificatione ad Electorem tranſmitterent, et *Thuringiacis*, quod contentionum ſtudio conueniri non poſſit, imputarent, reuocati ſunt, vnde acrior longe inter Principes et Theologos animorum diſtractio fuit ſecuta, quam poſt *D. Io. Wilhelmi* exceſſum A. 1573. Theologorum *Thuringenſium*, praecipue *Wigandi*, *Hesbuſii* et aliorum perſecutio, qua intra quatriduum omnibus *Saxonicis* prouinciis excedere iubebantur, excepit, quod tamen Anno ſeq. iterum fuit immutatum. Conf. Acta Diſp. *Altenb.* it. *Oſiandr.* Cent. XVI. p. 638. ſqq.

(28) De *Sendomirienſi* Synodo vid *Hutter.* in Irenico Irenicorum, *Hartkn.* in H. E. Pruſſ. L. IV. 3. §. 2. et ex *Reformatorum* parte *Hoornb* p. 673. acta illius A. 1595. in Synodo Thorun. fuere repetita et denuo confirmata, vid. idem *Hartkn* l. c. p. 901. *D. E. Iablonski* hiſtoria conſenſus Sendomirienſis, Berol. 1731.

(29) Collocutores hic ex *Palatinorum* parte erant *Petrus Datenus* cum Theologis aliis, Anabaptiſtae aderant Hanns Streſcker, Hanns Ramich, David Winter, Hanns Buchel ꝛc. ſicut iam ante A 1557. *Otto Henricus* Palatinus in Pfeilersheim ſimile Colloquium inſtituerat,

(30) *Ia-*

(30) *Iacobus Andreae* hic cum *Flacio* de Peccato Orig. collocutus fuit: quod autem hic ſuae pertinaciter inhaereret opinioni, heic fuit abruptum.

(31) De quo *Hutterus* in Concordia concorde: inſecutus illud fuit Principatus *Anhaltini* in Reformatorum caſtra tranſitus.

(32) Vid. acta eius extantia, quibus Grynaei Sophiſticationes recenſentur.

(33) Acta quoque celebris illius *Mompelgartenſis* colloquii typis publicata extant, quamquam initio inter vtramque partem conuenerat, vt nihil eorum, quae in Colloquio agerentur, publicaretur. Cum autem Reformati vbique *Bezae* accinerent victoriam, noſtri ad acta edenda ſe coactos viderunt. Ipſe Dux *Wurtenberg. Fridericus* ſua manu notauit, quae a *Beza* et adſeclis contra noſtram doctrinam proferebantur.

(34) Fuerat *Piſtorius* e *Lutherano Caluinianus*, et demum Pontificius factus, alias profeſſione Medicus. Thraſonice iactauerat, ſe ex ſola Scriptura *Hunnium* refutaturum, cuius tamen nec vllum locum in vniuerſo colloquio adduxit. Interim *Iacobum* March. *Badenſem* ab orthodoxia ſeduxit. A. 1590. idem Marchio *Iacobus Emmendingenſe* colloquium inſtituit, inter Georg. *Haenlinum*, Doct. Pontif. et Prof. *Friburg.* et *Io. Pappum*, *Laur. Schurium*, ac quoſdam alios ex noſtris Theologos. Eius hiſtoriam prolixe deſcripſit *D. Io. Fechtius.* Cum autem *Iacobus* Marchio breui poſt illud obiret, tentata reformatio in reliquis *Badenſibus* ditionibus fuit inhibita.

(35) *Pantaleon Candidus* conſcripſerat *Catecheſin Bipontinam*, eamque introduxerat Princeps *Ioannes*, iam in caſtra Caluinianorum ſeductus. *Hailbronnerus* tamen veritatem doctrinae de perſona Chriſti adeo maſcule defendit, vt aduerſariis os fuerit obduratum, ni Principis autoritas ſuis ſuccurriſſet.

(36) Vid. *Hutter* Conc. conc. In *Keſmarcenſi* A. 1595. *Albertus Grauerus Sebaſt. Lamium* heterodoxias *Caluinianae* conuicit. A. 1597. *Leutſchouiae* orthodoxi *M. Anton. Platnerum*, Caluinianum impugnarunt.

(*) Superſunt adhuc quaepiam Synodi, et Colloquia, reliquis breuiter accenſenda. *Flensburgi* A. 1529. *Hermannus Theſtius* cum *Melchiore Hofmanno* de ſenſu verborum inſtitutionis diſputauit. *Geneuae* An. 1534. *Furlatus* Pontificius Theologus de poteſtate Eccleſiae et Pontificis, aliisque articulis, cum *Farello* et *Vireto* concertauit, victusque in carcerem coniectus fuit: Anno autem ſeq. *Iacobus Bernardus* conuerſus cum *Carolo Sorboniſta* et *Chappuſio* Dominicano collocutus, vtrumque in ſuam pertraxit ſententiam. Vid. *Spanhem.* in Geneu. reſtitut. Poſt. *Islandinum* in *Rhaetia* A. 1526. habitum colloquium Proceres cuique liberum permiſerunt, ſiue Pontificiam ſiue Reformatam profiteri Religionem. *Mediolani* An. 1565. it 69. a *Carolo Borromaeo* Card. celebratae Synodi Concilii *Tridentini* decreta confirmarunt. *Nemanſienſis* in *Gallia* A. 1571. multa

circa

circa diſciplinam Eccleſiaſticam ex parte Reformatorum decrevit. A. 1583. *Quedlinburgi* fuit habitum Colloquium, quod Theologi quidam *Helmſtadienſes* initio Formulae Concordiae ſubſcripſerant, poſt vero eandem praecipue in articulo de Omnipraeſentia Chriſti hominis reiiciebant. Praecipuus ex hac parte erat *Tilemannus Heshuſius*, qui *Vbiquitatis* dogmate eandem formulam infamare laborauit. Conuenerant ptoin ad hoc Colloquium *Timotheus Kirchnerus*, *Wilhelmus Zimmermannus*, *Palatini*, *Nicolaus Selneccerus* et *Polycarpus Lyſerus*, *Saxonici*, *et Chriſtophorus Coruerus* cum *Mart. Chemnitio Brandenb.* Theologi; ex *Brunſuicenſibus* aderant dictus *Heshuſius* et *Dan. Hofmannus*. Quamquam autem hic magnopere de concordia fuerit laboratum, confici tamen res haud potuit: Tria hic *Formulae Concordiae* exemplaria cum MSCto adcurate collata, tanquam αὐτόγραφα in archiuis trium Electorum futuro vſui fuerunt repoſita. Prolixus in hoc recenſendo eſt *Hutterus* in Concordia Concorde. *Senis* in *Italia* A. 1527. inſtituta Synodus ad reformationem Eccleſiae, praeter confirmationem errorum Pontificiorum nequicquam praeſtitit. *Thorunienſis* Synodus A. 1594. conſenſum *Sendomirienſ.* reſtabiliuit, quamquam infelici ſatis ſucceſſu. Vid *Hartknoch* hiſt. Eccl. Pruſſ. l. V, 3. In *Turonenſi* ſynodo *Gallicani* Patres Papae poteſtatem, quam ſibi in regnum *Galliae* adrogabat, circumcidebant. *Weſtmonaſterii* in Anglia A 1559. Regina *Eliſabetha* inter Pontificios et Reformatos diſputationem inſtituit, quam tamen ſub praetextu vario Pontificii defugerunt, ne Pontifici praeiudicarent. Vid. *Camden.* in Annal. p. I. De his et aliis Colloquiis conf. *Micraelii* Hiſt. Eccleſ. it. *Hutter.* l. c.

(37) Vitam *Ph. Melanchthonis* perſcripſit *Ioachimus Camerarius*, it. *Melchior Adami* in vitis Germanorum Theolog. ſup. Saeculi p. 327. De animo eius admodum mutabili *Seckend.* paſſim. Eius et *B. Lutheri* diarium ſiue Geſchichtscalender nuperrime prodiit.

(38) Huius vitam dedit idem *Adami* p. 285. it. *Seckend.* Infelix pater fuit, filii cognominis, *Hafniae* ob ſcelera decollati.

(39) Vid. *Seckend.* denuo paſſim, et *Adami* p. 311.

(40) *Amsdorfii* vitam ſupra paucis recenſuimus n. 31. §. 2. Prolixius dederunt iidem, cumprimis *Adami* p. 68.

(41) De hoc Caluino Miſtyge eand. *Adami* recenſionem, quamquam et partium ſtudio profectam, confer p. 636. Aduerſarii eum, quod fabri eſſet filius, *Schmidlinum* vocarunt. v. *Leni Sutoris* vita Iac. Andreae theologi, Luneb. 1649.

(42) *Io. Brentium*, *Hallenſium* in *Sueuia* Eccleſiaſten, complurium in ſacros ſcriptores Commentariorum et homiliarum autorem, exhibet idem *Adami* p. 436. Adde *Sleidan.* l 20. *Friedr. Iac. Bryſchlagi* Verſuch einer vollſtändigen Lebensbe-

 ſchreibung

ſchreibung Joh. Brentii, Nienb. 1735. von Einem Leben und Schriften Ioh. Brentii, Magd. 1733.

(43) Fuit hic in *Marchia* natus, tenui ſorte, at magnam ingenio et libris nominis ſibi famam peperit Scripſit inter alia *examen Concilii Tridentini*, *Harmoniam Euangel.* (quam tamen poſt eum *Polycarp. Lyſerus* continuauit, *Io. Gerhardus* demum ad vmbilicum perduxit,) LL. Comm. et alia. Videſis *Adami* p. 572.

(44) Ex Acad. *Wittebergenſi Roſtochium* vocatus fuit, multorum librorum parens famigeratiſſimus. *Adam.* p. 681. *Otto Frider. Schützii* de vita Dau. Chytraei lib. IV. Hamb. 1720.

(45) *Kizingenſis Francus*, et Superintend. *Witteberg.* fuit inter Philippiſtas et Crypto Caluinianos. *Adami* p. 428.

(46) Praeter ea, quae iamdum de ipſo fuere adducta, videri plura poſſunt in narrationibus actionum ſuarum: it. apud *Adami* p. 472.

(47) Initio Theologus *Moguntinus*, inde *Argentorat.* libris editis clariſſimus. *Adami* p. 240.

(48) De eod. agit *Adami* p. 621. nec non autor vitae eius carminice *D Io. Olearius*, it. *Fechtius* in ſupplem. H. E. Saec. XVI. *Ienenſis* initio, poſt *Regiomontanus*, denique *Helmſtadienſis Theologus*: Vbiquitatis dogma orthodoxis ita imputauit, ac ſi ſubſtantiam carnis Chriſti extenſiue et localiter in omnibus creaturis eſſe dicerent. Aliud ipſi cum paſtoribus *Regiomontanis* et *Wigando* certamen *de abſtracto et concreto* fuit, quo de *Hartknoch.* H. E. Pruſſ. p. 436. ſq.

(49) Inſignis Theologus *Wittebergam* fermento Caluiniano purgauit, multisque ſcriptis, ac pro orthodoxia fortiter geſtis aeternum ſibi nomen parauit. *Adami* p. 723.

(50) *Auguſtae* in patria propter Calendarii reformationem, it. *Wittebergae* a Crypto-Caluinianis multa paſſus fuit. Vid. *Adami* p. 758. adde Saec. ſeq. n. 69.

(51) Pſalmos Dauidis rythmis Germanicis expoſuit.

(52) Summaria in Biblia conſignauit. Vitam eius exhibet *Adami* p. 199.

(53) De quo *Hartkn* in Hiſt. Eccl. Pruſſ. it. *Ad.* p. 411. Verſus eius ante mortem compoſiti erant:

Diſce meo exemplo mandato munere fungi,

Et fuge, ceu peſtem, τὴν πολυπραγμοσύνην.

(54) Natione *Sileſius*, extremae paupertatis filius, quae tamen nil obſtitit, quo minus ad ingentes eruditionis diuitias perueneritt, ex Paedagogio *Stetinenſi*, vbi a Crypto-Caluinianis dire exagitabatur, *Wittebergam* vocatus, Commentario in *Geneſin* et *Pſalmos*, aliisque ſcriptis celebris.

(55) De hoc tam pietatis et eruditionis, quam generis incluti Principe, et ſingulari Euangelicae reformationis promotore, prolixe hinc inde agit a *Seckend.* in Hiſtoria Lutheranismi.

Eius

Eius ſcripta hodienum doctis accepta. Vid. *Adami* p. 245. Fuit Epiſcopatus Mersburg. coadiutor.

(56) De iuuentute Scholaſtica edito compendio Theologico, quod et in Graecam linguam *Martinus Cruſius* tranſtulit, *Conſtantinopolin* miſſum, optime meritus. *Adami* p. 668.

(57) Hic *Noribergenſis* patria, profeſſione *Witteberg*. Theologus, praeter, quod Crypto Caluiniſmo eſſet addictus, et B. O. ad ſalutem diceret eſſe neceſſaria, de Eccléſia bene meritus, praecipue in *Colloq. Ratisbon.* Obiit breui ante, quam *Witteberga* eiicerentur Crypto Caluiniani. Deſcripſit eum *Adami* p. 468.

(58) *Rochlizenſis*, in Acad. *Witteberg.* Lutheri famulus, ſcriptis pluribus, praecipue *Sarepta*, ſiue *Poſtilla Metallica*, vita *Chriſti* et *Lutheri*, aliisque adhuc clarus. *Adami* p. 403. *Io. Balth. Matthesii* Lebensbeſchreibung M. Io. Mathesii, Dresd. 1705.

(59) *Waldeccenſis* variis itidem ingenii monumentis, et in Eccleſiam orthodoxam meritis inclaruit, vtpote *de fundamento fidei Calu. omnipraeſentia carnis Chriſti, Deo Calu. regno Chriſti, vita aeterna* et aliis. Vid. *Witteuii* Diar. Biogr. it. in *Memor. Theolog.* Dec. I. n. I.

(60) De quo vide ſuperius dicta n. 33. §. 2. vitam eius prolixe conſignauit *Adami* p. 236.

(61) Filius *Luc. Oſiander* notis in S. Biblia, it. *Enchiridiis controuerſiarum* celebris. Nepotes v. *Andreas* et *Lucas* ſuo genere ſe digniſſimos in hoc ſtudio exhibuerunt. Iunioris *Andreae* vitam exhibuit *Adami* pag. 860.

(62) *Lindanienſis*, controuerſiis cum *Io. Sturmio* Rectore *Argent.* Caluiniano, it. *hiſtoria Eccleſ.* notus. Vid. *Adami* p. 803. item *Witten.* Diar. A. 1610.

(63) *Roſtochienſis* Theologus magni nominis, variis homiliis clarus.

(64) Prof. *Francofurtanus*, it. *Marchiae* Superint. Generalis, ex *Lutherano* factus Caluiniſta, variis ſcriptis in libros Biblicos et aliis innotuit: a patrum lectione commendatiſſimus.

(65) *Augusta Luneburgum* vocatus, cum ab *Auguſtanis* repeteretur, a Principe ſuo *Erneſto* haud fuit dimiſſus; à *Maximiliano I.* Imp. laurea coronatus. *Ad.* p. 70.

(66) *Auguſtanus* ſeduxit initio a *Lutheraniſmo* ad Papiſmum Palatinum *Neoburgicum*, ſcripſitque muros ciuitatis ſanctae, quos cum Meiſnerus, Hoë et alii ſcriptis oppoſitis conuellerent, illeque pro defenſione eorum laboraret, oculi ipſi aperti, et quam fruſtra contra veritatem niteretur, clare diuino Spiritu demonſtratum fuit. Tubingae itaque conuerſus Profeſſorem egit, vſque tandem animam Deo redderet. *Witt.* Memor. Theol. Dec. VII. n. 5. p. 892.

(67) De varia huius, quam habuit, fortuna, et quomodo a Crypto-Caluin. in Acad. *Witteberg.* fuerit exagitatus, ſcriptisque complurimis vid. Memor. *Witt.* Dec. II. n. 2. p. 141. ſeq.

(68) Vitam eius *Henr. Hoepſner* graphice depinxit apud *eund.* Dec. II. n. 10. p. 280 ſeq.

(69) Magno hic auſu Crypto Caluinianos impugnauit, atque inter F C autores ſuo merito numeratur; de quo *Melch. Adami* p. 663.

(70) *Drumsdorfenſis Marchicus* hic fuit, initio Diac. in *Geſees,* hinc *Eccleſiaſtes Byruthinus,* poſt Theol. Doctor et ad paſtoratum *Graezenſem* in *Stiria* vocatus; (quam tamen functionem a Pontificiis impeditus capeſſere haud potuit) inde *Superintendens Hildeſienſis,* poſt *Islebienſis,* iterum Sup. Generalis in Marchionatu Brand. ſuperiori, et *Byruthinus* ſpecialis, it. Paſtor et Superint. *Curienſis,* a R. *Guſtauo Adolpho Wurzburgi* conſtitutus *Superintendens Generalis*, vnde poſt receptam a Caeſareanis *Herbipolin Erfurtum* commigrauit, ibique viuendi finem fecit, ſcriptis compluribus nobilis, quae recenſentur a *Witte* in Diario. Adde *L. Liebhardi* Orat de Superint. Baruthinis.

(71) *Erhardus Schnepfius* Heilsbronnenſis, poſtquam ex Cimmeriis Pontificatus tenebris eſſet eluctatus, *Weinsbergae* initio, poſt nobilibus a *Gemmingen* Euangelium praedicauit hinc *Wimpinam* vocatus, ibidem docuit, atque a *Philippo* Landgrauio in *Marpurgenſi* Academia Profeſſoris munus obtinuit, poſt *Stutgardiam* venit, et *Tubingae* Profeſſor conſtitutus, propter *Interim* inde pulſus, *Ienam* conceſſit, vbi Profeſſor obiit, poſtquam variis colloquiis et Theologorum conuentibus interfuiſſet, multisque libris nominis famam ſibi peperiſſet. *Theodoricus* filius itidem *Tubingae* Profeſſor, ac demum Superintendens Generalis fuit. De vtroque conf. *Adam.* de illo p. 3?0. de hoc p. 578.

(72) *Iohannes* initio patriae *Northuſii*, deinde *Mansfeldiae* paſtor et Superintendens, ſcripta plura edidit. *Ad.* p. 202. ſeq. *Cyriacus* filius *Islebiae* initio, inde *Mansfeldiae* docuit, contra *Adiaphoriſtas* ſtrenue pugnauit, poſt vero propter *Flacianiſmum*, quem defendebat, officio depoſitus, *Argentoratum* conceſſit, vbi hiſtoricis cumprimis ſtudiis operam impendens, obiit. Vid. *Adami* p. 731.

(73) In *Concilio Tridentino* ſui defenſionem quaerebat, ſed non audiebatur, inde exemplo *Spirae* deſperantis territus, cum iam ante de veritate religionis Pontificiae dubitaret, Euangelicam amplexus, aliquamdiu in valle *Tellina* eam docuit, inde *Tubingam* vocatus, ſubſtitit, et varia ſcripſit: poſt mortem a *Iacobo Andreae* laudatus. a *Seckend.* l. III. p. 601.

(74) Vir conſtantis et heroici animi, fidus *Lutheri* paraſtata, aetatis anno 71. apoplexia correptus, mortuus in lecto inuentus fuit.

(75) Theologus hic orthodoxus, variis fortunae procellis agitatus, *Ienam* aliquoties vocatus, aliquoties dimiſſus, tandem Epiſcopus *Pomeſanenſis* in Pruſſia obiit. Vid. *Adam.* p. 603 it. *Hartknoch* H. E. Pruſſ p. 459.

(76) Subiungi his quidam alii potioris nominis Theologi ex ſu-

perſori

periori Saeculo poterunt, verbo memorandi: *Io. Tepinus* primus *Hamburgenſium* Superintendens, et ex primis, qui poſt reformationem *Wittebergae* in Doctorem promouit, obiit A. 1533. *Eraſmus Alberus*, Paſtor *Magdeb.* ſepties ob fidei profeſſionem et animi conſtantiam exul, quarundam cantionum Eccleſiaſticarum autor *Alex Aleſius Scotus*, Prof. *Witteb.* et *Lipſ.* ad A 1565. quo deceſſit. *Io. Auenarius* vel **Habermann**, Prof. initio *Ienenſis*, poſt *Witteberg.* denique Superint. *Cizenſis*, Lexico Ebraico, Poſtilla et precationum libro etiamnum notus, obiit A. 1590. *Io. Aurifaber*, *Wittebergae*, *Erfurdiae*, *Roſtochii*, it. in *Pruſſia* docuit, demum in patriam *Vratislauiam* vocatus, A. 1568. obiit. *Balthaſar Bidenbach*, Concion. aulicus et Praepoſitus *Stutgard.* variis ſcriptis relictis obiit A. 1578. *Eberhardus Bidembach* Tubingenſis Eccleſiaſtes. De *Felice Bidenbachio* dicetur ſaeculo ſeq. n. 11. §. 3. *Chriſtophorus Coruerus*, Paſtor *Francof.* ad *Oderam* et *General. Sup. Marchiacus* librum Concordiae cum aliis conſcripſit, obiit officiorum anno 54. Chriſti 1594. Vid. *Adami* p 664. *Andr. Coruinus* fidelem *Luthero* operam nauauit, inque Ducatu *Brunſuicenſi* repurgandis Eccleſiis incubuit. *Adam. Crato Fuldenſis* et primus *Haſſiae* Superint. poſtquam in diſputatione *Homburgenſi* ſingularem praeſtitiſſet operam; *P. Crellius Islebienſis*, Prof *Witteberg.* operis Concordantiarum Biblicarum autor, initio quidem cum Crypto-Caluinianis fecit, poſt tamen reſipuit, obiitque A. 1579 Vid. *Ad.* p. 518. quamquam de eius morte figmenta complura fuerint vulgata. *Caſp. Cruciger Lipſienſis*, orthodoxiae ſtrenuus adſertor, obiit A. 1548. de quo *Adami* p. 192; filium habuit cognominem, at non eiusdem fidei, ſed qui cum *Caluinianis* initio clam, mox palam ſentiebat, propterea, aliisue de cauſis dimiſſus. *Io. Forſterus*, *Auguſtanus*, Theologus et Prof. *Witteberg.* *Luthero* in vertendis Bibliis egregiam nauauit operam: erat quippe (quod ex *Dictionario Ebraico* liquet) linguae ſanctae peritiſſimus. Eius ope *Comitatus Hennebergicus* Euangelii reformationem admiſit. Vid. *Adam.* p. 302. obiit A. 1556. *Mart. Frechtus Vlmae* inter primos Euangelii praecones fuit, poſtmodum, quod *formulam Interimiſticam* nollet recipere, dimiſſus, *Tubingae* docuit et diſceſſit A. 1556. *Adam.* p. 300. *Io. Gigas Northuſanus*, Rector initio in *valle Ioachimica*, poſt Paſtor *Freiſtad.* tandem *Schweidniz* in Sileſia A. 1581. obiit, de quo idem *Ad.* p. 528. *Hermannus Hammelmannus*, *Weſtphalorum* Doctor, in Colloquio *Ihenerenſi* veritatem defendit. *Caſp. Hedio*, Theologus et Hiſtoricus *Argentorat.* patria *Etlingenſis* ob. 1552. *Ad.* p. 240. *Iacobus Heilbronnerus*, Theologus *Palatinus*, initio Concionator aulicus *Neoburg* poſt eiectus a Caluin. *Tubingae* Profeſſor Sup. General. et vltimo Abbas *Bebenhuſanus* conſtitutus, ſcripſit Papatum Acatholicum et alia. Obiit 1619. *Witt.* in memor. clar. Theol. Dec. II, n. 1. p. 123. *Nicol. Hemmingius Hafnienſis*

 Prof.

Prof. variis ſcriptis ſui nominis famam reliquit, ob. 1600. *Valent.* Herberger plurimis concionibus ſe nobilitauit: erat Paſtor *Frauenſtad.* in *Sileſia.* Vid. *Witt.* in Cent. Theol. p. 1456. ob. 1627. *Io.* Heſſus *Vratislau.* repurgator, miſſam quippe primus cum *Ambroſio Moibano* ibidem abrogauit. *Dan. Hoffmann Helmſtad.* Prof. *Formulam Concordiae* impugnauit. *Andr. Gerb.* Hyperius, *Marp.* Theologus, in religionis de S. *Coena* negotio, modo hac, modo illac ſe vertens, ob. 1564. *Timotheus Kirchnerus*, Paſtor *Ienenſ.* poſt Conc. aulicus *Brunſuic.* inde *Helmſtad.* ac Heidelberg. Theologus, denique Superint. General. *Vinarienſ.* in negotio *Formulam Concordiae* concernente fidem ſuam approbauit. Ob. 1586. *Conr. Lautenbach* ab *Ad.* deſcriptus p. 665. fuit Paſtor Argent. et Prof. *Heidelberg.* inde tamen a *Caluinianis* eiectus, ob. 1595. *Francofurti ad Moenum.* *Wenceslaus Link* Paſtor initio *Noriberg.* ad quem plures Megalandri *Lutheri* extant literae. Vid. a *Seckend.* paſſim. *Caſp. Loebner* initio *Oelſnicenſis*, inde *Curienſis* Paſtor ſub ortum Euangelii, poſtmodum *Noribergae*, ac denique *Nordlingae*, iubente *Luthero* docuit, ibidemque An. 1546. obiit. De *Polycarpo Lyſero* vid. n. 70. Saecul. ſeq. *Io. Marbachius Lindauienſis Ienenſ.* hinc *Iſnenſis* Paſtor, poſtmodum Theologus *Argentinenſis*, ad *Tridentinum Concilium* cum aliis fuit ablegatus, varios reliquit ingenii foetus, obdormiuitque A. 1581. Exhibet eum *Adami* p. 525. *Iuſtus Menius Fuld. Lutheri* in doctrina Euangelica plantanda adiutor fideliſſimus, *Gotha* propter *Flacianiſmum* et *Maioriſmum Lipſiam* conceſſit, ibidemque mortalitatem A. 1558. expleuit. Conf. Thüringiſche Chron. p. 92. ſeq. *Hier. Mencelius Suidnicenſis Sup. Generalis Mansfeldicus* ob. 1590. *Ioach.* Morlinus, Diaconus initio *Wittenberg.* inde Paſtor *Arnſtad. Goettingenſ. Regiomont.* vbi cum *Oſiandro* in articulo de iuſtificatione grauiſſime concertauit, officioque remotus *Brunſuigam* venit, ibidemque verbum docuit: vnde tamen aegre dimiſſus, in *Pruſſiam* rediit *Sambienſis* Epiſcopus conſtitutus, de quo pluribus *Hartknoch.* l. II. 2. ſeq. ob. 1571. *Simon Muſaeus*, varia itidem fata ſuſtinuit; Paſtor enim initio *Gothanus*, hinc Superintendens *Eisfeldenſis*, poſt Profeſſor *Ienenſis*, porro Superint. *Geranus, Coburg.* et *Bremenſ.* a *Caluinianis* inde pulſus, Decanus *Mansfeldenſis*, obiit A. 1576. *Andr. Muſculus Schneeberg.* Superint. Gener. *Francofurt. ad Viadrum*, variis ſcriptis inclaruit: deceſſit A. 1581. *Fridericus Myconius* ſiue *Mecum* initio Monachus *Annaebergenſis*, cum *Tezelio* de indulgentiis grauiter collocutus, poſt *Vinarienſis* Eccleſiae Miniſter, primus in *Thuringiacis* Eccleſiis Papatui contradixit, ac demum *Gothanus* Paſtor, a Principe ſuo ad plurima grauis momenti negotia fuit adhibitus: eodem cum *Luthero* anno 1546. ad Dominum migrauit. Vid. *Melch. Adami* p. 171. *Io. Pfeffingerus Bauarus* Lipſiae abrogatis ritibus Pontificiis praeco fuit Euangelii, tempore tamen litigii Interimiſtici aduer-

ſariis

ſariis multa indulſit. ob. 1573. cum annos aet. 80. et 55. officii compleuiſſet. *Adami* p. 463. *Moſes Pflacherus Campodunenſis* Paſtor ob. 1589. relictis poſt ſe variis ingenii monumentis *Petrus Piſcator Ienenſis* Profeſſor, linguis Orientalibus excelluit, commentariumque in A. C. reliquit. *Lud. Pollio Vratiſlauienſis*, et patriae Eccleſiae paſtor, ob. 1583. *Ad*. p. 542. *Iacobus Rungius* Prof. *Gryphiswald*. deceſſit An. 1595. εὔτεκνος, parens quippe *Friderici*, Profeſſ. Theolog. *Grypswald*. ſui in officio ſucceſſoris, *Dauidis*, Prof. Theolog. *Witteberg*. *Danielis* Prof. Iur. *Grypswald. et Ioannis* Archiatri *Pomeranici*. *Siegfridus Saccus Northuſanus*, *Magdeburgi* primus in cathedrali, Eccleſia Paſtor Euangelicus, qui vltra trecentos ſacro miniſterio initiauit; ob. 1595. *Henr. Salmuth Suinfurt*. Paſtor et Super. Lipſ. 1576. defunctus; *Eraſmus Sarcerius*, *Annaemontanus*, variis in locis initio Scholis, poſt Eccleſiis regendis operam dedit, et *Magdeburgi* tandem A. 1559. obiit. *Adam*. p. 325. *Georg. Spalatinus Noricus*, Concionator Electoris Sax. aulicus, magnus *Lutheri* amicus, poſt Paſtor *Altenburg*. ob. 1545. *Adami* p. 99. *Paulus Speratus*, variis in *Germaniae* locis purum DEI verbum, non ſine vitae diſcrimine, docuit, tandem in *Pruſſiam* vocatus, *Pomeſanenſis* Epiſcopus fuit conſtitutus, autor odae Eccleſiaſticae: Es iſt das Heil ꝛc. Ad. p. 200. *Simon Salcerus Heluetius* in ipſa *Heluetia Bernae* et *Baſileae Lutheri* ſententiam contra *Zuinglium* defendit: obiit An. 1585. *Primus Tuberus Slauonicus*, in *Carniola* ſuperſtitionibus primo reſtitit, poſt inde eiectus primus *Rotenburgi* ad *Tubarim* praeco fuit, hinc *Campodunenſis*, ac demum *Auracenſis* in *Würtenbergico* Ducatu Paſtor conſtitutus, multum popularibus ſuis profuit, transferendo libros varios in linguam *Slauonicam*, inde in patriam conceſſit, ſed ea pulſus in agro *Würtenbergico* obiit An. 1586. *Adam*. p. 574. *Matth. Vogelius Noribergenſis*, Paſtor initio in Lauff, poſt in vrbe *Norica*, ſed inde propter non receptum Interim pulſus, in *Pruſſiam* venit, et *Welauienſis*, poſt *Kneiphofienſis* in *Regiomonte* Paſtor, *Oſiandri* partes aliquantum, non tamen in omnibus rutatus fuit, quo ipſo multorum in ſe concitauit odia, quibus tandem An 1566. ceſſit, ac *Goeppingae* Paſtor, demum Abbas *Alberſpacenſis* conſtitutus fuit, vbi theſaurum locorum ſacrorum, cui 40. annos inſudauerat, edidit, obiit A. 1591. Conf. *Ad*. p. 660. it. *Hartknoch*. H. E. *David Voitus* patre natus *Io. Voito*, qui *Vinariae* adhuc Monachus mala plurima ob orthodoxiam ex *Lutheri* ſcriptis hauſtam perpetiebatur, vt etiam *Franciſcanorum* clauſtrum relinquere, et Ducibus a concionibus eſſe fuerit coactus. *Rouneburgi* poſtmodum Concionatorem egit, vbi natus fuit *David Voitus*. Profeſſor hic initio *Ienenſis* linguae *Graecae*, poſt *Regiomontem*, inde *Dantiſcum* conceſſit, vnde *Ienam* atque exin *Wittebergam* fuit vocatus, vbi etiam deceſſit A. 1589. Vitam exhibet pluribus *Adami* p. 633. Denique *Iacobus Weſtphalus* paſtor *Hamburg*.

burg. Zuinglianos fortiter impugnauit. ob. 1574. Hi potiores Saeculi huius fuere Theologi.

(77) Nomen hoc ipſis creuit in Gallia, *Caeſaroduni*, vel, vt aliis placet, *Turonii*, idque vel a lemuribus et ſpectris, quae *Hugo* vocabantur, noctu obequitans, quod ſacra ſua noctu peragerent, vel, quod ad portam R. *Hugonis* conuentus ſuos inſtituerent. Quipiam ex illis innouando ſtatui *Galliae* publico inhaerebant, alii tantum religionis puritatem ſectabantur. Bella eorum ciuilia *Thuanus* et alii poſt eum exhibent.

(78) Hic *Glaronae* initio, poſt *Tiguri* Paſtor, *Samſonio* Monacho, indulgentiarum apud *Tigurinos* praeconi, ſe oppoſuit, atque eodem cum *Luthero* tempore in emendanda Eccleſia deſudauit, poſt tamen a veritate in articulo de S. Coena deflexit, litemque ſacramentariam ſuam fecit: Et vtut poſtmodum aliquoties cum *Luthero* conſenſum exoptaret, nunquam tamen, quod errorem illum agnoſcere et deponere nollet, impetrauit, quo ipſo ingens illud ſchiſma fuit inuectum: in bello ciuili *Heluetico* A. 1531. cum Pontificii in *Tigurinos* impetum facerent, multosque ex illis necarent, *Zuinglius*, qui ſimul ad proelium fuerat egreſſus, inter eos periit, corpusque eius ab hoſte male habitum et crematum fuit, cor tamen abſumtum flamma haud fuiſſe narratur. Vid. *Korth.* H. E. p. 781. ſeq. *M. Adami* de Theol. exteris p. 25. ſeq. *a Seckend.* l. II. p. 34. et alibi.

(79) *Noniodunenſis*, iuris ſe ſtudio, poſt Theologiae ſacrauit, et repurgatam a fermento Pontificio *Lutetiis* et alibi, non ſine diſcrimine, religionem fouit; *Galliam* dein linquens, *Geneuae* Paſtor et ſacrarum literarum Profeſſor fuit conſtitutus, vbi reformandae Eccleſiae et ſcribendis libris compluribus ſedulo incubuit. ob. 1564. Eius vitam exhibet *Adami* l. c. p. 63. ſeq. *Beza* Panegyriſtam potius, quam deſcriptorem eius agit. v. *Hieron. Bolſeci* vita Ioan. Caluini, Colon. 1582.

(80) *Carolſtadius* a patria, vrbe *Franconiae*, *Carlſtad* dictus, *Bodenſteinius* alias adpellatus, *Wittebergae* in noua Academia Profeſſor, inter primos *Lutheri* dogmata fuit amplexus, *Lipſiaeque* contra *Eccium* diſputauit: ſed dum ambitioſus, abſente in Pathmo *Luthero* noua moliretur, et poſt de S. Coena erraret, ſimulque fanaticis ſe adiungeret, eodemue Spiritu ſe *fratrem Andream* adpellari vellet, relicta *Witteberga* aliorſum conceſſit, tandemque a *Zuinglio Tigurinae* Eccleſiae Diaconus, et poſt eius mortem *Baſileenſis* factus eſt, vbi An. 1541. obiit. Vid. *Adami* p. 80.

(81) *Weinspergenſis*, vulgo Hauſchein dictus, ab officio patrio *Baſileam* vocatus, paroeciae ſummi templi praefectus fuit, *Auguſtaeque* aliquandiu concionatus, in monaſterium conceſſit, ſed illo poſt biennium relicto, *Baſileam* rediit, Profeſſorque Theologiae et Concionator ac Eccleſiae repurgator conſtitutus fuit, quibus officiis praefuit ad annum vſque emortualem 1531.

(82) *Se-*

(82) *Selingſtadienſis*, initio ordinis praedicatorum Monachus *Wormatienſis*, poſt Concionator et Prof. *Argentinenſis*, denique *Cantabrigienſis* in *Anglia* antiſtes ob. 1551. cuius oſſa ſub *Maria* incinerata. Vid. *Adami* p. 211. ſeq. *Alb. Menon. Verpoorteni* diſſ. II. de Martino Bucero Vit. 1698. rec. Coburg. 1709.

(83) *Helnetius* Zuinglio *Tiguri* ſucceſſit, officioque per 43. annos praefuit. *Adami* p. 476.

(84) *Florentinus*, familiae *Vermilienſis*, ingratiis parentum coenobium ingreſſus, variis poſtmodum *Italiae* locis concionans, Abbas factus *Spoletanus*, poſt *Neapolit*. vbi ſenſim radiis Euangelii illuſtratus, *Lucam* et aliorſum ſecedens, *Argentinam* tandem venit, ſacrisque literis explicandis dedit operam. Relicta illa in *Angliam* ad cooperandum in regno reformando ſe conuertit, *Oxonii* interpretandis ſacris literis praefectus, poſt mutatum religionis ſtatum *Argentinam* rediit, ibidemque denuo docuit, vſque *Tigurum* vocatus eo ſeceſſit, Colloquio *Poſiaceno* praeſens, quo dimiſſus non diu ſuperfuit, ſed *Tiguri* obiit. Vid. *Ad*. p. 24.

(85) Variis ſcriptis, Theologicis, Mathematicis, Hiſtoricis ſe celebrem reddidit, apud *Tigurinos* non modo, ſed et *alibi*. *Adami* p. 507. ſeq.

(86) Itidem *Tigurinus*, eccleſiae patriae miniſter, inter alios ingenii foetus de ſpectris ſcripſit. Vid. *Eund.* pag. 571.

(87) Poſt varias peregrinationes Rectoratum *Tigurinae* ſcholae ſuſcepit, Theologiamque docuit, variaque ſcripta Theologica et Philologica reliquit. ob. 1607. *Ad*. p. 165. ſeq.

(88) *Wolffhart* lingua Germanica dictus, *Rubeacenſis* fuit, Prof. *Baſileenſis*, hinc Eccleſiae Diaconus conſtitutus ob. 1561. *Ad*. p. 362.

(89) *Bernenſis*, paſtor initio in *Badenſi Marchionatu Rotelanus*, orthodoxiam *de S. Coena* defendit, poſt vero in peiorem ſententiam abreptus cum *Caluinianis* ſentire coepit. Hinc *Baſileam* vocatus Theologiae Profeſſoris munus obiit, poſtque *Heidelbergenſem* Academiam *Palatinatumque Caluini* ſententia imbuit, *Baſileam* reuocatus An. 1617. obiit. *Ad*. p. 868. ſeq.

(90) *Lotharingus*, Monaſterio incluſus Poëta fuit feliciſſimus, lectis *Lutheri* libris ſinceriorem fidem amplexus, eam adhuc in coenobio profiteri coepit, hinc *Argentoratum* venit, magnaque in egeſtate vixit, vſque loci Diaconus conſtitueretur, et inde *Auguſtam* vocaretur, quo tamen difficulter admodum conceſſit: hinc *Donawerdenſibus* in reformationis negotio adfuit; *Auguſta* tamen propter *Interim* relicta *Baſileam* venit, inde *Bernenſis* Scholae Profeſſor conſtitutus fuit, vbi An. 1563. deceſſit. *Adami* p. 367.

(91) Eius, Rectoris initio *Serueſtani*, poſt Paſtoris *Coſuicenſis*, denique Paſtoris ac Superintendentis *Serueſtani*, vitam exhibet *Adami* p. 748. ſeq. Ob. 1606.

 (92) *Pla-*

(92) *Plauienſis*, Profeſſor *Witteberg.* Crypto-Caluinianus, demum Prof. et Sup. *Bremenſis*, atque ita aperte reformatus, ob. 1604. Scripta eius lege apud *Witt.* in Diario.

(93) *Marchicus* hic, *Germ.* Birnbaum dictus, Prof. initio *Francofurtanus*, poſt paſtor *Brandenburgenſis*, *Cuſtrinenſis*, inde Superintendens, et aulae Concionator *Dresdenſis*, porro Paſtor et Sup. *Witteberg.* vbi cum Crypto-Caluinianis exorciſmum inter alia abrogauit.

(94) *Lotharingus*, Conc. *Rhotomagenſis*, Commentarium edidit in Geneſin, Pſalterium, Eſaiam et N. T. tandem ſtrangulatus An. 1572. *Ad* p. 23.

(95) *Heduus*, iuris initio ſtudio, *Geneuae* autem *Theologiae* litavit, *Caluinoque* ibidem in officio ſucceſſit: ob. An. 1605. aetat. 87. Conf. *Ad.* p. 202.

(96) *Pleſſiaci* Dominus, *Gallus* nobilis et pereruditus, praefectus *Salmurienſis*, myſterio iniquitatis, de veritate religionis Chriſtianae, aliisque ſcriptis illuſtris, ob. 1623. v. Hiſtoire de la Vie de Philippes de Mornay, Leid. 1747.

(97) *Mompelgardenſis*, Paſtor et Profeſſor *Aurelianenſis* in *Gallia*, inde *Neoſtadii*, tandem *Heidelbergae* vixit, et obiit An. 1602. *Ad.* p. 700.

(98) *Vratislanienſis*, Paſtor *Neoſtadienſis*, inſignis *Caluinianus*, de quo *Oſiander*: eum multum eloquentiae, parum ſapientiae habuiſſe, ob. 1583. *Ad.* p. 523.

(99) Theologus *Gallus*, iuris ſtudio relicto *Theologiae* ſe adplicuit, Doctor initio *Geneuenſis*, poſt *Lugdunenſis* in Belgio, hinc *Gandauenſis*: demum in regnum *Nauarrenum* conceſſit, ibique Academiam *Orthezianam* illuſtrauit: ob. 1596. *Ad.* p. 177.

(100) *Sileſius*, Theolog. Prof. *Baſileae* ſcriptis variis cognitus, ob. 1610. *Adami* p. 805.

(101) *Ferrarienſis* patre *Iudaeo* natus, *Ebraeae* linguae peritiſſimus, relicta *Italia* in *Germaniam* venit, initio *Argentorati* commoratus, inde in *Angliam* traiecit, poſt mortem autem R. *Eduardi Hornbaci*, poſt *Heidelbergae* docuit. Deceſſit *Sedani* An 1580. *Ad.* p. 142.

(102) Gallus nobilis Eccleſiaſtes initio *Schornauienſis*, poſt *Neoſtad. Heidelberg.* demum Theologus *Lugdunenſis*, multis ſcriptis inclaruit. Ob. 1602. *Ad.* p. 192.

(103) Nobili in *Gallia* genere natus, adhuc iuuenis in Paſtorum numerum adſcitus, non ſine periculo vixit *Lutetiae*, poſt *Aurelìis*, vbi multis interfuit Eccleſiae *Gallicanae* Synodis. *Geneuae* obiit An. 1591. *Adami* p. 155.

(104) Inter ſuos et hic magni fuit nominis, de quo *Adami* paſſim. Fundator *Capuccinorum* hic Pontificius adhuc fuiſſe ſcribitur, eius poſt apoſtaſia *Capuccinis* magnam peperit inuidiam, vt parum abfuerit, quin Pontifex totum ordinem abrogaret. Vid. *Varillaſ.* T. IV. hiſt. reuolut.

(105) *Poloni* huius vitam exhibet *idem* p. 19. ſeq.

(106) *Fran-*

(106) *Francoſtein Bohemus*, initio Paſtor *Schlottenbacenſis*, deinde paedagogii *Heidelberg.* collega, demum alibi Paſtor, vltimo Profeſſor Heidelb. ob. 1622.

(107) Vt *Benedictus* Aretius, *Bernenſis*, in patria Theologus ob. 1524. *Ad.* p. 467. *Rudolph. Gualterius Tigurinus* patriae itidem Eccleſiae paſtor, ob. 1586. *Ad* p. 592. *Petrus Boquinus* Gallus, ob. 1582. *Hier. Zanchius* Italus 1590. *Guil. Wittakerus* (1595.) de quibus *Adami* parte II. vitarum illuſtrium Theolog. prolixius.

(108) Magnus Eccleſiae Rom. defenſor, *Canon. Ingolſtad.* ob. 1543. cui tale Epicedium a quopiam ſcriptum:

Multa vorans, et multa bibens, et peſſima dicens:
Eccius hac poſuit putre cadauer humo.

Vid. a *Seckend.* paſſim.

(109) *Norinberg.* Canonicus *Moguntinus et Vratislau.* Ducis Saxon. *Georgii* Conſiliarius Eccleſiaſticus, obiit *Vratislaniae* An. 1552.

(110) De quibus et aliis videſis *Micraelii* H. E. aliosue. *Gregorius* ille a *P. Clement. VIII. Doctor Doctorum* adpellatus fuit.

(111) Plurima de *Ieſuitis* vide apud *Seckend.* l. III. Sect. 21. ſq. 84. it. *Schlüſſelburg.* et mille alios.

(112) *Ignatii Loiolae* Ordinis autoris vitam deſcripſit *P. Ribadeneira* et *Io. Petr. Maffeius*; vid. id. a *Seckend.* l. c. *El. Haſenmull.* Hiſt. ord. Ieſuit. Anatom. Soc. Ieſu, conſtitutiones Soc. Ieſu, et literas Apoſtolicas, *Phil. Frider. Hanii* Leben Ignatii Loiolae, Roſt. 1721. infinitosque pro ordine, et contra eum ſcripta vulgantes.

(113) Primi eius Profeſſores ex *Tubingenſi* Acad. adſciti, Rector primus *Mart. Pollichius, Mellerſtadius.* Vid. *Sennerti* Athenas Witteberg.

(114) Confer *Becmanni* memoranda Francof. Primus hic Rector *Conradus Wimpina, Lutheri* antagoniſta.

(115) Per linguarum ſtudium magnam ſtatim famam acquiſiuit.

(116) Fundauit hanc *Philippus*, vt nouiter ordinata Eccleſia ſeminarium haberet, in quo Euangelium pure doceretur. *Io. Ferrarius Montanus* primus fuit Rector. Vid. *Io. Iuſt. Paſtorium*, it. *Nigidium*, adde *Seckendorf.* l. II. p. 41.

(117) Rectorem primum habuit *Georg. Sabinum* inſignem Poëtam. Vid. *Hartknoch* in Pruſſ. deſcript. Adde *Seckend.* l. III. p. 512. *D. Dan. Heinr. Arnoldi* ausführliche und mit Urkunden verſehene Hiſtorie der Königsbergiſchen Univerſität, P. II. Regiom. 1746. ſeqq.

(118) *Io. Fridericus* iunior, Dux Sax. cum fratribus, parente *Io. Friderico* Electore defuncto, publice eam introduxit, primo Rectore *Io. Schrotero Vinar.* Med. Doct. Conf. *Adriani Beieri* Syllabum Rectorum et Profeſſorum Ienenſ.

(119) Profeſſores primi *Louanio et Ingolſtadio* acceſſiti fuerunt.

(120) A

(120) A *Comite de Vienna* condita. Vid. praefati *Alphonſi Matamori* de literatis Hiſp. viris.

(121) Cauſa Academiae huius inſtitutae fuit, vt iuuentus arceretur ab Academiis *Gallicanis*, haereſeos ſuſpectis, linguam tamen Gallicam itidem addiſceret. Rector primus fuit *Walrandus Hagonardus, praepoſitus S. Annae.*

(122) *Io. Sturmius* magnus illius fuit promotor.

(123) Hodienum ingeniorum optimorum feliciſſima parens; ad cuius inſtitutionem multum cooperatus fuit *Wilhelmus* Princeps *Auriacus.*

(124) Vid. *Meibomii* it. *Conringii* de Helm ſtadio et illius Acad. primordiis et incrementis; it. Hiſtoria feſti ſaecularis An. 1676. vbi multa ad illius hiſtoriam ſacientia occurrunt.

(125) Primus hic Rector fuit *Valentinus Erythraeus:* A. 1623. a *Ferdinando II* obtinuit priuilegia Doctores in Iure et Medicina creandi: demum a *Leopoldo Imp.* A. 1697. in Theologia.

(126) A R. *Friderico II.* inſtituta, et a *Chriſtiano IV.* reſtaurata, amoeno in loco ſita.

(127) Cui tamen vicina Acad. *Leidenſi* haud parum hactenus obſtuit.

(128) Epiſcopus hic erat *Nocerenſis* in *Italia*, praecipuorum Pontificum aliorumque Italiae Principum, it. aliorum virorum doctorum vitas ac icones magno ſtudio collegit, ſuique aeui geſta publicauit. Ob. Flor. 1552.

(129) *Francus* natione, Imp. *Maximiliani I.* archiater, vitas Caeſarum aliaque deſcripſit: Ob. 1529. Vid. *M. Ad.* vitas Germ. Philoſ. p. 71.

(130) Monachus initio *Franciſcanus Tubingenſis*, poſt Prof. *Baſil.* vir in *Ebraea* aliaque literatura excellens, ac Scripturarum interpres operoſus, ob. peſte 1552. Vid. *eund.* l. c. p. 143.

(131) Hiſtoriae ſui temporis circa religionis et Reipubl. negotia fidiſſimus conſignator, ſcripto item libello de 4. Monarchiis aliisque in linguam Lat. translatis nobilis autor, ſub vitae finem adeo memoria priuatus, vt nec filiarum nomen ſciuerit: Obiit lue epidemica A. 1556. *Argentorati.*

(132) *Matheſ.* Profeſſor in Academia *Francofurt.* praeter opera *Mathematica* Chronicon hiſtoricum a M. C. concinnare coepit, et iudicio atque expolitioni *Melanchthonis* ſubmiſit, qui ex ſcriptoribus claſſicis multa adiecit, atque in nouam quaſi formam redegit, ſub *Carionis* tamen nomine edidit. Ob. *Berolini* A. 1538 v. *I. C. Dommerichii* comment. de M. Io. Carionis chronico, *Erh. Ern. Hochi* diſquiſ. de chronici, quod extat ſub nomine Io. Carionis vera et genuina origine, Wolfenb. 1755.

(133) Secretarius hic *Florentinus* de Republ. Principe, aliisque diſſertationibus notus, non tam Principem, quam tyrannum inſtruit.

(134) Vulgo

(134) Vulgo hic Cammermeiſter dicebatur, *Bambergae* natus, *Noribergae* initio Scholae conſtituendae, poſt in Acad. *Tubingenſi* Profeſſioni dedit operam: poſtmodum *Lipſiam* vocatus nouiter ordinandae Academiae omne ſtudium impendit, *Melanchthonis* fidiſſimus ad mortem vſque amicus, inque plurimis magni negotii momentis adiutor: obiit *Lipſ.* 1574. Vid. *Ad.* l. c. p. 258.

(*) *Ioachimi* filius *Noriberg.* Reipubl. conſiliarius, *horas ſubciſiuas* concinnauit, in *Italia* aliquando non ſine vitae fuit periculo, *Inquiſitionis* vinculis irretitus, ex quibus eum Imp. et Dux Bauariae liberarunt. ob. 1624. aet. 87. *Io. Georg. Schelhorn* de vita et meritis Phil. Camerarii comment. Norimb. 1740.

(135) Hiſtoricus itidem nobilis *de rebus Italicis* ob. 1540.

(136) Deſcripſit *Belgii* ſuo tempore ſtatum.

(137) Libris *de regno Italiae, Republ. Ebraeorum*, aliisque pluribus pulcherrimi ingenii monumentis famigeratiſſimus ſcriptor.

(138) Huius vitam depinxit *Adami* inter Theol. Sup. Saec. p. 548. Theologus et Chronologus erat inſignis, ac initio Concionator aulicus *Croſſenſis*, poſt Paſtor *Freiſtadienſis* in *Sileſia*, ſcripto indice Chronologico nobilis. ob. 1584.

(139) *Oetingenſis*, Graecae literaturae peritiſſimus, ſcholae *Auguſtanae* Rector, ob. 1580. *Ad.* p. 304.

(140) *Theatro vitae humanae* vaſto labore conſarcinato magnam ſibi laudem parauit.

(141) Nobili in *Flandria* genere natus, in aula *Viennenſi* magna in celebritate vixit, legationeque ad *Solimannum*, et *Amaſiana* inclaruit, vtramque epiſtolis ſcriptis complexus. Ob. 1592.

(142) *Helmſtadienſis* ſtudio Hiſtorico doctiſſimis ſcriptis magnam tulit operam.

(*) *Philippi II. Hiſp.* Regis in *Belgio* Coſmographus ſaeculi ſui *Ptolomaeus* dictus, Theatro totius terrarum orbis inclaruit. Ob. 1598. *Antuerpiae.* Ad. p. 429.

(143) *Viennenſis* de migrationibus gentium, it. de Republ. Rom. aliisue ſcriptis magno ſtudio confectis, optime meritus. Ob. 1565. Conf. Ad. p. 240.

(144) Adiici *Hiſtoricis* his poſſent alii, ſed breuitatis gratia nomine tantum recenſendi: Io. Auentinus, Henr. Bebelius, Mich. Beutherus, Mart. Cruſius, Matth. Dreſſerus, Georgius Fabritius, Io. Leonclauius, Gerardus Mercator, Fr. Modius, Mich. Neander, B. Rhenanus, Gu. Xilander et alii, quorum vitas inter reliquos etiam *Adami* ſuis inſeruit.

(145) *Io. Capnionis* ſiue *Reuchlini* vitam exponit idem inter Philoſophos, p. 37. Fuit *Pforzheimenſis*, *Lutetiae* apud *Hier. Spartiata* didicit Graecas literas, quas *Baſileae* redux docere coepit, poſt *Tubingam* ſeceſſit, ac cum Duce *Eberhardo Romam* profectus fuit. Poſt reditum in aulam Caeſaream miſſus, a Iudaeo *Iebiel Loans Ebraeam* linguam comprehendit, ſeque dein perfectiorem ex informatione *Abdiae* Iudaei *Romae* in ſecunda

et

et tertia peregrinatione reddidit, vbi etiam ab *Argyropylo* maiores in *Graecis* fecit progreſſus. Grauiſſimum ipſi certamen fuit cum *Io. Pfefferkornio*, conuerſo Iudaeo, et *Academia Colonienſi*, de libris Iudaeorum, quos illi comburendos vrgebant, hic, exceptis, qui blaſphemi eſſent in Chriſtum, ſeruandos adſerebat. Lis illa grauiter inter vtramque partem, etiam coram Pontifice, acta, vix tandem ſopiri potuit. Vid. *Kortb.* H. E. p. 690. *Hotting.* H. E. Saec. XVI. Obiit *Reuchlinus*, non ſine guſtu purioris doctrinae, An. 1521. vel ſeq. Conf. *Paullini* Tomo II. zeitkürzende erbauliche Luſt. p. 744. ſeq.

(146) *Groeningenſis*, inſignis fuit Philoſophus et Prof. *Heidelbergenſis*; Vid. *Adam.* p. 13. Rectius, autem refertur ad ſaeculum praecedens, obiit quippe A. 1485. *Heidelbergae.*

(147) Huius ſuperiori ſaeculo celeberrimi viri in omni literaturae genere vitam plures ſcripſere. Vid. inter alios *Adami* p. 86. Patria *Roterodamenſis*, vel *Gudanus*: Vid. ab Almeloven in amoenitatibus Theol. Philolog. p. 38. *Baſileae*, et poſt *Friburgi*; iterumque vltimo *Baſileae* vixit, ibidemque An. 1536. obiit. *Lutheri* tandem hoſtis factus, acerbiora in eum ſcripta edidit, paribus redonatus. Vid. a *Seckend.* paſſim. *Sam. Knight* Leben Eraſmi von Rotterdam aus dem Engliſchen überſetzt von Theod. Arnold, Leipz. 1736. *de Burigni* vie d'Eraſme T. II. Pariſ. 1757.

(148) Natione hic *Hiſpanus*, ineunte ſaeculo literarum ſtudiis a ſe excellenter promotis inclaruit. Eius ſcripta iunctim prodierunt A. 1555.

(149) *Bergomenſis*, Ord. D. Auguſtini, floruit ſub *Lud. Sfortia*, *Mediolan.* Duce, nomenclaturae latinae autor.

(150) Inſigni hic eruditione purpuram Cardinalitiam meruit, Patricius alias *Venetus.* Ob. 1547.

(151) Tribus linguis potioribus hic praecipue inclaruit: Ob. *Lugduni* 1536.

(152) Orator excellens, ordinis Ieſuit. ac Prof. Rom. ob. 1585.

(153) Huius in antiquitate ac iure viri CL. ac Praeſidis Parlamenti fata exhibet *Thuanus* Hiſtor. libro 102. Periit quippe famigerabili illa liga Gallica furente A. 1591.

(154) Vterque inter humaniorum literarum reſtauratores celebrari meruit. *Aldus* ex eruditis *Venetiarum* typographis fuit; *Paulus* in *Ciceronem* commentatus. v. *Sam. Luther. Geret* diſſ. de Aldi Pii Manutii Romani vita meritiſque in rem litterariam, Vitemb. 1753.

(155) *Gallus* hic ſcriptis de Republ. methodo hiſtoriarum aliiſue libris celebris.

(156) Magnum eruditi orbis lumen, *exercitationibus* Anti-*Baronianis*, epiſtolis, aliiſque nobiliſſimi ingenii foetibus inſignis.

(157) Hic in *Franconia* natus, primus ab Imp. *Friderico IV.* lauream reportauit: Ob. A. 1508. *Adami* p. 29.

(158) *Ie-*

(158) *Ienenſis* Academiae excellens Profeſſor et Poëta extemporaneus, patria *Gothanus*, Ob. 1562. *Ad.* p. 234.
(159) *Helii* praenomen geſſit, docuitque *Erfurdiae*, *Noribergae* demum *Marpurgi*, vbi 1540. obiit, Poëta ab ipſis Muſis laureatus, *Adami* p. 105.
(160) Poëta et Hiſtoricus inſignis, deſertis prae inopia aliquandiu ſtudiis militem egit, demum Regiae *Scotiae Iacobo* praeceptor datus fuit Ob. 1582.
(161) *Melanchthonis* hic gener, Profeſſor *Regiomontanus*, poſt *Francofurtanus* extitit, obiitque 1560. *Adami* p. 223.
(162) Vir vndiquaquè doctiſſimus, vt et dicaciſſimus, Prof. *Tubing.* ore ſuo infrunito carcerem ſibi parauit, quem dum effugere laborat, dimittens ſe ex *Auracenſium* caſtro, ruptis funibus, ſaxis alliſus, miſera morte periit. A. 1590. *Ad.* p. 326. *Carl. Henr. Langii* vita Nicod. Friſchlini, Brunſu. 1727.
(163) Cognomine *Sched*, ciuis *Romanus*, Profeſſor *Heidelbergenſis* a *Ferdinando I.* Imp. laurea donatus, poſt varias peregrinationes obiit *Heidelbergae* 1602. *Adami* p. 446.
(164) *Thorunienſis Boruſſus*, noua ſyſtematis inuentione magnam nominis famam inuenit. Obiit 1543. *Ad* p. 526.
(165) *Philippus Aurelius Theophraſtus Paracelſus* in *Tigurina* ditione ſtudio Medico-Chymico ſe adplicuit, magnamque famam ſibi parauit, in aliquot errores prolapſus dicitur. Ob. 1541. *Saliſburgi* ſepultus.
(166) Medicus et Aſtrologus *Mediolan.* arcanorum naturae peritiſſimus, obiit Romae An. 1576. aet. 75. fame enectus ſpontanea, vt annum diemque propriae mortis a ſe praedictum attingeret.
(167) Muſarum hic ſui ſaeculi per *Germaniam* et *Italiam* decus, *Veronenſis*, A. 1558. obiit, *Cardanum* praecipuum habuit aduerſarium.
(168) Eques *Danus*, Conſiliarius Caeſaris et ſummus Mathematicus, cuius vitam exhibet *Witte* in memor. Philoſophorum. Opera eius iunctim edita: ob. 1601. v. *Philandri von der Weiſteritz* Lebensbeſchreibung Tycho von Brahe, Hafn. 1756.
(169) Reliquos viros ſaeculi ſuperioris ſummos vide apud *Adami* aliosue Biographos.

§. 4.

De *Iudaeis* lucro tantum captando intentis memoranda pauca occurrunt, vixeruntque apud eos Rab. *Abr. Sacbuz* autor *Iochaſin*, et R. *El. Leuita*, qui eruditione ſua famam apud eos meruit (r).

Turca-

Turcarum vero potentia longius proceſſit. *Baiazethes* quidem poſt varias Chriſtianis illatas
1512. clades tandem a *F. Selimo* (2), quod fratrem *Achmetem* ſucceſſorem ſibi conſtituerat, ope Medici fuit interemptus, huicque dein praemii loco caput praeciſum. Ille igitur necatis fratribus eorumque filiis non *Perſas* modo vicit, ſed et potentiſſima *Syriae* ac *Aegypti* regna, euerſo *Mam-*
1516. *meluccorum* imperio (3), et *Tomambeio*, vltimo eorum Rege coeſo, ſibi ſubdidit, tandem vero eodem illo loco, quo cum patre proelio fuerat congreſſus, occubuit (4) Cuius ſucceſſor *Soli-*
1520. *manhus* (5), magnam *Vngariae* partem ſubiugavit, *Belgradum* cepit, *Ludouicumque II.* Regem
1526 *Bohem.* et *Hung.* ad *Mohaz* occidit ; *Rhodum*
1527. etiam Inſulam Ordini Equitum eripuit; et *Cappadociam*, *Galatiam* atque *Armeniam* ſibi adſeruit; imo et facta per *Hungariam* impreſſione *Viennam*
1529. *Auſtriae* obſedit, ſed 80000. ſuorum amiſſis ſol-
1534. vit obſidionem; hinc *Tuniſium*, *Arabiam* feli-
ſq. cem, *Moldauiam* occupat, in *Hungaria Budam*, *Strigonium*, *Albam Regalem* capit, miſereque Regnum id adflixit, et ex Italia multa captiuorum
1565. millia abduxit; Inſulam porro *Chium* expugna-
ſeq. vit, *Maltam* fruſtra tentauit (6); bellis adeo felix infeliciſſimus pater, in proprium ſaeuiit ſanguinem, aliquotque ſuos filios miſera morte ne-
1567. cans, tandem in *Sigethenſi* obſidione expirauit (7).
1570. Succeſſor *Selimus II.* (8) *Venetis Cyprum* ademit, inſigni tamen ſtrage victus fuit ad *Naupactum*
1574. (9). *Amurathes* fratricida (10) *Hungaricum* bellum varia geſſit fortuna, *Iaurinumque* cepit,
et

et *Georgianorum* Regionem ſibi ſubiecit; *Perſico* 1594.
vero ſatis infelix fuit (11). *Mahummed III* 18. 1595.
fratres cum parente ſepeliuit, duosque poſthu-
mos mari merſit; bellum in *Hungaria*, capta 1596.
Agria, continuauit, *Iaurinum* amiſit, tandem 1598.
vero *Caniſio*, munitiſſimo propugnaculo expu- 1600.
gnato, Saeculum hoc clauſit (12).

(1) Iudaeorum XVI. hiſtoriam prolixius exponit *Hottingerus* in Hiſtor. Eccleſ. eiusd. ſaeculi. In *Portugallia* complurimi eorum ad recipiendam fidem Chriſti fuerunt coacti.

(2) Erat *Selimus Baiazethis* F. natu tertius, ſed prae reliquis animo magno praeditus, vnde ipſi Regnum ad ſe trahere fuit facillimum. Parricidia eius exhibet *Sagredo* Hiſtor. Ottomann. p. 86. ſeqq. de bello eius cum *Iſmaële R. Perſico* idem p. 90. ſeq. cum *Mammeluccis* p. 93. ſeq. *Aleppo et Damaſcum* ſibi ſubiecit, atque ita *Imperii Ottomannici* fines nimium dilatauit.

(3) De hac *Mammeluccorum* internecione et omnimoda ſubiugatione idem autor Venetus agit p. 95. ſeqq. *Cairus* et *Alexandria* in *Selimi* poteſtatem venit p. 97. Durauerat *Mammeluccorum* in *Aegypto* imperium per tria ſaecula.

(4) Prope vrbem *Ciorlu* obiit, vltionem diuinam ſentiens vbi peccauerat.

(5) Vnicus hic *Selimi* haeres fuit, ad magna natus, et albae quaſi gallinae filius.

(6) Eius geſta egregie exhibet multoties laudatus *Sagredo* p. 103-219.

(7) Nouercae quippe *Roxolanae*, *Selimum* filium ad thronum prouehere tentantis, inſidiis, *Muſtapha* primogenitus, *Giauror* et *Baiazethes* fratres, iuſſu patris *Solimanni* enecti fuerunt. Conf. eund. p. 221. ſeqq.

(8) *Selimi II.* geſta recenſet idem l. VII. p. 221. ſeqq.

(9) Victoriam illam ad *Echinadas* illuſtrem peculiari oratione depraedicauit *Io. Baptiſta Raſarius*, deſcripſit vero praeter complures alios *Sagredo* p. 251. ſeqq. adde autorem der See-helden. in vita *Ioannis de Auſtria*.

(10) Quinque hic fratres eodem die, quo imperium auſpicabatur, neci dabat.

(11) Iucunda recenſione vitam ac geſta eius expoſuit *Sagredo* p. 266-304.

(12) Hunc Turcarum Imperatorem lib. IX. hiſtoriae ſuae recenſuit idem nominatus autor, geſtaque illius egregiis narrationibus illuſtrauit. Fratricidia ſe praeſente fieri voluit, ne fucus interueniret, octodecim quippe vel 19. fratres mari merſos conſpexit. Vid. p. 306.

SAECVLVM XVII.

§. 1.

Noſtro hoc, quod tumulo ſuo proximum eſt, Saeculo remotiſſimae etiam et plus quam barbarae aliquot gentes in extimis Orientis et Occidentis locis et Inſulis, praecipue in *India Orientali* (1), *Inſulis Philippinis*, *Moluccis*, *Zeilan*, *Summatra*, aliisque adiacentibus; item in *America Septentrionali* pariter et *Meridionali* (2) CHRISTI cognitione fuerunt imbutae, idque miniſterio *Hiſpanorum*, *Anglorum*, *Belgarum* (3), *Gallorum* (4) aliorumque populorum ſatis feliciter actum, ita quidem, vt in *Iaponia* Inſula incolae magno numero exorta hac luce colluſtrarentur (5).

(1) Magnum illud Aſiae imperium *Sinenſe*, in quo ſuperiori equidem ſeculo per *Franciſcum Xauerium* tentata nominis Ieſu praedicatio, at et inhibita fuerat, hoc ad ſuum terminum properante, etiam ſub *Tartarico* Regimine, cui hodie paret, fidei Chriſtianae libertatem indulget, impetrato eam in rem An. 1692. decreto ampliſſimo, magnam hic operam nauantibus Ieſuitis, ſtudiis Mathematicis aliisue famam et ſecuritatem ſibi ac Chriſtiano nomini parantibus, quos inter merito laudandi *Matth. Riccius*, *Io. Adam Schall* ac *Ferdinandus Verbieſt*, cum aliis. Quamquam id extra dubium, eos non vnum ſed plures ritus gentilitios inter nouellos Chriſtianos indulgere, imo ipſosmet ſe illis adplicare. Vid. *Petri Ioſ. Aurelian.* hiſtoria duorum victorioſorum Tartarorum, qui Chinam ſubiugarunt, it. foeminae cuiusdam Chinenſis hiſtoriam, *Phil. Coupletii Ieſ.* nec non *nouiſſima Sinica*, hiſtoriam noſtri temporis illuſtrantia.

(2) Confer *nauigationes in vtramque Indiam*, quibus fidei Chriſtianae incrementa in illis oris ſimul exponuntur.

(3) *Belgas* equidem, tanquam diuitiis magis, quam animabus lucrandis intentos increpat *P. Tachardus* in itinere Siamenſi, defendit tamen eorum in augendo Chriſtianiſmo apud exteros etiam ſtudium celeberr. *Ludolf.* in append. ad hiſt. Aethiop.

(4) *Galli* certe per Miſſionarios ſuos in Oriente innumeram paganorum multitudinem ſe Chriſto addixiſſe gloriantur, quod in *Siamenſi*

Siamenſi regno pariter tentarunt, ſed cum ibidem ſub ſpecioſo religionis nomine maiora alia auderent, in vanum conatus ille abiit, omnisque chriſtianae religionis cultus fuit inhibitus.

(5) De inſigni illa et prorſus mirabili *Iaponenſium* ad Chriſtianiſmum ſuperiore ſaeculo per *Franc. Xauerium* coepta conuerſione, Ieſuitarum literae memoriae multa prodiderunt. In *Abeſſinorum* Regno Doctores Pontificii Papalem quoque autoritatem ſtatuminare fuerant conati, ſucceſſu tamen haud diuturno. Vid. *Ludolf.* l. III. hiſt. Aeth. *Kortholt* Hiſt. Eccleſ. p. 895. Vlterius An. 1609. Imp. *Rudolphus II.* in Comitiis Pragenſibus *Bohemis* per literas Maieſtaticas religionis libertatem indulſit, qua vnitae quoque prouinciae *Morauia* et *Sileſia* gaudere incipiebant, quod idem An. 1608. in *Matthiae* coronatione *Hungaris* quoque fuerat conceſſum, poſtmodum a ſucceſſoribus *Ferdinando II, III.* et *Leopoldo* confirmatum.

Sunt itaque hodie in vniuerſo orbe diſperſi, qui Chriſtianiſmum, Iudaiſmum, Muhammediſmum et gentiliſmum profitentur. Gentilium, Deorum cultui etiamnum deditorum in florentiſſimis *Aſiae* regionibus innumerus eſt numerus, *India* quippe, *China*, *Iapan*, praeter *Tartariam Aſiaticam* et *Europaeam*, aliasque ad Auſtrum et Boream iacentes, imo nondum ſatis cognitas regiones, nec minus magna et *Africae* et *Americae* portio Deaſtros diuerſiſſimos etiamnum colunt. *Mahummediſmo* Turcici, Perſici, Mogolici, aliorumue *Africae* quorund. regnorum inquilini praecipui adhaerent, licet pro interpretum *Alcorani* varietate ſectae inter ipſos quoque varient. *Iudaiſmo* diſperſi inter Chriſtianos et Turcas hinc inde *Iudaei* firmiter etiamnum dediti ſunt; Chriſtianiſmo denique addicti per omnes orbis partes, quamquam non eadem fidei profeſſione, ſunt diſſeminati. *Orientalis* quippe Eccleſia aliter in compluribus ſentit articulis, quam *Occidentalis*, et vtraque in diuerſiſſimas ſectas ſecedit. Illa quippe purior *Graecorum* eſt, (iuxta *Frid. Spanhemium* in controuerſiis de religione ſelectioribus) vel *ſtricte dictorum*, eorumque vel *genuinorum*, priſcis ſuae Eccleſiae traditis adhaerentium, vel nouitiorum, aliquantum propius ad *Latinorum* ſacra accedentium: vel *Melchitarum* et *Syrorum*, quibus *Georgiani et Iberes* accenſendi; vel impurior *Neſtorianorum*, *Chaldaeorum*, *Chriſtianorum S. Thomae*, *Monophyſitarum*, *horumque vel Iacobitarum*, *Coptitarum*, *Abaſſenorum*, *Armeniorum*, *Maronitarum Chamſorum ſiue Solarium ac* denique *Ruſſorum* ſiue *Moſcouitarum*. De *Graecis* videſis *Hoornbekii* ſummam Controuerſ. l. XI. *Occidentalis* Eccleſiae non vniformis quoque profeſſionis facies adparet, dum alia Pontificiorum ſiue Romano-Catholicorum, alia Lutheranorum, Reformatorum ſiue Caluinianorum, et ab his non parum diſtantium Socinianorum, Arminianorum et complurium aliarum ſectarum ſeſe exhibeat. De his, ſi non omnibus, complutibus tamen eorumque

 fidei

fidei principiis et ceremoniis videri poteſt *Alex.* **Roß in unterſchiedlichen Gottesdienſten der Welt.**

§. 2.

Sed non vbique perpetua ea fuit felicitas:
cum enim nationes quaedam vi et ſuppliciis ex-
quiſitiſſimis ad fidem raperent homines, inſatia-
bilique auri cupidine magis, quam hominum
conuerſione flagrarent (1), aliae regiones ſub re-
ligionis praetextu aucuparentur (2), multa certe
hominum millia bonam de *Chriſtianiſmo* conce-
ptam opinionem abiecerunt, et ad idola potius
redire, ipſiſſimamque mortem ſubire, quam ad
ſaeuorum adeo et auri ſitientium ſacra accedere
maluerunt (3). Sed haec apud exteros. Ne-
que in Europa grauiſſimas calamitates immittere
Eccleſiae ſuperſedit Satanas, per fidele ſibi mini-
ſterium *Ieſuitas*, qui execranda ſua doctrina de
Romani Pontificis ſumma in vncta etiam capita
poteſtate aliquot Regibus intentarunt et matura-
1605. runt excidium (4); ſiquidem *Iacobum*, *M. Bri-
tanniae* Regem, ſubiecto nitrato puluere cum
vniuerſa familia et regni proceribus euertere vo-
1589. luerunt (5). *Henricum III. et IV. Galliae* Reges
1610. per ſubornatos clanculum ſicarios interfecerunt
1606. (6), *Venetam* Remp. turbarunt (7), hinc *Galliae
et Venetorum* ditionibus exuti, et poſt aliquod
demum tempus recepti fuerunt (8). Quid de
noſtra dicam *Germania?* Eam certe ex tran-
quilliſſimo in miſerrimum coniecerunt ſtatum.
1619. *Bohemis* initio religionis libertas ab aliquot Regi-
bus conceſſa et ſancte ſeruata fuit erepta (9),
quo faces ad ferale bellum Bohemicum ſubmini-
ſtratae,

ſtratae, dum Regi iam coronato *Ferdinando II.* 1610.
oppoſitus *Fridericus V.* Elector *Palatinus*, ſed
breui poſt et regno iſthoc, ditionibusque et ho-
noribus auitis fuit eiectus (10); dein et ceteris
in *Germania* Proteſtantibus eadem libertas ſcri-
ptis (11), et armis adimi voluit, quod in Imperii
vrbe *Donawerda* per *Maximilianum Bauariae* Du- 1607.
cem intercepta (12), *Aquisgrano* (13), aliisque 1614.
factum, iamque per edictum illud Caeſareum de
reſtituendis bonis Eccleſiaſticis, ab Euangelicis 1627.
ſuis in territoriis legitime occupatis, cum omni-
bus fructibus perceptis et percipiendis, iugulum
Euangelicorum omnium petebatur (14), cum
ſancito prius inter ſe *Lipſiae* foedere ad defenſio- 1630.
nem propriam hi tandem verterentur, et poſt
ſaeuiſſimam *Magdeburgi* euerſionem (15), Regi
Suecorum *Guſtauo Adolpho* (16), religionis et li-
bertatis publicae vindici ſociati humeris ſuis im-
minens periculum amouerent (17), vſque de- 1648.
mum varias poſt clades vtrinque datas et acce-
ptas pax calidis votis expetita reſtitueretur (18).
Neque ſufficiebat hoc, ſed denuo auream hanc
pacem ſaepius Furiae infernales labefactare ten-
tarunt. Quid in *Hungaria* ad Lutheranos extur-
bandos contulerint, tot loquuntur extorres (19)?
quid in *Sileſia* et *Morauia*, omnibus, proh! con-
ſtat (20) *Neoburgenſem* porro Principem cum 1614.
Ducatu *Iuliacenſi*, pluresque Magnates alios, ho-
noris et opum largiorum ſtimulo in ſuas traxe-
runt partes (21). Quemadmodum contra *Re-
formato - Caluiniani* Electorem *Brandenb. Ioachi-
mum Erneſtum* ſeduxerunt (22), vnde *Lutheranis*

non aeque ſemper propitii fuerunt Superi in *Mar-*
1606. *chia, Pomerania*, alibique. Iidem porro in *Haſ-*
ſia (23) pedem fixerunt, et non ſine tumultu fuerunt recepti, atque hi ſpecioſo denique, ſed deteſtando maxime pacis et *Syncretiſmi* (24) nomine puriorem doctrinam conuellere, opera *Davidis Paraei, Melleti, Io. Duraei,* vniuerſam fere Europam percurrentis, aliorumue, fuerunt adniſi. Quemadmodum autem ex duriſſimis *Ieſuitarum* perſecutionibus feliciter ſemper, Deo ſit gloria! eluctata fuit Eccleſia orthodoxa, ita nobis firmiter perſuaſum habemus, eandem contra clandeſtinas quorumcunque inſidiantium molitiones deinceps quoque iri conſeruatum (25).

Porro *haereſes* ſequentes *hoc Saeculo* in Eccleſia propullularunt. Circa finem antecedentis et huius initium diſſeminauit monſtroſas opiniones *Valentinus Weigelius* (26), paſtor *Tſchopenſis*, ex Comitatu Mansfeld, qui cum Anabaptiſtis Scripturae vim extenuauit, eam literam adpellando mortuam, peccatum originale deſtruxit, infantes fidem a natura habere adſeruit, miniſterii efficaciam, Sacramenta, CHRISTI in S. Euchariſtia praeſentiam negauit, λόγον Patre fecit inferiorem, coniugium honeſtam vocauit ſcortationem, compluraque alia docuit, commiſeratione potius, quam refutatione digna. Sectatores eius *Weigeliani* dicti, a quibus haud procul abfuere *Stife-*
1604. *liani* et *Methiſtae :* Illi ab *Eſaia Stifelio* (27) Thuringo nuncupati, in Deo triplicem ſtatuerunt eſſentiam, quam diuinitatem angelis quoque et hominibus concreatam dixerunt, pluraque

que inſulſa alia effutierunt, hi ab *Ezechiele Meth* (28) nomen fuerunt ſortiti, qui *Michaëlem* ſe, et viuum Dei verbum delirauit, ſcriptum vero reiecit, atque ex haereſibus antiquis nouam conſarcinauit. Vterque proin carceri mancipatus, *Chiliaſtae* (29) porro hoc tempore ſurrexerunt, *Chriſto* ante huius mundi interitum mille annorum imperium tribuentes: *Praeadamitarum* (30) quoque ſententiam erroneam induxit *Iſaacus Pererius*, mundi creationem a *Moſe* deſcriptam impugnans. Magnus porro *Anabaptiſtarum* (31) et *Enthuſiaſtarum* (32), quorum quidam *Quakeri* ſiue *Tremulantes* (33), alicubi vocantur, nec non *Socinianorum*, ſiue *Photinianorum et Arianorum* nouorum in *Belgio*, *Anglia*, *Polonia*, *Pruſſia*, *Tranſſyluania* et alibi numerus (34). *Anabaptiſtis* accenſemus fratres *Roſen-Creuzios* (37), ſummam aliquam perfectionem, abſurdaque plura alia fingentes. Ceterum et *ſchiſmata* quaedam inter orthodoxos excitata; vtpote inter *Tubingenſes* et *Gieſſenſes* (38) Theologos, de *Chriſti* humanitate, cum illi in infimo exinanitionis ſtatu *Chriſtum* terram ſimul et coelum gubernaſſe adſererent, hi negarent, quibus dein aliae acceſſerunt Academiae. *Eilh. Lubinus* (37), *Roſtochienſis* Prof. male de mali peccatique principio philoſophatus eſt; *Helmſtadienſes* partim de fructu reſurrectionis CHRISTI, autore *Henrico Boëtio* (38), partim de Bonorum Operum neceſſitate, *Conr. Horneio* duce (39), partim denique de variis aliis articulis cum *Georgio Calixto*, aegre ſenſiſſe accuſabantur (40). *Io. Latermannus* (41) in

(92) *Plauienſis*, Profeſſor *Witteberg.* Crypto-Caluinianus, demum Prof. et Sup. *Bremenſis*, atque ita aperte reformatus, ob. 1604. Scripta eius lege apud *Witt.* in Diario.

(93) *Marchicus* hic, *Germ.* Birnbaum dictus, Prof. initio *Francofurtanus*, poſt paſtor *Brandenburgenſis*, *Cuſtrinenſis*, inde Superintendens, et aulae Concionator *Dresdenſis*, porro Paſtor et Sup. *Witteberg.* vbi cum Crypto-Caluinianis exorciſmum inter alia abrogauit.

(94) *Lotharingus*, Conc. *Rhotomagenſis*, Commentarium edidit in Geneſin, Pſalterium, Eſaiam et N. T. tandem ſtrangulatus An. 1572. *Ad* p. 23.

(95) *Heduus*, iuris initio ſtudio, *Geneuae* autem *Theologiae* litauit, *Caluinoque* ibidem in officio ſucceſſit: ob. An. 1605. aetat. 87. Conf. *Ad.* p. 202.

(96) *Pleſſiaci* Dominus, *Gallus* nobilis et pereruditus, praefectus *Salmurienſis*, myſterio iniquitatis, de veritate religionis Chriſtianae, aliisque ſcriptis illuſtris, ob. 1623. v. Hiſtoire de la Vie de Philippes de Mornay, Leid. 1747.

(97) *Mompelgardenſis*, Paſtor et Profeſſor *Aurelianenſis* in *Gallia*, inde *Neoſtadii*, tandem *Heidelbergae* vixit, et obiit An. 1602. *Ad.* p. 700.

(98) *Vratislanienſis*, Paſtor *Neoſtadienſis*, inſignis *Caluinianus*, de quo *Oſiander:* eum multum eloquentiae, parum ſapientiae habuiſſe, ob. 1583. *Ad.* p. 523.

(99) Theologus *Gallus*, iuris ſtudio relicto *Theologiae* ſe adplicuit, Doctor initio *Geneuenſis*, poſt *Lugduuenſis* in Belgio, hinc *Gaudauenſis*: demum in regnum *Nauarrenum* conceſſit, ibique Academiam *Orthesianam* illuſtrauit: ob. 1596. *Ad.* p. 177.

(100) *Sileſius*, Theolog. Prof. *Baſileae* ſcriptis variis cognitus, ob. 1610. *Adami* p. 805.

(101) *Ferrarienſis* patre *Iudaeo* natus, *Ebraeae* linguae peritiſſimus, relicta *Italia* in *Germaniam* venit, initio *Argentorati* commoratus, inde in *Angliam* traiecit, poſt mortem autem R. *Eduardi Hornbaci*, poſt *Heidelbergae* docuit. Deceſſit *Sedani* An 1580. Ad. p. 142.

(102) Gallus nobilis Eccleſiaſtes initio *Schornauienſis*, poſt *Neoſtad. Heidelberg.* demum Theologus *Lugdunenſis*, multis ſcriptis inclaruit. Ob. 1602 *Ad.* p 192.

(103) Nobili in *Gallia* genere natus, adhuc iuuenis in Paſtorum numerum adſcitus, non ſine periculo vixit *Lutetiae*, poſt *Aureliis*, vbi multis interfuit Eccleſiae *Gallicanae* Synodis. *Geneuae* obiit An. 1591. *Adami* p. 155.

(104) Inter ſuos et hic magni fuit nominis, de quo *Adami* paſſim. Fundator *Capuccinorum* hic Pontificius adhuc fuiſſe ſcribitur, eius poſt apoſtaſia *Capuccinis* magnam peperit inuidiam, vt parum abfuerit, quin Pontifex totum ordinem abrogaret. Vid. *Vacillaſ.* T IV. hiſt. reuolut.

(105) *Poloni* huius vitam exhibet *idem* p. 19. ſeq.

(106) *Fran-*

(106) *Francoſtein Bohemus*, initio Paſtor *Schlottenbacenſis*, deinde paedagogii *Heidelberg.* collega, demum alibi Paſtor, vltimo Profeſſor Heidelb. ob. 1622.
(107) Vt *Benedictus* Aretius, *Bernenſis*, in patria Theologus ob. 1524. *Ad.* p. 467. *Rudolph. Gualterius Tigurinus* patriae itidem Eccleſiae paſtor, ob. 1586. *Ad* p. 592. *Petrus Boquinus* Gallus, ob. 1582. *Hier. Zanchius* Italus 1590. *Guil. Wittakerus* (1595.) de quibus *Adami* parte II. vitarum illuſtrium Theolog. prolixius.
(108) Magnus Eccleſiae Rom. defenſor, *Canon. Ingolſtad.* ob. 1543. cui tale Epicedium a quopiam ſcriptum:

Multa vorans, et multa bibens, et peſſima dicens:
Eccius hac poſuit putre cadauer humo.

Vid. a *Seckend.* paſſim.
(109) *Norinberg.* Canonicus *Moguntinus et Vratislau.* Ducis Saxon. *Georgii* Conſiliarius Eccleſiaſticus, obiit *Vratislaniae* An. 1552.
(110) De quibus et aliis videſis *Micraelii* H. E. alioſue. *Gregorius* ille a *P. Clement. VIII. Doctor Doctorum* adpellatus fuit.
(111) Plurima de *Ieſuitis* vide apud *Seckend.* l. III. Sect. 21. ſq. 84. it. *Schluſſelburg.* et mille alios.
(112) *Ignatii Loiolae* Ordinis autoris vitam deſcripſit *P. Ribadeneira* et *Io. Petr. Maffeius*; vid. id. a *Seckend.* l. c. *El. Haſenmull*, Hiſt. ord. Ieſuit. Anatom. Soc. Ieſu, conſtitutiones Soc. Ieſu, et literas Apoſtolicas, *Phil. Frider. Hanii* Leben Ignatii Loiolae, Roſt. 1721. infinitosque pro ordine, et contra eum ſcripta vulgantes.
(113) Primi eius Profeſſores ex *Tubingenſi* Acad. adſciti, Rector primus *Mart. Pollichius, Mellerſtadius.* Vid. *Sennerti* Athenas Witteberg.
(114) Confer *Becmanni* memoranda Francof. Primus hic Rector *Conradus Wimpina, Lutheri* antagoniſta.
(115) Per linguarum ſtudium magnam ſtatim famam acquiſiuit.
(116) Fundauit hanc *Philippus*, vt nouiter ordinata Eccleſia ſeminarium haberet, in quo Euangelium pure doceretur. *Io. Ferrarius Montanus* primus fuit Rector. Vid. *Io. Inſt. Paſtorium*, it. *Nigidium*, adde *Seckendorf.* l. II. p. 41.
(117) Rectorem primum habuit *Georg. Sabinum* inſignem Poëtam. Vid. *Hartknoch* in Pruſſ. deſcript. Adde *Seckend.* l. III. p. 512. *D. Dan. Henr. Arnoldi* ausführliche und mit Urkunden verſehene Hiſtorie der Königsbergiſchen Univerſität, P. II. Regiom. 1746. ſeqq.
(118) *Io. Fridericus* iunior, Dux Sax. cum fratribus, parente *Io. Friderico* Electore defuncto, publice eam introduxit, primo Rectore *Io. Schrotero Vinar.* Med. Doct. Conf. *Adriani Beieri* Syllabum Rectorum et Profeſſorum Ienenſ.
(119) Profeſſores primi *Lonanio et Ingolſtadio* accerſiti fuerunt.

(120) A

(120) A *Comite de Vienna* condita. Vid. praefati *Alphonſi Matamori* de literatis Hiſp. vitis.

(121) Cauſa Academiae huius inſtitutae fuit, vt iuuentus arceretur ab Academiis *Gallicanis*, haereſeos ſuſpectis, linguam tamen Gallicam itidem addiſceret Rector primus fuit *Walrandus Hugonardus, praepoſitus S. Annae*.

(122) *Io. Sturmius* magnus illius fuit promotor.

(123) Hodienum ingeniorum optimorum feliciſſima patens; ad cuius inſtitutionem multum cooperatus fuit *Wilhelmus* Princeps *Auriacus*.

(124) Vid. *Meibomii* it. *Conringii* de Helmſtadio et illius Acad. primordiis et incrementis; it. Hiſtoria feſti ſaecularis An. 1676. vbi multa ad illius hiſtoriam ſcientia occurrunt.

(125) Primus hic Rector fuit *Valentinus Erythraeus*: A. 1623. a *Ferdinando II* obtinuit priuilegia Doctores in Iure et Medicina creandi: demum a *Leopoldo Imp.* A. 1697. in Theologia.

(126) A R. *Friderico II.* inſtituta, et a *Chriſtiano IV.* reſtaurata, amoeno in loco ſita.

(127) Cui tamen vicina Acad. *Leidenſi* haud parum hactenus obſtuit.

(128) Epiſcopus hic erat *Nocerenſis* in *Italia*, praecipuorum Pontificum aliorumque Italiae Principum, it. aliorum virorum doctorum vitas ac icones magno ſtudio collegit, ſuique aeui geſta publicauit. Ob. Flor. 1552.

(129) *Francus* natione, Imp. *Maximiliani I.* archiater, vitas Caeſarum aliaque deſcripſit: Ob. 1529. Vid. *M. Ad.* vitas Germ. Philoſ. p. 71.

(130) Monachus initio *Franciſcanus Tubingenſis*, poſt Prof. *Baſil.* vir in *Ebraea* aliaque literatura excellens, ac Scripturarum interpres operoſus, ob. peſte 1552. Vid. *eund.* l. c. p. 143.

(131) Hiſtoriae ſui temporis circa religionis et Reipubl. negotia fidiſſimus conſignator, ſcripto item libello de 4. Monarchiis aliisque in linguam Lat. translatis nobilis autor, ſub vitae finem adeo memoria priuatus, vt nec filiarum nomen ſciuerit: Obiit lue epidemica A. 1556. *Argentorati*.

(132) *Matheſ.* Profeſſor in Academia *Francofurt.* praeter opera *Mathematica* Chronicon hiſtoricum a M. C. concinnare coepit, et iudicio atque expolitioni *Melanchthonis* ſubmiſit, qui ex ſcriptoribus claſſicis multa adiecit, atque in nouam quaſi formam redegit, ſub *Carionis* tamen nomine edidit. Ob. *Berolini* A. 1538 v. *I. C. Dommerichii* comment. de M. Io. Carionis chronico, *Erh. Ern. Hochi* diſquiſ. de chronici, quod extat ſub nomine Io. Carionis vera et genuina origine, Wolfenb. 1755.

(133) Secretarius hic *Florentinus* de Republ. Principe, aliisque diſſertationibus notus, non tam Principem, quam tyrannum inſtruit.

(134) Vulgo

(134) Vulgo hic **Cammermeiſter** dicebatur, *Bambergae* natus, *Noribergae* initio Scholae conſtituendae, poſt in Acad. *Tubingenſi* Profeſſioni dedit operam: poſtmodum *Lipſiam* vocatus nouiter ordinandae Academiae omne ſtudium impendit, *Melanchthonis* fidiſſimus ad mortem vſque amicus, inque plurimis magni negotii momentis adiutor: obiit *Lipſ.* 1574. Vid. *Ad.* l. c. p. 258.

(*) *Ioachimi* filius *Noriberg.* Reipubl. conſiliarius, *horas ſubſiſiuas* concinnauit, in *Italia* aliquando non ſine vitae fuit periculo, *Inquiſitionis* vinculis irretitus, ex quibus eum Imp. et Dux Bauariae liberarunt. ob. 1624. aet. 87. *Io. Georg. Schelhorn* de vita et meritis Phil Camerarii comment. Norimb. 1740.

(135) Hiſtoricus itidem nobilis *de rebus Italicis* ob. 1540.

(136) Deſcripſit *Belgii* ſuo tempore ſtatum.

(137) Libris *de regno Italiae, Republ. Ebraeorum,* aliisque pluribus pulcherrimi ingenii monumentis famigeratiſſimus ſcriptor.

(138) Huius vitam depinxit *Adami* inter Theol. Sup. Saec. p. 548. Theologus et Chronologus erat inſignis, ac initio Concionator aulicus *Croſſenſis*, poſt Paſtor *Freiſtadienſis* in *Sileſia*, ſcripto indice Chronologico nobilis. ob. 1584.

(139) *Oetingenſis*, Graecae literaturae peritiſſimus, ſcholae *Auguſtanae* Rector, ob. 1580. *Ad.* p. 304.

(140) *Theatro vitae humanae* vaſto labore conſarcinato magnam ſibi laudem parauit.

(141) Nobili in *Flandria* genere natus, in aula *Viennenſi* magna in celebritate vixit, legationeque ad *Solimannum*, et *Amaſiana* inclaruit, vtramque epiſtolis ſcriptis complexus. Ob. 1592.

(142) *Helmſtadienſis* ſtudio Hiſtorico doctiſſimis ſcriptis magnam tulit operam.

(*) *Philippi II. Hiſp.* Regis in *Belgio* Coſmographus ſaeculi ſui *Ptolomaeus* dictus, Theatro totius terrarum orbis inclaruit. Ob. 1598. *Antuerpiae.* *Ad.* p. 429.

(143) *Viennenſis* de migrationibus gentium, it. de Republ. Rom. aliisue ſcriptis magno ſtudio confectis, optime meritus. Ob. 1565. Conf. *Ad.* p. 240.

(144) Adiici *Hiſtoricis* his poſſent alii, ſed breuitatis gratia nomine tantum recenſendi: Io. Auentinus, Henr. Bebelius, Mich. Beutherus, Mart. Cruſius, Matth. Dreſſerus, Georgius Fabritius, Io. Leonclauius, Gerardus Mercator, Fr. Modius, Mich. Neander, B. Rhenanus, Gu. Xilander et alii, quorum vitas inter reliquos etiam *Adami* ſuis inſeruit.

(145) *Io. Capnionis* ſiue *Reuchlini* vitam exponit idem inter Philoſophos, p. 37. Fuit *Pforzheimenſis*, *Lutetiae* apud *Hier. Spartiata* didicit Graecas literas, quas *Baſileae* redux docere coepit, poſt *Tubingam* ſeceſſit, ac cum Duce *Eberhardo Romam* profectus fuit. Poſt reditum in aulam Caeſaream miſſus, a Iudaeo *Iehiel Loans Ebraeam* linguam comprehendit, ſeque dein perfectiorem ex informatione *Abdiae* Iudaei *Romae* in ſecunda

et tertia peregrinatione reddidit, vbi etiam ab *Argyropylo* maiores in *Graecis* fecit progreſſus. Grauiſſimum ipſi certamen fuit cum *Io. Pfefferkornio*, conuerſo Iudaeo, et *Academia Colonienſi*, de libris Iudaeorum, quos illi comburendos vrgebant, hic, exceptis, qui blaſphemi eſſent in Chriſtum, ſeruandos adſerebat. Lis illa grauiter inter vtramque partem, etiam coram Pontifice, acta, vix tandem ſopiri potuit. Vid. *Korth*. H. E. p. 690. *Hotting*. H. E. Saec. XVI. Obiit *Reuchlinus*, non ſine guſtu purioris doctrinae, An. 1521. vel ſeq. Conf. *Paullini* Tomo II, zeitkürzende erbauliche Luſt. p. 744. ſeq.

(146) *Groeningenſis*, inſignis fuit Philoſophus et Prof. *Heidelbergenſis*; Vid. *Adam*. p. 13. Rectius autem refertur ad ſaeculum praecedens, obiit quippe A. 1485. *Heidelbergae*.

(147) Huius ſuperiori ſaeculo celeberrimi viri in omni literaturae genere vitam plures ſcripſere. Vid. inter alios *Adami* p. 86. Patria *Roterodamenſis*, vel *Guadanus*: Vid. *ab* Almelonen in amoenitatibus Theol. Philolog. p. 38. *Baſileae*, et poſt *Friburgi*; iterumque vltimo *Baſileae* vixit, ibidemque An. 1536. obiit. *Lutheri* tandem hoſtis factus, acerbiora in eum ſcripta edidit, paribus redonatus. Vid. a *Seckend*. paſſim. *Sam. Knight* Leben Eraſmi von Rotterdam aus dem Engliſchen überſetzt von Theod. Arnold, Leipz. 1736. *de Burigni* vie d' Eraſme T. II. Pariſ. 1757.

(148) Natione hic *Hiſpanus*, ineunte ſaeculo literarum ſtudiis a ſe excellenter promotis inclaruit. Eius ſcripta iunctim prodierunt A. 1555.

(149) *Bergomenſis*, Ord. D. Auguſtini, floruit ſub *Lud. Sfortia*, *Mediolan*. Duce, nomenclaturae latinae autor.

(150) Inſigni hic eruditione purpuram Cardinalitiam meruit, Patricius alias *Venetus*. Ob. 1547.

(151) Tribus linguis potioribus hic praecipue inclaruit: Ob. *Lugduni* 1536.

(152) Orator excellens, ordinis Ieſuit. ac Prof. Rom. ob. 1585.

(153) Huius in antiquitate ac iure viri CL. ac Praeſidis Parlamenti fata exhibet *Thuanus* Hiſtor. libro 102. Periit quippe famigerabili illa liga Gallica furente A. 1591.

(154) Vterque inter humaniorum literarum reſtauratores celebrari meruit. *Aldus* ex eruditis *Venetiarum* typographis fuit; *Paulus* in *Ciceronem* commentatus. v. *Sam. Luther. Geret* diſſ. de Aldi Pii Manutii Romani vita meritisque in rem litterariam, Vitemb. 1753.

(155) *Gallus* hic ſcriptis de Republ. methodo hiſtoriarum aliisue libris celebris.

(156) Magnum eruditi orbis lumen, *exercitationibus Anti-Baronianis*, epiſtolis, aliisque nobiliſſimi ingenii foetibus inſignis.

(157) Hic in *Franconia* natus, primus ab Imp. *Friderico IV*. lauream reportauit: Ob. A. 1508. *Adami* p. 29.

(158) *Io-*

(158) *Ienenſis* Academiae excellens Profeſſor et Poëta extemporaneus, patria *Gothanus*, Ob. 1562. *Ad.* p. 234.
(159) *Helii* praenomen geſſit, docuitque *Erfurdiae*, *Noribergae* demum *Marpurgi*, vbi 1540. obiit, Poëta ab ipſis Muſis laureatus, *Adami* p. 105.
(160) Poëta et Hiſtoricus inſignis, deſertis prae inopia aliquandiu ſtudiis militem egit, demum Regiae *Scotiae Iacobo* praeceptor datus fuit Ob. 1582.
(161) *Melanchthonis* hic gener, Profeſſor *Regiomontanus*, poſt *Francofurtanus* extitit, obiitque 1560. *Adami* p. 223.
(162) Vir vndiquaquè doctiſſimus, vt et dicaciſſimus, Prof. *Tubing.* ore ſuo intruuito carcerem ſibi paranit, quem dum effugere laborat, dimittens ſe ex *Auracenſium* caſtro, ruptis funibus, ſaxis alliſus, miſera morte periit. A. 1590. *Ad.* p. 326. *Carl. Henr. Langii* vita Nicod. Friſchlini, Brunſu. 1727.
(163) Cognomine *Sched*, ciuis *Romanus*, Profeſſor *Heidelbergenſis* a *Ferdinando I.* Imp. laurea donatus, poſt varias peregrinationes obiit *Heidelbergae* 1602. *Adami* p. 446.
(164) *Thorunienſis Boruſſus*, noua ſyſtematis inuentione magnam nominis famam inuenit. Obiit 1543. *Ad* p. 526.
(165) *Philippus Aurelius Theophraſtus Paracelſus* in *Tigurina* ditione ſtudio Medico-Chymico ſe adplicuit, magnamque famam ſibi parauit, in aliquot errores prolapſus dicitur. Ob. 1541. *Salisburgi* ſepultus.
(166) Medicus et Aſtrologus *Mediolan.* arcanorum naturae peritiſſimus, obiit Romae An. 1576. aet. 75. fame enectus ſpontanea, vt annum diemque propriae mortis a ſe praedictum attingeret.
(167) Muſarum hic ſui ſaeculi per *Germaniam* et *Italiam* decus, *Veronenſis*, A. 1558. obiit. *Cardanum* praecipuum habuit aduerſarium.
(168) Eques *Danus*, Conſiliarius Caeſaris et ſummus Mathematicus, cuius vitam exhibet *Witte* in memor. Philoſophorum. Opera eius iunctim edita: ob. 1601. v. *Philandri von der Weiſteritz* Lebensbeſchreibung Tycho von Brahe, Hafn. 1756.
(169) Reliquos viros ſaeculi ſuperioris ſummos vide apud *Adami* aliosue Biographos.

§. 4.

De *Iudaeis* lucro tantum captando intentis memoranda pauca occurrunt, vixeruntque apud eos R*ab. Abr. Sacbuz* autor *Iochaſin*, et R. *El. Leuita*, qui eruditione ſua famam apud eos meruit (1).

Turca-

Turcarum vero potentia longius proceſſit. *Baiazethes* quidem poſt varias Chriſtianis illatas
1512. clades tandem a *F. Selimo* (2), quod fratrem *Achmetem* ſucceſſorem ſibi conſtituerat, ope Medici fuit interemptus, huicque dein praemii loco caput praeciſum. Ille igitur necatis fratribus eorumque filiis non *Perſas* modo vicit, ſed et potentiſſima *Syriae* ac *Aegypti* regna, euerſo *Mam-*
1516. *meluccorum* imperio (3), et *Tomambeio*, vltimo eorum Rege coeſo, ſibi ſubdidit, tandem vero eodem illo loco, quo cum patre proelio fuerat congreſſus, occubuit (4) Cuius ſucceſſor *Soli-*
1520. *mannus* (5), magnam *Vngariae* partem ſubiugavit, *Belgradum* cepit, *Ludouicumque II.* Regem
1526 *Bohem.* et *Hung.* ad *Mohaz* occidit; *Rhodum*
1527. etiam Inſulam Ordini Equitum eripuit; et *Cappadociam*, *Galatiam* atque *Armeniam* ſibi adſeruit; imo et facta per *Hungariam* impreſſione *Viennam*
1529. *Auſtriae* obſedit, ſed 80000. ſuorum amiſſis ſol-
1534. vit obſidionem; hinc *Tuniſium*, *Arabiam* feli-
ſq. cem, *Moldauiam* occupat, in *Hungaria Budam*, *Strigonium*, *Albam Regalem* capit, miſereque Regnum id adflixit, et ex Italia multa captiuorum
1565. millia abduxit; Inſulam porro *Chium* expugna-
ſeq. vit, *Maltam* fruſtra tentauit (6); bellis adeo felix infeliciſſimus pater, in proprium ſaeuiit ſanguinem, aliquotque ſuos filios miſera morte ne-
1567. cans, tandem in *Sigethenſi* obſidione expirauit (7).
1570. Succeſſor *Selimus II.* (8) *Venetis Cyprum* ademit, inſigni tamen ſtrage victus fuit ad *Naupactum*
1574. (9). *Amurathes* fratricida (10) *Hungaricum* bellum varia geſſit fortuna, *Iaurinumque* cepit, et

et *Georgianorum* Regionem ſibi ſubiecit; *Perſico* 1594.
vero ſatis infelix fuit (11). *Mahummed III* 18. 1595.
fratres cum parente ſepeliuit, duosque poſthu-
mos mari merſit; bellum in *Hungaria*, capta 1596.
Agria, continuauit, *Iaurinum* amiſit, tandem 1598.
vero *Caniſio*, munitiſſimo propugnaculo expu- 1600.
gnato, Saeculum hoc clauſit (12).

(1) Iudaeorum XVI. hiſtoriam prolixius exponit *Hottingerus* in Hiſtor. Eccleſ. eiusd. ſaeculi. In *Portugallia* complurimi eorum ad recipiendam fidem Chriſti fuerunt coacti.

(2) Erat *Selimus Baiazethis* F. natu tertius, ſed prae reliquis animo magno praeditus, vnde ipſi Regnum ad ſe trahere fuit facillimum. Parricidia eius exhibet *Sagredo* Hiſtor. Ottomann. p. 86. ſeqq. de bello eius cum *Iſmaële R. Perſico* idem p. 90. ſeq. cum *Mammeluccis* p. 93. ſeq. *Aleppo et Damaſcum* ſibi ſubiecit, atque ita *Imperii Ottomannici* fines nimium dilatauit.

(3) De hac *Mammeluccorum* internecione et omnimoda ſubiugatione idem autor Venetus agit p. 95. ſeqq. *Cairus* et *Alexandria* in *Selimi* poteſtatem venit p. 97. Durauerat *Mammeluccorum* in *Aegypto* imperium per tria ſaecula.

(4) Prope vrbem *Ciorlu* obiit, vltionem diuinam ſentiens vbi peccauerat.

(5) Vnicus hic *Selimi* haeres fuit, ad magna natus, et albae quaſi gallinae filius.

(6) Eius geſta egregie exhibet multoties laudatus *Sagredo* p. 103-219.

(7) Nouercae quippe *Roxolanae*, *Selimum* filium ad thronum prouehere tentantis, inſidiis, *Muſtapha* primogenitus, *Giangir* et *Baiazethes* fratres, iuſſu patris *Solimanni* enecti fuerunt. Conf. eund. p. 221. ſeqq.

(8) *Selimi II.* geſta recenſet idem l. VII. p. 221. ſeqq.

(9) Victoriam illam ad *Echinadas* illuſtrem peculiari oratione depraedicauit *Io. Baptiſta Raſarius*, deſcripſit vero praeter complures alios *Sagredo* p. 251. ſeqq. adde autorem der Seehelden, in vita *Ioannis de Auſtria*.

(10) Quinque hic fratres eodem die, quo imperium auſpicabatur, neci dabat.

(11) Iucunda recenſione vitam ac geſta eius expoſuit *Sagredo* p. 266-304.

(12) Hunc Turcarum Imperatorem lib. IX. hiſtoriae ſuae recenſuit idem nominatus autor, geſtaque illius egregiis narrationibus illuſtrauit. Fratricidia ſe praeſente fieri voluit, ne facus interueniret, octodecim quippe vel 19. fratres mari merſos conſpexit. Vid. p. 306.

SAECVLVM XVII.

§. 1.

Noſtro hoc, quod tumulo ſuo proximum eſt, Saeculo remotiſſimae etiam et plus quam barbarae aliquot gentes in extimis Orientis et Occidentis locis et Inſulis, praecipue in *India Orientali* (1), *Inſulis Philippinis*, *Moluccis*, *Zeilan*, *Summatra*, aliisque adiacentibus; item in *America Septentrionali* pariter et *Meridionali* (2) CHRISTI cognitione fuerunt imbutae, idque miniſterio *Hiſpanorum*, *Anglorum*, *Belgarum* (3), *Gallorum* (4) aliorumque populorum ſatis feliciter actum, ita quidem, vt in *Iaponia* Inſula incolae magno numero exorta hac luce colluſtrarentur (5).

(1) Magnum illud Aſiae imperium *Sinenſe*, in quo ſuperiori equidem ſeculo per *Franciſcum Xauerium* tentata nominis Ieſu praedicatio, at et inhibita fuerat, hoc ad ſuum terminum properante, etiam ſub *Tartarico* Regimine, cui hodie paret, fidei Chriſtianae libertatem indulget, impetrato eam in rem An. 1692. decreto ampliſſimo, magnam hic operam nauantibus Ieſuitis, ſtudiis Mathematicis aliisue famam et ſecuritatem ſibi ac Chriſtiano nomini parantibus, quos inter merito laudandi *Matth. Riccius*, *Io. Adam Schall* ac *Ferdinandus Verbieſt*, cum aliis. Quamquam id extra dubium, eos non vnum ſed plures ritus gentilitios inter nouellos Chriſtianos indulgere, imo ipſosmet ſe illis adplicare. Vid. *Petri Ioſ. Aurelian.* hiſtoria duorum victorioſorum Tartarorum, qui Chinam ſubiugarunt, it. foeminae cuiusdam Chinenſis hiſtoriam, *Phil. Coupletii Ieſ.* nec non *nouiſſima Sinica*, hiſtoriam noſtri temporis illuſtrantia.

(2) Confer *nauigationes in vtramque Indiam*, quibus fidei Chriſtianae incrementa in illis oris ſimul exponuntur.

(3) *Belgas* equidem, tanquam diuitiis magis, quam animabus lucrandis intentos increpat *P. Tachardus* in itinere Siamenſi, defendit tamen eorum in augendo Chriſtianiſmo apud exteros etiam ſtudium celeberr. *Ludolf.* in append. ad hiſt. Aethiop.

(4) *Galli* certe per Miſſionarios ſuos in Oriente innumeram paganorum multitudinem ſe Chriſto addixiſſe gloriantur, quod in *Siamenſi*

Siamenſi regno pariter tentarunt, ſed cum ibidem ſub ſpecioſo religionis nomine maiora alia auderent, in vanum conatus ille abiit, omnisque chriſtianae religionis cultus fuit inhibitus.

(5) De inſigni illa et prorſus mirabili *Iaponenſium* ad Chriſtianiſmum ſuperiore ſaeculo per *Franc. Xauerium* coepta conuerſione, Ieſuitarum literae memoriae multa prodiderunt. In *Abeſſinorum* Regno Doctores Pontificii Papalem quoque autoritatem ſtatuminare fuerant conati, ſucceſſu tamen haud diuturno. Vid. *Ludolf.* l. III. hiſt. Aeth. *Kortholt* Hiſt. Eccleſ. p. 895. Vlterius An. 1609. Imp. *Rudolphus II.* in Comitiis Pragenſibus *Bohemis* per literas Maieſtaticas religionis libertatem indulſit, qua vnitae quoque prouinciae *Morauia* et *Sileſia* gaudere incipiebant, quod idem An. 1608. in *Matthiae* coronatione *Hungaris* quoque fuerat conceſſum, poſtmodum a ſucceſſoribus *Ferdinando II, III,* et *Leopoldo* confirmatum.

Sunt itaque hodie in vniuerſo orbe diſperſi, qui Chriſtianiſmum, Iudaiſmum, Muhammediſmum et gentiliſmum profitentur. Gentilium, Deorum cultui etiamnum deditorum in florentiſſimis *Aſiae* regionibus innumerus eſt numerus, *India* quippe, *China*, *Iapan*, praeter *Tartariam* Aſiaticam et *Europaeam*, aliasque ad Auſtrum et Boream iacentes, imo nondum ſatis cognitas regiones, nec minus magna et *Africae* et *Americae* portio Deaſtros diuerſiſſimos etiamnum colunt. *Muhammediſmo* Turcici, Perſici, Mogolici, aliorumue *Africae* quorund. regnorum inquilini praecipui adhaerent, licet pro interpretum Alcorani varietate ſectae inter ipſos quoque varient. *Iudaiſmo* diſperſi inter Chriſtianos et Turcas hinc inde *Iudaei* firmiter etiamnum dediti ſunt; Chriſtianiſmo denique addicti per omnes orbis partes, quamquam non eadem fidei profeſſione, ſunt diſſeminati. *Orientalis* quippe Eccleſia aliter in compluribus ſentit articulis, quam *Occidentalis*, et vtraque in diuerſiſſimas ſectas ſecedit. Illa quippe purior *Graecorum* eſt, (iuxta *Frid. Spanhemium* in controuerſiis de religione ſelectioribus) vel *ſtricte dictorum*, eorumque vel *genuinorum*, priſcis ſuae Eccleſiae traditis adhaerentium, vel nouitiorum, aliquantum propius ad *Latinorum* ſacra accedentium: vel *Melchitarum* et *Syrorum*, quibus *Georgiani* et *Iberes* accenſendi; vel impurior *Neſtorianorum*, *Chaldaeorum*, *Chriſtianorum S. Thomae*, *Monophyſitarum*, *horumque vel Iacobitarum*, *Coptitarum*, *Abaſſenorum*, *Armeniorum*, *Maronitarum Chamſorum ſiue Solarium* ac denique *Ruſſorum* ſiue *Moſcouitarum*. De *Graecis* videſis *Hoornbekii* ſummam Controuerſ. l. XI. *Occidentalis* Eccleſiae non vniformis quoque profeſſionis facies adparet, dum alia Pontificiorum ſiue Romano-Catholicorum, alia Lutheranorum, Reformatorum ſiue Caluinianorum, et ab his non parum diſtantium Socinianorum, Arminianorum et complurium aliarum ſectarum ſeſe exhibeat. De his, ſi non omnibus, compluribus tamen eorumque

 fidei

fidei principiis et ceremoniis videri poteſt *Alex.* Roß in unterſchiedlichen Gottesdienſten der Welt.

§. 2.

Sed non vbique perpetua ea fuit felicitas: cum enim nationes quaedam vi et ſuppliciis exquiſitiſſimis ad fidem raperent homines, inſatiabilique auri cupidine magis, quam hominum conuerſione flagrarent (1), aliae regiones ſub religionis praetextu aucuparentur (2), multa certe hominum millia bonam de *Chriſtianiſmo* conceptam opinionem abiecerunt, et ad idola potius redire, ipſiſſimamque mortem ſubire, quam ad ſaeuorum adeo et auri ſitientium ſacra accedere maluerunt (3). Sed haec apud exteros. Neque in Europa grauiſſimas calamitates immittere *Eccleſiae* ſuperſedit Satanas, per fidele ſibi miniſterium *Ieſuitas*, qui execranda ſua doctrina de Romani Pontificis ſumma in vncta etiam capita poteſtate aliquot Regibus intentarunt et matura-
1605. runt excidium (4); ſiquidem *Iacobum*, *M. Britanniae* Regem, ſubiecto nitrato puluere cum vniuerſa familia et regni proceribus euertere vo-
1589. luerunt (5). *Henricum III. et IV. Galliae* Reges
1610. per ſubornatos clanculum ſicarios interfecerunt
1606. (6), *Venetam* Remp. turbarunt (7), hinc *Galliae et Venetorum* ditionibus exuti, et poſt aliquod demum tempus recepti fuerunt (8). Quid de noſtra dicam *Germania?* Eam certe ex tranquilliſſimo in miſerrimum coniecerunt ſtatum.
1619. *Bohemis* initio religionis libertas ab aliquot Regibus conceſſa et ſancte ſeruata fuit erepta (9), quo faces ad ferale bellum Bohemicum ſubminiſtratae,

ſtratae, dum Regi iam coronato *Ferdinando II.* oppoſitus *Fridericus V.* Elector *Palatinus*, ſed breui poſt et regno iſthoc, ditionibusque et honoribus auitis fuit eiectus (10); dein et ceteris in *Germania* Proteſtantibus eadem libertas ſcriptis (11), et armis adimi voluit, quod in Imperii vrbe *Donawerda* per *Maximilianum Bauariae* Ducem intercepta (12), *Aquisgrano* (13), aliisque factum, iamque per edictum illud Caeſareum de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis, ab Euangelicis ſuis in territoriis legitime occupatis, cum omnibus fructibus perceptis et percipiendis, iugulum Euangelicorum omnium petebatur (14), cum ſancito prius inter ſe *Lipſiae* foedere ad defenſionem propriam hi tandem verterentur, et poſt ſaeuiſſimam *Magdeburgi* euerſionem (15), Regi Suecorum *Guſtauo Adolpho* (16), religionis et libertatis publicae vindici ſociati humeris ſuis imminens periculum amouerent (17), vſque demum varias poſt clades vtrinque datas et acceptas pax calidis votis expetita reſtitueretur (18). Neque ſufficiebat hoc, ſed denuo auream hanc pacem ſaepius Furiae infernales labefactare tentarunt. Quid in *Hungaria* ad Lutheranos exturbandos contulerint, tot loquuntur extorres (19)? quid in *Sileſia* et *Morauia*, omnibus, proh! conſtat (20) *Neoburgenſem* porro Principem cum Ducatu *Iuliacenſi*, pluresque Magnates alios, honoris et opum largiorum ſtimulo in ſuas traxerunt partes (21). Quemadmodum contra *Reformato-Caluiniani* Electorem *Brandenb. Ioachimum Erneſtum* ſeduxerunt (22), vnde *Lutheranis*

1610.

1607.

1614.

1627.

1630.

1648.

1614.

non aeque ſemper propitii fuerunt Superi in *Mar-*
1606. *chia*, *Pomerania* alibique. Iidem porro in *Haſ-ſia* (23) pedem fixerunt, et non ſine tumultu fuerunt recepti, atque hi ſpecioſo denique, ſed deteſtando maxime pacis et *Syncretiſmi* (24) nomine puriorem doctrinam conuellere, opera *Davidis Paraei*, *Melleti*, *Io. Duraei*, vniuerſam fere Europam percurrentis, aliorumue, fuerunt admiſi. Quemadmodum autem ex duriſſimis *Ieſuitarum* perſecutionibus feliciter ſemper, Deo ſit gloria! eluctata fuit Eccleſia orthodoxa, ita nobis firmiter perſuaſum habemus, eandem contra clandeſtinas quorumcunque inſidiantium molitiones deinceps quoque iri conſeruatum (25).

Porro *haereſes* ſequentes *hoc Saeculo* in Eccleſia propullularunt. Circa finem antecedentis et huius initium diſſeminauit monſtroſas opiniones *Valentinus Weigelius* (26), paſtor *Tſchopenſis*, ex Comitatu Mansfeld, qui cum Anabaptiſtis Scripturae vim extenuauit, eam literam adpellando mortuam, peccatum originale deſtruxit, infantes fidem a natura habere adſeruit, miniſterii efficaciam, Sacramenta, CHRISTI in S. Euchariſtia praeſentiam negauit, λόγον Patre fecit inferiorem, coniugium honeſtam vocauit ſcortationem, compluraque alia docuit, commiſeratione potius, quam refutatione digna. Sectatores eius *Weigeliani* dicti, a quibus haud procul abfuere *Stife-*
1604. *liani* et *Methiſtae* : Illi ab *Eſaia Stifelio* (27) Thuringo nuncupati, in Deo triplicem ſtatuerunt eſſentiam, quam diuinitatem angelis quoque et hominibus concreatam dixerunt, pluraque

que inſulſa alia effutierunt, hi ab *Ezechiele Meth* (28) nomen fuerunt ſortiti, qui *Michaëlem* ſe, et viuum Dei verbum delirauit, ſcriptum vero reiecit, atque ex haereſibus antiquis nouam conſarcinauit. Vterque proin carceri mancipatus, *Chiliaſtae* (29) porro hoc tempore ſurrexerunt, *Chriſto* ante huius mundi interitum mille annorum imperium tribuentes: *Praeadamitarum* (30) quoque ſententiam erroneam induxit *Iſaacus Peirerius*, mundi creationem a *Moſe* deſcriptam impugnans. Magnus porro *Anabaptiſtarum* (31) et *Enthuſiaſtarum* (32), quorum quidam *Quakeri* ſiue *Tremulantes* (33), alicubi vocantur, nec non *Socinianorum*, ſiue *Photinianorum et Arianorum* nouorum in *Belgio*, *Anglia*, *Polonia*, *Pruſſia*, *Tranſſyluania* et alibi numerus (34). *Anabaptiſtis* accenſemus fratres *Roſen-Creuzios* (37), ſummam aliquam perfectionem, abſurdaque plura alia fingentes. Ceterum et *ſchiſmata* quaedam inter orthodoxos excitata: vtpote inter *Tubingenſes* et *Gieſſenſes* (38) Theologos, de *Chriſti* humanitate, cum illi in infimo exinanitionis ſtatu *Chriſtum* terram ſimul et coelum gubernaſſe adſererent, hi negarent, quibus dein aliae acceſſerunt Academiae. *Eilh. Lubinus* (37), *Roſtochienſis* Prof. male de mali peccatique principio philoſophatus eſt; *Helmſtadienſes* partim de fructu reſurrectionis CHRISTI, autore *Henrico Boëtio* (38), partim de Bonorum Operum neceſſitate, *Conr. Horneio* duce (39), partim denique de variis aliis articulis cum *Georgio Calixto*, aegre ſenſiſſe accuſabantur (40). *Io. Latermannus* (41)

in *Regiomontana* Acad. Synergiſmum ſubtilem, et poſt Syncretiſmum ſtabiliuit, imo vix illa inter *Wittebergenſes* et *Helmſtadienſes* ſepulta controverſia (42). Parili modo apud *Caluino*-*Reformatos* in Belgio *Remonſtrantium* et *Contra*-*Remonſtrantium* (43) Sectae non parum turbarum de-
1619. derunt. *Iacobus Arminius*, Paſtor initio *Amſtelodamenſis*, deinde Profeſſor *Lugdunenſis* in articulis de praedeſtinatione et reprobatione abſoluta, de morte CHRISTI, vocatione hominum, gratia conuerſionis et ſalutis aeternae certitudine a ceteris Caluinianis diuerſum quid ſtatuerat, cui collega *Fr. Gomarus* ſummis reſtitit viribus, atque hinc *Arminianorum* ac *Gomariſtarum* nomina; cumque *Arminius* fatis conceſſiſſet, *Conradus Vorſtius* (44) in eius ſucceſſiſſet locum, niſi de *Socinianiſmo* etiam eſſet ſuſpectus, hinc officio fuit dimiſſus. Ab illo tempore nata *Remonſtrantium* (ſic *Arminiani* ab exhibita Ordd. *Remonſtrantia* ſiue declaratione dicti) et *Contra Remonſtrantium* nomina (45) ſatis grauiter preſſerunt illas Eccleſias, viroſque maximos implicuerunt (46). Porro in Gallia poſt paulo circa eosdem articulos fere noua moliti ſunt *Iohannes*
1634. *Camero* et *Moſes Amyraldus* (47), Paſtores et Profeſſores *Salmurienſes*, atque *Claudius Teſtardus*, Eccleſiae Bleſenſis Paſtor, quibus ex noſtratibus pariter et Reformatis Theologis nonnulli ſe oppoſuerunt (48). Nec minus turbarum *Puritani* (49) dederunt in *Anglia*, qui ſoli nomine hoc gaudere volebant, ac ſi ſoli etiam religionis puritatem ſectarentur. In eadem quoque ſectarum diuerſa

diuerſa nomina multas occultarunt haereſes, ipſi etiam Regi exitiales (50). Denique inter *Pontificios* de immaculata *Mariae* conceptione (51), 1649. contentionum ſerra magno animorum feruore fuit reciprocata, praecipue inter *Dominicanos* eam negantes, ac *Franciſcanos* atque *Ieſuitas* adſtruentes. Ventum illa in Diſputatione ſaepius a verbis ad verbera, quandoque etiam penitus prohibitum, vt neque aiens, neque negans opinio adſereretur. Papa *Gregorius XV.* hac in 1612. cauſa conſultus reſpondit: *aeternam ſapientiam huius myſterii penetralia ſibi nondum patefeciſſe.* Tandem *Alexander VII. R. P.* eandem ita ſtabili- 1661. vit, vt tamen nec ſecus ſentientes damnare fuerit auſus (52). Porro in *Gallia* et *Belgio* Theologos exercuit lis a *Michaële Baio* Profeſſore *Louanienſi*, et *Cornelio Ianſenio* (53) Epiſcopo *Iprenſi* excitata, qua *Theologiae Scholaſticae* exhibita coecitas, *Pelagiana* de *Libero Arbitrio* et *Gratia* damnata in Ieſuitis aliisue ſententia, et *D. Auguſtini* quidem 1641. verbis illorum opinio ſtabilita. *Vrbanus* igitur 1653. VIII, et poſt eum *Innocentius* X. RR. PP. damnarunt V. propoſitiones ex *Ianſenii*, vt voluere, libro excerptas; ſed defenderunt *Ianſenium Sorbona* et complures Epiſcopi *Gallicani* (54). 1657. Nihilo tamen ſecius per *Alexandrum* VII. repetitum in *Ianſenium* dudum defunctum fulmen; atque ita incendium illud inhibitum, extinctum tamen non eſt (55).

(1) Praecipue incuſantur hic *Hiſpani*, qui de priſtina animi ſaeuitia et ſanguinolento conuerſionis modo parum, aut nihil hactenus remiſerunt, praecipue in *India Occidentali* ex auri ſtudio humanitatis multum obliti.

 (2) *Gal-*

(2) *Gallis* ad infinitam potentiam immenſa ope contendentibus in *Indiae* regnis et prouinciis id vitio datur.

(3) Vid. *Bartholom. de las Caſas Hiſp.* narratio hiſtorica de immani Hiſpanorum crudelitate in nouo orbe commiſſa.

(4) Quae hactenus per Rom. perfidiae emiſſarios in ſacra capita fuerint tentata, noto notius eſt, variaque ſcripta in publico loquuntur.

(5) Vid. *Thuan.* Hiſt. l. CXXXV. *Meteran.* l. XXV. et quam multi alii. Non enim modo An. 1603. poſt exceſſum *Angliae* Reginae *Eliſabethae*, *Iacobo* in thronum euecto, quipiam in vitam Regis conſpirarunt, quod religionis Pontificiae libertatem in regno illo indulgere nollet, ſed et An. 1605. horrenda illa, et toti fere *Angliae* exitialis puluraria conſpiratio fuit ſuſcepta, qua, ni periculum DEVS auertiſſet, Rex cum omni procerum ordine e medio fuiſſet ſublatus.

(6) *Henrici III*, Regis a Dominicano Monacho *Clemente Iacobo* patratam necem, a Pontifice *Sixto V.* ſingulari oratione celebratam deſcribit *Thuanus* in Auguſta ſua hiſtoria lib. XCV. *Henrici* vero IV. intentatam An. 1594. non modo per *Chaſtellum* idem l. CXI. ſed et patratam demum per ſceleratiſſimam *Ranaillaci* manum A. 1610. *continuator Thuani* exhibet l. III. et *Petrus Matth.* T. III Hiſt. Fr. l. VI. depingit; qua peracta Ieſuitis vix in regnum receptis IV. articuli deinceps profitendi ſunt propoſiti, ſi *Gallia* denuo exturbari nollent: ſcilicet, Papae Romano nullum in Reges ius. Concilium autem ſupra Papam eſſe. Clerum Magiſtratui Politico ſubeſſe, et demum, quae in confeſſione auriculari contra vitam Regiam manifeſtarentur, non obſtante confeſſionis ſigillo, eſſe denuncianda.

(7) Factum id An. 1606. quod *Veneti* clericos ſceleratos ciuili iudicio ſubiicerent, nec bona immobilia absque Senatus conſenſu in clericos transferre, aut Monaſteria noua erigere haud permitterent. *Paulus* itaque V. Rom. Pontifex *Venetos* excommunicauit, a *Baronio* et aliis incitatus, quamquam plerique ordinis clericalis in dominio *Veneto*, nihil obſeruato fulmine Pontificio, pro more ſacra peragere continuabant, Ieſuitis cum paucis aliis id recuſantibus inde pulſis. vid. *P. Matth.* Tom. III. hiſt. contin. l. II. Tandem interpoſitione Regis *Galliae* pax inter Pontificem et Venetos fuit reſtabilita. Vid. eiuſd. l. III.

(8) *Gallia* An. 1594. toto Regno pulſi fuerant *Ieſuitae*, exceptis vrbibus *Burdigala* et *Toloſa*, quod illis parricidii in *Henricum III.* commiſſi culpa tribueretur. Vid. *Thuan.* l. CXII. Anno demum 1604. poſt multas interceſſiones, grauiter quamquam obſtante Senatu Pariſienſi, reſtituti; Conf. eund. l. CXXXII. Et poſt pacificationem inter Pontificem et *Venetos Ieſuitarum* reſtitutio in ditionibus *Venetis* aliquandiu fuit dilata. *P. Matth.* l. c.

(9) Dum

(9) Dum initio viuo adhuc *Rudolfo* literae Maieſtaticae, tanquam iniuſtae ac vi extortae traducerentur, iisque ſub *Matthia* multis modis contraueniretur, deturbatio *Caeſareanorum* Commiſſariorum e *Pragenſi* arce facta, bello *Bohemico* portas aperuit, quo ad nutum Caeſaris et ex eius voto geſto, totius Regni reformatio, et *Lutheranorum* pariter ac *Caluinianorum* eiectio fuit ſecuta.

(10) Neque vnquam reſtitutus, ſed in exilio defunctus, quamquam Electoralis demum noua dignitas eius filio ac poſteris accreuit.

(11) Siquidem *defenſae pupillae*, der nothwendigen Vertheidigung des Heil. Röm. Reichs Augapfels, a Saxonicis Theologis procuratae, qua ſe ab Auguſtana inuariata Confeſſione haud quaquam receſſiſſe oſtendebant, ſcripta complura maledica et Satyrica a Ieſuitis fuere impoſita, quae demum in der Haupt-vertheidigung des Augapfels decenti modo fuere eluſa. Conf. *Korth.* p. 887.

(12) Cauſa proſcriptionis et ab Imperio auulſionis vrbis *Donawerdae* erat, quod ciues An. 1607. Abbatem, ſolenni proceſſione fere per quinquaginta annos intermiſſa, per vrbem incedentem male excepiſſent, vnde proſcripti, et executio *Bauariae* Duci demandata fuit, qui vrbem priſtino dominio adſcribere maxime gaudebat, fruſtra intercedentibus Ordinibus Proteſtantibus, et ſua iura turbari, atque de Iudicii Cameralis iniquitate querulantibus.

(13) Tumultus *Aquisgranenſis* initium An. 1611. factum ex eo, quod Magiſtratus Pontificius ciuibus *Proteſtantibus* religionis ſuae exercitium etiam extra vrbem petere, carcere et exilio prohibuerat; et quamquam *Galliae* Rex ſe cum Principibus *Iuliacenſibus* interponeret, proſcripti tamen *Aquisgranenſes*, et A. 1614. per *Spinolam* ad deditionem compulſi, vnde Proteſtantibus vrbe excedendum fuit. Hiſt. Thuan. Contin. l. VII.

(14) Promulgatum graue illud edictum fuit ab Imp. *Ferdinando* II. An. 1629. d. 6. Mart. quo Epiſcopatus, Monaſteria, et reliqua bona Eccleſiaſtica, poſt pacem *Paſſauienſem* a ſtatibus *Proteſtantibus* occupata, reſtitui acerrime poſtulabantur, quae inter Archi-Epiſcopatus erant duo, *Magdeburgenſis et Bremenſis*, Epiſcopatus duodecim, *Mindenſis, Halberſtadenſis, Verdenſis, Lubecenſis, Razenburgenſis, Miſnenſis, Merſburgenſis, Naumburgenſis, Brandenburgenſis, Hauelbergenſis, Libuſienſis et Caminenſis*, imo et, quae ante pacificationem Paſſauienſem fuerant reformata, impetebantur, et *Auguſtae Vindelicorum*, poſt in Ducatu *Würtenbergico*, vrbe *Magdeburgenſi*, Ducatu *Mecklenburgico* et alibi, decreti eiusdem executio armis ſuſcipiebatur, demtis bonis Eccleſiaſticis Magiſtratui Euangelico, et Pontificio reſtitutis, Duabus Mecklenburgicis Ducatu eiectis, eoque *Alberto Fridlandiae Duci*, Comiti *Wallenſteinio* collato.

(15) Foe-

(15) Foederis *Lipſiaci* a Proteſtantibus ad ſui et libertatis Germanicae defenſionem initi iuſtitiam Elector Saxoniae publicis literis demonſtratam dedit.

(16) Hic belli nactus occaſionem, quod legati ſui a *Caeſareanis Lubecae* non eſſent admiſſi, hoſti *Polono* ſuppetiae latae, et religionis ſocii in *Germania* magis magisque arctarentur, quas cum aliis cauſas publico ſcripto orbi manifeſtauit.

(17) Hiſtoriam *belli Sueco Germanici* ab An. 1630. ad An. 1650. multis vltro citroque datis et acceptis cladibus geſti, tradidere autores complures. Conf. *Theatr. Europ. Pufendorf* in hiſtor. rer. Suecic. aliosque complures: ex Pontificiorum parte *Thuldenum, Caraffam, autorem epitomes rerum Germ.* aliosue.

(18) Factum id *Oſnabrugae* et *Monaſterii*, vbi inter *Caeſarem et Imperium cum Suecis*, item cum *Gallis*, nec minus inter *Hiſpanos et Belgas*, pacis tandem halcyonia fuere reſtituta, Proteſtantibus religionis libertas denuo adſerta, ad eandem quoque *Caluinianis* admiſſis. Videſis *Inſtr. Pacis*, nec non *Burgoldenſ.* diſcurſ. Hiſtor Polit. ad idem. Quamquam non modo Pontificius, qui tum erat, legatus *Fabius Chiſius* acerrime contra pacem illam, tanquam Religioni Pontificiae parum proficuam, proteſtaretur, ſed et Pontifex *Innocentius X.* edita An. 1651. peculiari bulla infringere eam niteretur, a *Conringio, Bloudello, Hoornbekio* et aliis poſt confutatam.

(19) Et hic ſcriptis initio contra Euangelicos pugnatum fuit, An. 1671. Epiſcopo *Varadinenſi* titulari *Barzonio* peculiari libro, cui titulum fecerat: *Veritas toti mundo declarata*, argumento triplici oſtendens, S. Caeſaream et Regiam Maieſtatem non obligari, tolerare in *Hungaria Lutheranam* et *Caluinianam* ſectam, claſſicum canente, cui tamen a non vno fuit reſponſum; excepit in *Poſonienſes* aliosue *Pontificiae* Religioni non addictos vis maior, qua Eccleſiarum praecipue et Scholarum Rectores et Doctores An 1674. morti, tanquam rebellionis complices (a qua tamen alieniſſimi fuerant) adiudicati, et qui fidei ſuae firmius inhaererent, nec literis reuerſalibus ſubſcribere vellent, carceri mancipati, duriſſime habiti, et ad triremes damnati fuerunt, quibus tandem per *Batauos* exemti. Conf. *Heidegger.* in hiſt. Papatus, *M. Lani* in narratione hiſtorica de captiuitate ſua Pontificia, cum aliis.

(20) Et hic plurimis in locis iuſſu Caeſareo Proteſtantibus templa erepta, liberi illorum monaſteriis incluſi, aut Pontificiae informationi violenter admoti fuere, fruſtra intercedente pro adflictis ita *Silefiis* Electore *Saxoniae*.

(21) Feciſſe id videtur non tam Pontificiae religionis amore, quam ſoceri *Bauari* perſuaſionibus obſecundans, et Ducatum *Iuliacenſem* cum adnexis occupandi et quiete poſſidendi cupidine, quo medio *Hiſpanorum* auxilia promtius impetrabat Princeps *Neoburgicus*, *Wolfgangus Wilhelmus*, in ſuam ditionem, pulſis Euangelicis, Pontificiam confeſtim inducens religionem.

De

De reliquis, quos in ſuas variis artibus traxerunt Pontificii partes, maximopere gloriari ſolent ſcriptis publicis Ieſuitae.

(22) Pari ratione a *Batauis* facilius auxilia impetraturus, et res ſuas firmaturus, religionis mutationem Elector *Brandenburgicus* ſuſcepit, quod vix ſine turbis a plebe *Berolinenſi* motis contigit.

(23) Perfecit id Landgrauius *Mauritius*, qui mortuo *Ludouico* in *Haſſiae* ſuperioris partes reformatam religionem A. 1606. induxit, et *Marpurgenſem* Academiam reformauit, quod itidem non ſine tumultu peractum. Vid. *Sleid.* Contin. l. X.

(24) Nomen hoc a *Cretenſibus* mutuati ſunt Eccleſiae Doctores, qui crebris ſeditionibus, bellisque ciuilibus exagitati, extrinſecus aduentantibus hoſtibus in pacem ac ſocietatem coluerunt. Sic et *Caluiniani* ad communem hoſtem, Pontificios, eo melius impugnandum, a *Lutheranis* fraternam et mutuam in ſacris tolerantiam et concordiam exigebant. Vid. *B. Io. Muſaeus* de Syncret. Vrſerunt id opus in *Gallia Moſes Amyraldus Salmurienſis, Anton. Cregutus Dienſis* Profeſſor in *Anglia, Io. Dauenantius Sarisburienſis, Thomas Mortonus Dunelmenſis, Ioſephus Hallus Oxonienſis* Epiſcopi, quibus adde *Ioannem Duraeum Scotum*, qui idem ſaxum, ſuſceptis variis per *Germaniam, Sueciam* et *Daniam* peregrinationibus, per 40. et plures forte annos voluit. In *Germania* hoc opus vrſerunt *David Pareus*, et *Io. Henr. Hottingerus* Profeſſores *Heidelbergenſes*, in *Marchia Brandenburgica Io. Bergius*, Concionator aulicus, *Conradus Bergius* et *Fridericus Reichelius*, Prof. *Francof. ad Viadrum.* In *Haſſia Io. Crocius Marpurg.* ac *Paulus Steinius*, aulae *Caſſellanae* Concionator: in *Holſatia Io. Melletus*, Eccleſiae Reformatae Paſtor: in *Belgio Godofredus Hotton*, Gallicanae Eccleſiae apud *Amſtelodamenſes Paſtor, Io. Hoornbeck* in Acad. *Lugdunenſi*, et *Samuel Mareſius, Groeningenſis*, Profeſſores. Imo nec noſtris temporibus ceſſatum fuit ab eodem ſtudio, quamquam ſubtilioribus artibus ad eundem ſcopum impetrandum hactenus proceſſerint Reformati, quorum ſcripta, inter quae *Io. Heinr. Heideggeri* manuductio in viam concordiae Proteſtantium eccleſiaſticae eſt, paſſim vide. Ex noſtratibus idem equidem opus viſit *D. Georgius Calixtus*, Prof. *Helmſtad.* qui tamen non *Reformatorum* modo, ſed et *Pontificiorum* tolerantiam cum *Dreiero Latermanno* et aliis ſuaſit; at in contrarium omni molimine niſi fuerunt *Io. Conr. Dannhauerus, Colouius, Muſaeus, Dantiſcani, Hutterus, Pfaffradius, Sigwartus, Hunnius, Himmelius, Menzerus, Hülſemannus, Kronmayerus, Bebelius, Kunadus* et non pauci alii.

(25) Hactenus recenſitis perſecutionibus et ſeductionibus adiungendae breuiter adhuc aliae: Sub Saeculi initium *Stiriam* incolentibus a *Ferdinando* Archid. *Auſtr* poſt Imp. eius nominis II. Euangelii libertas, quam ingenti pretio maiores atque ipſi a *Maximiliano* II. *Carolo* et *Ferdinando* redemerant, magno rigore fuit

fuit adempta, quo iuramentum Pontifici *Clementi* VIII. datum impleret, de Lutheranis *Stiria* eiiciendis. *Poloniam* quoque Ieſuitae turbarunt, et cum Proteſtantes armis patriae et religionis libertatem quaererent, a Regio exercitu non modo fugati, ſed et *Poſnoniae* per Ieſuitarum alumnos templum ipſorum incenſum fuit. Nec in *Hibernia* Monachi quieuerunt, ſed paucorum menſium ſpatio vltra ducenta millia hominum extinxerunt. Quomodo in bello vltimo *Gallico Alſatiae* et reliquis ad *Rhenum* ac in *Palatinatu* incolis Euangelii puritas per *Gallos* fuerit ademta, et non paucae florentiſſimae quondam Eccleſiae cum ipſis vrbibus dirutae, *Argentoratenſibus* autem, coronae *Gallicae* nunc ſubiectis, idem fatum ſit expectandum, nec in pacis nuperae *Ryswicenſis* articulo IV. ſatis religioni Euangelicae conſultum nemini non patet, et multae ſtatuum *Proteſtantium* eapropter motae querelae teſtantur. Longe durius *Reformati* fatum in *Gallia* experti fuerunt. Non dicam de bellis anterioribus, ſub huius ſaeculi initium contra eos variis ſub praetextibus geſtis, et partem a *Grammondo* deſcriptis, praecipue de memorabili *Rupellenſium* obſidione et expugnatione; modernus certe Rex *Ludouicus* XIV. A. 1642. regni capeſſens habenas, et 1653. iam maiorennis declaratus, iterum *Nannetenſe* edictum et religionis libertatem confirmauit. Verum praecipuis eorum Ducibus, et Regii ſanguinis Principibus, variis pollicitationibus in ſuas partes traductis, a Ieſuitis, et praecipue Patre *le Chaiſio* Confeſſionario, aliisue Reformatorum hoſtibus, quotidie incitatus, de opprimendis penitus *Hugonottis* et ex vniuerſa *Gallia* delendis, ſuſcepit conſilia, quae A. 1685. abrogando Edictum *Nannetenſe*, et reuocando Reformatis quaecunque a ſe et Anteceſſoribus conceſſa priuilegia, in apertum erupere; quibus immani modo, et non minus barbara, atque olim a paganis factum, diritate, quae tamen tanquam paterna beneuolentia et Regia clementia praedicabatur, innumera multitudo ad recipienda Pontificia ſacra per dimachos et milites deſultorios fuit coacta, multi conſtantiores ad triremes damnati, vel in furcam acti, effugii autem occaſio, quantum fieri potuit, ademta, quamquam centena eorum aliquot millia partim in *Angliam*, partim in *Belgium foederatum*, partim in *Germaniam* elapſa promtum et fidele apud *Electorem et Marchiones Brandenburgicos*, *Haſſiae Landgrauium* et alibi hoſpitium inuenerunt, ſimul autem ſuo hoc exceſſu *Galliae* non parum incommodantes opificia varia ſecum intulerunt, ex quibus olim Gallia ingentem quaeſtum facere poterat. Imo idem Rex *Sabaudiae* Duci, ante belli cum *Germanis* initia, autor fuit, pari ſaeuitia in *Waldenſes* ac *Pedemontanos* graſſari, quorum itidem ingens numerus patriam deſerere, atque ad *Heluetios et Germanos* ſe conuertere fuit coactus: quamquam poſtmodum, vbi *Sabaudus* foederatis reliquis contra *Gallos* accederet, fidiſſimos illos ſubditos reuocauit, ac patriis laribus reddidit, *Gallis* natiuis exceptis, quos ſuis

ſuis ditionibus exeſſe perpetuo iuſſit. Saeuiſſima haec *Hugonottarum*-perſecutio, et varia perpeſſa martyria relata leguntur in pluribus ea de re editis ſcriptis. Vid. *Conſtant. Aletoph.* hiſt. perſecut. it. *Heideggeri* hiſtoria Papatus.

(26) Hauſit ille ſtolidus et audax impotentis cerebri deliria ex *Theophraſto Paracelſo et Roſencreuzüs fratribus*, miraque ſuperbia inflatus, nouis verborum et opinionum fictionibus ſibi prae caeteris gloriam quaeſiuit. De cuius ſomniis vide *Hoornbeck* ſumma controu. l. VI. p. 397. ſq. Refutationem eius ex profeſſo ſuſceperunt *Theod. Thummius* in impietate Weigeliana, *Nic. Hunnius* de Theologia Paracelſica et Weigeliana, *Io. Crocius* in Anti-Weigelio, et complures alii, quamquam hodienum nonnulli eius ſputum lingant.

(27) Hic multoties a Theologis de erroribus deponendis monitus, *Salzae* in carcerem coniectus, et per integrum annum detentus fuit; et quamquam ter reuocauerit, ſemper tamen errores recepit, eosue qua voce, qua ſcriptis, ſtudioſe diſſeminauit, multisque impoſuit: tandem, cum ſe immortalem fututum praedicaſſet, apoplexia viuendo finem fecit.

(28) Et huius fanatici nugas exponit *Hoornbeck* l. c. p. 462. adde *Kortholt.* p. 867.

(29) Horum dogmata, regnum Chriſti in his terris aliquod ſublime ante mundi interitum expectantia, et ex Apocalypſi Ioannitica aliisue Scripturae locis eruentia, noſtris his temporibus viri aliqui eruditi propugnant acerrime, quod iam An. 1674. *Ioannes Rothius, Amſtelodamenſis* inuehere conabatur, dictoque anno inchoatum iri fabulabatur: cui manus porrigebat *Quirinus Kuhlmann Vratislau.* tandem apud *Ruſſos* igne crematus. Quae hodie ea ſe ſententia vltro citroque in publico, vernaculo pariter et Latio ſermone, a foeminis aeque ac viris edita proſtent ſcripta, doctis abunde conſtat.

(30) Homines hic diu ante *Adamum* fuiſſe confinxit, tandem vero *Bruxellis* captus, dogma hoc, ſimulque Caluini, eiurauit, et in *Pontificiorum* caſtra tranſiit. Deliria eius ſcriptis oppugnarunt *Dannhauerus*, libro, quem Praeadamita Vtis inſcripſit, *Io. Micraelius* contra Pererium, *Io. Henr. Vrſinus* in nouo Prometheo, Praeadamitarum plaſte ad Caucaſum relegato, nec minus alii quoque ex *Reformatorum* ordine.

(31) De *Anabaptiſtis* huius Saeculi *Hoornbeckius* l. V. ſummae Controuerſ. it. *Seiler* in Anabaptiſta laruato, cum aliis prolixius egerunt.

(32) De *Enthuſiaſtis* aliisue fanaticis, quibus Saeculum hoc omnino abundat, vel quos condemnandi pruritus in eorum numerum coniicit, conferri poſſunt *Pfeifferus* in Anti Enthuſiaſmo, *Hornbekius* l. VI. controu. ſum. *B. Io. Guil. Baierus* et quam multi alii.

(33) Ab eo, quod in ecſtaſibus ſuis toto corpore tremant, dicti. Magna hi copia in *Anglia*, *Scotia* et *Belgio* inueniuntur, vnde in

in vicinas quoque et diſſitas regiones emigrarunt. Primordia debent vel cuipiam *Iacobo Nayloro*, vel aliis in Pontificia religione innutritis viris. Scripturae efficaciam eludunt, internis illuminationibus confiſi, de Trinitate, Chriſto, ſacramentis, aliisque fidei capitibus parum reuerenter loquuntur. Eos inter *Antonia Burignonia* recenſetur ab Autore *Anglo*, libro contra *Quakeros* et hanc ſcripto, ſub titulo: Anguis in herba latens. Vid. et Breuiarium hiſt. de ortu et progreſſu Quakeriſmi et dogmatum eius. Promachus eorum fuit *Guil. Barclaius*, in *Apologia* ſua aliisue ſcriptis, quem impugnarunt *Reiſerus* in Anti-Barclaio, Holzhauſen et alii: ſicut ex *Anglis et Batauis* nonnulli *Quakeriano* huic errori obicem poſuere, quibus addere licet *Sam. Schelguigii* Quakeriſmum confutatum. Hiſtoriam eorum exponit *Paullini* T. II. zeitkürzend. erbaul. Luſt p. 722. ſeq.

(34) *Anti-Trinitarii* hi ſiue *Sociniani* magno etiamnum numero in *Pruſſia*, quorſum ex *Polonia* fugati ſe contulerunt, *Transſylvania*, *Anglia* et *Belgio*, dogmatibus ſuis pertinaciter inhaerent, eaque ſparſis libris variis diſſeminant. Vid *Chriſt. Sandii* ibidem Neo-Ariani Bibliothecam Vnitariorum, (hoc enim nomen ſibi tribuunt;) *Wilh. Scherlok Anglum*, eos oppugnantem, it. *L. Ketuerum* diſſ. de Vnitariis, aliosue plures. *Latitudinarii* iidem a nonnullis nuncupantur, a latitudine, non quod ipſam doctrinam Chriſtianam dilatent, et extendant, ſed quia media veniendi ad ſalutem extendunt, dum non omnibus tantum haereticis, ſed gentilibus quoque et Iudaeis viam ad beatas ſedes patere docent, quamquam hi in quibusdam a *Socinianis* differant.

(35) Hos a quodam Monacho et nobili Germano *Chriſtiano a* Roſen-Creuz dictos ſua quoque deliria hauſiſſe, quae iſte apud *Arabes* didiciſſe gloriabatur, tradunt non ipſi modo in variis ſcriptis, ſed et Andr. Libauius, Nic. Hunnius, Hoornbeck et quam multi alii. Chryſopoeiam, ſiue artem, aurum conficiendi, et metalla transmutandi ſe noſſe fabulati fuerunt.

(36) De tota hac controuerſia videantur *Kortholt* Hiſt. Eccleſ. p. 897. *Theol. Saxon. deciſio*, cui tamen *Tubingenſes* amicam admonitionem repoſuere, et alii.

(37) Conferri poteſt eiusd. tract. de cauſa peccati ad Theologos A. C. in Germ. item Phoſphorus de prima cauſa et natura mali, cum quibusdam aliis *Crauerus* aliique Theologi ſe illi oppoſuerunt, traditaque haec cum morte illius conticuerunt.

(38) Adſeruit ſcilicet *Boëtius Helmſtad. Theol.* impios aeque ac pios virtute reſurrectionis Chriſti e mortuis ſuſcitandos eſſe; cui tamen *Frid. Balduinus* aliique Witteberg. Theol. reſtiterunt, oſtendentes, pios equidem vi reſurrectionis Chriſti, impios vero virtute diuinae iuſtitiae reſurrecturos.

(39) Vid. eius diſſ. de ſumma fidei non cuiuslibet, ſed quae per charitatem operatur, neceſſitate ad ſalutem; adde *G. Calixtum*, *Muſaeum*,

Muſaeum, nec non *Witteberg. et Lipſienſes Theologos, Lyſerum, Hoepfnerum, Hülſemannum, etc.*

(40) Sic in variis articulis *Calixtum* cum Helmſtadienſibus a corpore doctrinae Iulio (a Brunſuicenſibus Ducibus et Paſtoribus loco F. C. recepto) receſſiſſe accuſabant *Buſcherus, Pfaffradius* et alii: praecipue vbi *Calixtus* de myſterio Trinitatis ex V. T. non aeque firmiter ac ex N. demonſtrabili, it. de Chriſto ſecundum humanam naturam filio DEI adoptiuo, de Concordia cum Pontificiis et Reformatis, omnibusque iis, qui Symbolo Apoſtolico fidem habent, (quae *Dreieriana* fuit ampliatio) ſancienda, aliisue ſuam mentem expoſuiſſet, eamque reliqui quoque *Helmſtad.* Profeſſores propugnaſſent, multos in ſe concitauit aduerſarios ex plerisque ceteris *Proteſtantium* Academiis, vt ex *Lipſienſi Hoepfnerum, Henrici, Kromayerum, Carpzonium, Scherzerum*: ex *Wittebergenſi Wellerum, Calouium, Meiſnerum, Strauchium*; ex *Argentoratenſi, Dorſchaeum, Dannhauerum, Fauſtium*; ex *Tubingenſi Wagnerum*; ex *Gieſſenſi Feuerbornium et Haberkornium.*

(41) *Latermannianae* controuerſiae hiſtoriam breuiter expoſuit *Hartknoch* l. II, 10. Hiſt. Eccleſ. Pruſſ.

(42) Proſtant etiamnum ſcripta *Calixtina et Anti-Calixtina*, non ſine acerbitate quadam ſcripta, quibus accenſenda veniunt *Anti-Ienenſia et Anti-Muſaeana*, dum *B. Io. Muſaeo* varii quoque errores impingebantur.

(43) Controuerſiae huius hiſtoriam exhibent *Hornbeck* l. VIII. *Calov.* de Arminianiſmo, *Hugo Grotius* hiſt. l. XVII, *Spanhemius* Elencho Hiſt. Theolog. controuerſ. cum Arminianis, *Iaegerus* H. E. l. IX. *Korth.* p. 862. ſeq.

(44) Deſignatus in *Arminii* defuncti locum *Vorſtius* et vocatus fuerat Prof. *Lugdun.* vnde et familiam iam eo transportauerat, interceſſione vero Regis *M. Britanniae*, quod de DEO et Praedeſtinatione aliter, atque Reformata Eccleſia ſolet, ſentiret, et varia opinionum monſtra aleret, officio iſti admotus haud fuit, quin potius Sociniani eum ad capeſſendam apud illos profeſſionem inuitarunt. *Hoornb.* l. c.

(45) *Remonſtrantium* nomen aſſumſerunt a *remonſtrantia* ſiue libello, ordinibus *Holl.* An. 1610. oblato, qui in collatione *Hagienſi* et apud *Baudartium* in hiſtoria legi poteſt. Aduerſarii eos a *quinque*, quos propugnabant, *articulis quinquarticularios*, ſemet autem *Contra-Remonſtrantes et Gomariſtas* vocabant. Ab illorum partibus ſtabant *Io. Arn. Coruinus, Simon Epiſcopius*, qui et *Sociniana* dogmata *Arminianis* miſcuit, *Stephanus Curcellaeus* et alii, imo nec hodie ſuis deſtituuntur ſectatoribus. Ab horum autem *Nic. Vedelius, Petrus Molinaeus, Ameſius, Voetius* et innumeri alii. *Arminianorum* errorum Synopſin dedit celeberrimus Lipſ. Theologus *Io. Olearius*, et *Frid. Spanhemius* in ſelectioribus de religione controuerſiis vberiorem refutationem *Calouius*, et alii. Illud adiiciendum, cum

in doctrina *de praedeſtinatione Caluinus*, *Beza*, *Zanchius*, *Piſcator* etc. ſtatuiſſent, DEVM non ſolum abſolute, hoc eſt, citra vllum reſpectum ad fidem vel incredulitatem hominum decreuiſſe, quosdam eorum ſaluare, quosdam reprobare, imo ab initio ita homines condere conſtituiſſet, vt alii ad aeternam ſalutem, alii ad aeternum exitium crearentur, imo certa media deſignaſſe, quibus praedeſtinati ad ſalutem, et reprobati ad damnationem ineuitabiliter deducerentur, quae *ſupralapſariorum* eſt ſententia, poſtmodum *ſublapſarios* ita docere coepiſſe, Deum condidiſſe hominem rectum, eum vero ſua ſponte a Deo defeciſſe, perque peccata ſua ſe cum omnibus poſteris in aeternum exitium praecipitaſſe.

(46) Ipſi certe maxima dignitate ciuili, apud *Belgas* pollentes viri, *Ioannes ab Oldenbarneueld*, *Hugo Grotius* et alii, ab *Arminianorum* quod ſtarent partibus, dignitatibus exuti, ille capite plexus, hic carceri perpetuo mancipatus (ex quo tamen fida et prouida vxoris cura in arca libraria exportatus euaſit) alii aliis poenis adfecti fuerunt. Vid. *Meteran.* contin.

(47) Potiſſima horum controuerſia erat de vniuerſalitate gratiae diuinae, quam ita propugnabant, vt dicerent, Deum quidem omnes homines ſaluos fieri velle, ſi credant, nolle autem omnibus dare, vt credant. Vid *Amyraldus* de praedeſtinatione, it. *Feurborn* de natura et gratia contra Moſen Amyrald. *Hülſem.* de auxiliis gratiae.

(48) Vtpote *Frid. Spanhem.* *Andr. Riuetus*, *Petr. Molin.* et alii, qui *Amyraldiſtas* irriſores diuinae miſericordiae, hi contra illos irreconciliabiles gratiae Chriſti hoſtes facerent.

(49) Scilicet Eccleſiam a quibuscunque ceremoniis Pontificiis ad morem *Geneuenſis* reformari ac repurgari volebant, Epiſcopis autem ſubeſſe renuebant, ſicque *Puritanorum* nomen adfectabant, ſaeculo ſuperiori iam in *Anglia* exorti, et hoc noſtro magis inualeſcentes. Diuiſi poſt fuerunt in *Conformiſtas* et *Non-Conformiſtas*, quorum illi ſe conformabant decreto Synodi *Londin.* A. 1603. celebratae, librumque *Liturgicum* haud reiiciebant, hi autem reſpuebant. Rurſum *Brouniſtae* vel *Separatiſtae* ſe a regimine Eccleſiae *Anglicanae* penitus ſeparabant, de quibus l. X. *Hoornb.* ſumm. Controu. *Independentes* vel *congregationales* autore *Io. Robinſon*, nec Epiſcopis, nec Synodo, nec aliis Eccleſiis ſubeſſe volebant, quamquam nouo ſchiſmate ab Eccleſia Anglicana ſeparari nollent. Vid. *G. Hornii* de ſtatu Eccleſiae Anglic. ſub nomine *Honorii Reggii*. *Dan. Neal* the hiſtory of the Puritans or Proteſtants non Conformiſts, Lond. 1732.

(50) Non modo *Wilhelmus Laudus*, *Cantuarienſis* Archi-Epiſcopus, ſed et multi alii Regni Proceres, imo ipſe Rex *Carolus Stuartus*, quod *Puritanorum* ſublato ordine Epiſcoporum dignitatem firmare vellet, imo Papiſmum in *Angliam* reducturus accuſaretur, ſecuri ceruicem ſubiicere coacti fuerunt.

(51) Tem-

(51) Tempore *Bernhardi* quaeſtio haec mota fuiſſe dicitur, et ſaeculis ſequentibus inter *Dominicanos* et *Franciſcanos* non leuiter protracta, praecipue, vbi *Thomas*, *Bonauentura*, *Albertus M.* aliique Scholaſtici *Mariam* in *Adamo* peccaſſe et peccatum originale, ſimul illius debitum contraxiſſe; *Salazar* contra, *Salmero* et plures eam neque in Adamo peccaſſe, nec culpam originalem, nec eius debitum incurriſſe; *Franciſcani* denique, *Scotiſtae* et *Ieſuitae* eam abſque omni labe conceptam; at *Thomiſtae* cum *Dominicanis*, eam quidem in originali conceptam labe, poſt tamen ita ſanctificatam fuiſſe, vt etiam immunis a peccato fuerit, tradiderunt. *Sixtus IV.* definiuit, quaeſtionem eſſe problematicam, damnans haereſeos vtriusque partis adſertores, ſi alterutram partem vel haereticam vel mortaliter peccaminoſam habuerint, quod Eccleſia ſententiam definitiuam nondum interpoſuerit, quam conſtitutionem Synodus *Tridentina* et *Pius V.* renouauit, ſimul libertatem ſentiendi in vtramque partem concedens.

(52) Cum *Hiſpaniarum* Reges *Philippus III. et IV.* multoties iteratis legationibus pro definienda controuerſia ſedem Romanam vrgerent, An. 1617. Inquiſitionis decretum iuſſit, vt adfirmatiua quaeſtionis nec defendatur, nec ab aliis impugnetur; et fatebatur *Paulus V.* Pont. ſe in hac controuerſia nihil poſſe amplius; imo quod controuerſia haec non ſubiaceret diligentiae humanae, expectandum eſſe volebat, donec Spiritus ex alto infuderit. *Gregorius XV.* An. 1622. ita decreuit: *Ne quid noui in re tanta decerneretur, monet negotii magnitudo, et Romanorum Pontificum exemplum. Quare cum nondum aeterna ſapientia Eccleſiae tanti myſterii penetralia patefecerit, in DEI Romanorumque Pontificum autoritate debere fideles populos conquieſcere.* Prohibuit etiam, *ne quisquam in ſcriptis etiam et ſermonibus priuatis audeat adſerere, B. Virginem in peccato eſſe conceptam, exceptis illis, quibus a ſede Apoſtolica hoc ſpecialiter fuerit indultum*; ita nouo hoc decreto opinioni illorum, qui maculatam adſerebant conceptionem, neutiquam praeiudicium inferebatur. Alia conſtitutione idem Pontifex *Dominicanis* iniunxit, vt inter ſe duntaxat, et non inter alios et cum aliis de materia conceptionis Mariae liceat diſſerere. Tandem *Alexander VII.* R. P. A. 1661. peculiari bulla decreuit; *B. Virginem praeueniente Spiritus S. gratia a peccato originali praeſeruatam fuiſſe: vetuit tamen, ne quisquam haereſin Dominicanis contrarium ſentientibus tribuat, nec ab Eccleſia Rom. eam controuerſiam eſſe deciſam.* Quapropter et hodierni Doctores Pontificii quaeſtionem hanc et deciſionem de fide neutiquam eſſe contendunt. Vid. *Heideg.* hiſtor. Papatus, *Calixti* hiſtor. concept. Mar. B. *Scherzeri* diſſert. de conceptione maculata an immaculata B. Virg. Mariae Deiparae. *Luc. Wadding Hybern.* Minorita in hiſtor. legationis Philippi III. et IV. ad Paulum V. et Greg. XV. cum ſexcentis aliis.

(53) Iam ante *Tridentinum* Concilium inter *Ieſuitas*, veterum *Pelagianorum*, et *Dominicanos*, veterum *Praedeſtinatianorum* reliquias, de arduis fidei articulis, gratiae diuinae efficaciam et liberi arbitrii poſt lapſum vires concernentibus, diſputari coeperat, cui malo *congregatio de auxiliis*, paucis a Concilio *Tridentino* annis, autoritate Pontificis inſtituta, medicam manum fruſtra adhibuit; ſub finem Saeculi ſuperioris, occaſione *Ludovici Molinae*, Ieſ. *Hiſpani*, recruduit, qui a *Dominicanis* arguebatur, quod in articulis de gratia DEI et libero arbitrio plus homini quam DEO tribuerit; *Ieſuitae* autem *Dominicanis* imputabant, tanquam *Caluinianis* erroribus proximi eſſent: ingens eapropter inter vtramque enata fuit contentio, *Romam* ad deciſionem Pontificis delata, vbi cum *Clemens VIII.* pro *Dominicanis* iudicium ferre vellet, *Ieſuitae* contradixerunt, et parum abfuit, quin Pontificem vt priuatum Doctorem erroris accuſaſſent. *Paulus* itaque V. vtrique parti impoſuit ſilentium, quo aliquantiſper turbae hae ſedatae fuerunt, at omnium vehementiſſime occaſione eorum, quae *Mich. Bains* Academiae *Louanienſis* Profeſſor et Cancellarius, item *Corn. Ianſenius* Prof. itidem, et Epiſcopus *Ypreuſium* tradiderant, recruduerunt. *Ianſenius* A. 1638. defunctus reliquit librum ſub tit. *Auguſtinus Ianſenii.* (Siquidem *Auguſtini* opera omnia fere decies, libros vero de gratia et L. A. plus quam tricies perlegerat.) Hoc opere de Theologiae Scholaſticae Doctoribus profitetur, coeciores eos eſſe Philoſophis Platonicis; 2) damnat *Pelagianam* de gratia et L. A. ſententiam in Ieſuitis, adlegatis perpetuo *Auguſtini* verbis, et in ſpecie per articulos plures confutat; ſimul docet, gratiam operari irreſiſtibiliter, eam particularem eſſe ex intentione DEI, nullam eſſe ſufficientem, niſi quae actu beatitudinem conſummat; denique Chriſtum non eſſe pro omnibus hominibus mortuum. Hoc ſcriptum *Ianſenii* poſthumum Ieſuitae quam maxime abominati fuerunt, cumprimis *Dionyſius Petauius*, *Franciſcus Annatus*, *Antonius Richardus*, *Iſaacus Hubertus*, et innumeri alii. v. *Melchior. Leydeckeri* hiſtoriae Ianſeniſmi libri VI, Trai. 1695.

(54) *Vrbanus VIII.* A. 1641. *Ianſenii* dictum proſcripſit librum, ſub praetextu, quod aduerſus decreta *Pauli V.* et *Saa*, prohibentia, ne quis tractatus in materia de auxiliis diuinae gratiae abſque ſedis Apoſtolicae licentia edatur, in lucem prodierit, quam bullam idem Pontifex confirmauit. *Innocentius* vero X. contra quinque propoſitiones, ex libro illo exceptas, fulmina ſua vibrauit; quarum prima eſt: *aliqua DEI praecepta hominibus iuſtis, volentibus et conantibus, ſecundum praeſentes, quas habent, vires, eſſe impoſſibilia, deeſſe quoque illis gratiam, qua poſſibilia fiant.* Secunda: *Interiori gratiae in ſtatu naturae lapſae nunquam reſiſti.* Tertia: *Ad merendum et demerendum in ſtatu naturae lapſae non requiri in homine libertatem a neceſſitate, ſed ſufficere libertatem a coactione.* Quarta: *Semi-*

Semi Pelagianos admiſiſſe praeuenientis grotiae interioris neceſſitatem, ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc fuiſſe haereticos, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana volnntas reſiſtere vel obtemperare. Quinta: *Semi-Pelagiannm eſſe, dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut ſauguinem fudiſſe.*

(55) Quod non pauci inter Doctores Pontificios *Ianſenio* iniuriam fieri, dum illi hae propoſitiones imputentur, aduerterent, *Innocentii* rigorem *Alexander VII. quarta* bulla duplicanit, *Ieſuitarum* inſtinctu, *Ianſenium* condemnando, et *quinta* bulla declarando, has omnino propoſitiones eſſe *Ianſenii*, et in eodem quidem ſenſu, ac recte damnatas. Quam acerrime ſequentibus temporibus ad noſtrum vſque aeuum haec controuerſia inter *Ianſeniſtas* et *Ieſuitas* fuerit agitata, quot ſcripta acerbiſſima hinc inde edita, videri poteſt apud *collectores Actorum Eruditorum Lipſ.* hinc inde. Vid. et *Aeg. Strauchii* ius tertii orthodoxi circa cauſam Ieſuitico Ianſenianam, et *Chriſtian. Lyſeri* conſenſus non-conſenſus, quin potius diſſenſus Lutheranorum et Ianſeniſtarum. *Ianſenii* partes *Louanienſes* et alii in *Belgio* Theologi, *Libertus Fromondus* in *Gallia, Antonius Arnoldus* et *Lud. Sanctamorlus* cum aliis defendebant, nec minus *Sorboniſtae* et complures *Gallicani* Epiſcopi ac Theologi.

Recenſitis his ſchiſmatibus et haereticis accenſeri poſſunt alii, qui in eorum cenſum vulgo veniunt, quamquam non omnes pari merito. Primo omnium loco ponimus *Atheiſtas*, quorum quidem hodie fertiliſſima ſeges in *Italia*, *Gallia*, et (o vtinam non) *Germania* atque alibi propullulat; quem *Atheiſmum* ex *Italia* in *Galliam Iulius Caeſar Vaninus* induxit, cui ſacra et religioſa irriſui. Chriſti humanitatem execrabatur, naturam pro matre optima et omnium parente adorabat; plurimos hic e iuuentute in atheiſmum ſeduxit, accuſatus propterea et in carcerem coniectus, orthodoxum ſe ſimulauit, tandem vero, quod non deſiſteret, execrandam illam doctrinam propagare capitis damnatus, Monacho crucifixi imaginem exhibenti reſpondit: illi in extremis prae timore imbellis ſudor, ego imperterritus moriar: tandem lingua exſecta rogo impoſitus fuit. Vid. *Grammond.* hiſt. lib. III. *Io. Maurit. Schrammii* tract. de vita et ſcriptis famoſi athei I. C. Vanini, Cuſtrin. 1709. In *Io. Bodino* poſtea Atheiſmus egregium inuenit nutritium, et in *Belgio* feruidum habuit promachum *Benedictum Spinoſam*, *Hiſp. Iudaeum* conuerſum, qui quamquam magno niſu conaretur oſtendere, ſe optime de DEO ſentire, DEI tamen nomine naturam intellexit, nempe vniuerſum hoc et totum mundum, quem ex ſeipſo et per ſeipſum ab aeterno extitiſſe, nec cauſam efficientem aut finalem habuiſſe finxit. v. *Io. Colerus* de la vie de Bened. de Spinoſa, Hagae 1709. *Io. Wolfg. Iaegeri* diſp. de Spinociſmo, ſeu Ben. Spinoſae atheiſtae vita et doctrinalia Tubing. 1710. *Naturaliſmum Eduardus Baro Herbert de*

 Cherbury

Cherbury in Anglia induxit, quo per ſolam religionem naturalem ſine reuelatione diuina ad aeternam beatitudinem perueniri poſſe tradidit, refutatus inter ceteros praecipue a *Io. Muſaeo.* v. *Chph. Gottlob Grundig* Geſchichte und wahre Beſchaffenheit derer heutigen Deiſten und Freydenker, Cöthen 1748. *Thomas Hobbeſius* religionem ciuilis poteſtatis arbitrio ſubiecit. Sunt et plures alii *Anti-Scripturarii*, *Libertini* et laxiores Theologi, de quibus *Frid. Spanhem.* in ſelect. controuerſ. de religione, *Io. Henr. Maius* et alii. Non procul ab his abſunt *Deiſtae*, qui vel indecentem de DEO ideam concipiunt, vel curam rerum humanarum illi abiudicant, vel in idololatriam labuntur, de quibus autor Tr. de veritate religion. Chriſtianae diſſ. II. quosque *a Seckendorf* im Chriſtenſtaat impugnat. *Iacobum Boehmium*, ſutorem *Goerlicenſem*, *Teutonicum Philoſophum* vulgo dictum, qui varia ſcripta, diuino, vt aiebat, afflatu, obſcuris tamen plurimum locutionibus conſcripſit, fanaticiſmi accuſauit *Calouius*, quamquam hodienum non pauci eius ſint admiratores et defenſores; alii ἐπέχειν malint. Vid. *Pfeifferus*, *Er. Franciſci*, *Spenerus*, *Io. Ad. Calo* diſſ. de vita Iacobi Boehmii Vit. 1707. *Iuſtus Weſſel Rumpaeus* de Iacobo Boehmio, Palaeoſeidenbergenſi Suſati 1714. *Io. Wolfg. Iaegeri* de Iac. Boehmio iudicium Henr. Mori, Tubing. 1708. et alii. In *Holſatia* circa An. 1622. *Nicolaus Teting*, ſiue Knutzen *Huſumenſis*, et Chymiae cultor, de carne Chriſti noſtrae non ὁμοουσίᾳ ſed coeleſti, vnione Chriſti et fidelium reali, reuelationibus internis, Chiliaſmo, iudiciis publicis, bello, iuramentis et aliis fanatico more ſenſit, impugnatus propterea a variis, et cum adſeclis regionibus illis eiectus. *Korth.* p. 902. Eiusdem deinde cognominis et patriae alius *Matth.* Knutzen An. 1624. *Ienenſem* Academiam de noua *conſcientiariorum* ſecta ſuſpectam reddere et infamare, vel potius atheiſticam et naturaliſticam illic inducere clanculum adlaborauit. Vid. *Muſaeus* peculiari de eadem ſcripto. *Ioannes de Labadie* natione *Gallus* a Ieſuitis ad Reformatos tranſiit, quos tamen, qua externum cultum, iterum deſeruit, vitae eorum improbitate motus, nouamque collegit, *Donatiſtas*, *Chiliaſtas* aliosque fanaticos reſtaurans, bonorumque communionem introducens, in *Belgio* initio) demum *Heruordiae* et *Altonae* fouit, quo in celebris quoque fuit *Anna Maria Schurmannia*, It. *Petrus Yuon*, *Sliteri* et alii. Conf. *Niſan.* in Mataeolog. Labadiana. *Io. Wolfg. Iaegeri* diſp. de Labadiſmo, Tubing. 1710. Obiit dictus *Labadie* in *Weſtphalia* 1673. *Io. Cocceius* inter ſuos celebris *Lugdunenſium* Theologus, *hypotheticae* Theologiae autor, Cocceianos habuit ſectatores, qui maiorem fidei gradum Noui T. fidelibus, quam ceteris tribuebant. *Cocceio* ſe *Ant. Hulſius*, et *Cocceianis* *Sam. Mareſius* aliiue oppoſuerunt. Sic *Carteſiana Philoſophia*, quam *Renatus des Cartes*, Eques *Gallus*, *Dominus Peironi*

exco-

excoluit, in Theologia quoque liberius multis graſſari viſa eſt, ſuos vt oppugnatores, ſic et propugnatores inuenit. *Guil. Poſtellus* varia quoque deliria ſparſit, libro de orbis concordia, praecipue de Trinitate mundi, corporis et animarum, de Chriſto intoxicato, de matrice mundi, de ſaluandis vniuerſis, omnis generis hominum ſectis, de claue abſconditorum a Saeculo et aliis. Vid. *Natal. Alex.* p. I. Saec. XV. et XVI. ſelect. Hiſtor. Eccleſ. quae tamen An. 1684. fulmine Pontificio damnata. Quantas noſtro aeuo *Balthaſar Beckerus* D. et Eccleſiaſtes *Amſtelodamenſis* mundo ſuo faſcinato turbas dederit, quo quicquid de Angelis bonis et malis, eorum ſapientia et calliditate, item potentia et operationibus circa homines e ſcriptura traditum fuit, impugnat ac deſtruit, omnibus in re literaria mediocriter etiam verſatis conſtat, quem plures hactenus confutarunt, vt *Mich. Leydeker* diſſ. peculiari, *Io. Aalſtius* et *Paulus Steenwinkel* in adnorationibus modeſtis, quibus fundamenta *Beckeriana* examinantur, *Io.* van der *Wayen* et e *Lutheranis Mich.* Beer et alii; nec latent, quae inter *Petrum Iurium*, *Gallum* exulem, et alios Reformatos Theologos controuerſiarum ſerra hactenus fuerit reciprocata. *Claudius Paionus*, *Aurelianenſium* quondam apud reformatos Miniſter, de operatione Spiritus S. in conuerſione eiusque modo, ſpeculatiuam controuerſiam mouit, ſub *Paioniſmi* nomine tritam. *Spanhem.* in Select. controuerſ. *Illuminati in Hiſpania* circa An. 1623. *Seuiliae* magno numero exorti a Pontificiis ſe ſegregabant, contemplationi ac meditationi ſe dicantes, grauibus poenis aut blanditiis tum ab illa mente abſtracti: interim eorum ſententiam noſtra aetate reduxiſſe et perpoliuiſſe videtur famigeratiſſimus *Michaël de Molinos*, illuſtri loco in *Hiſpania* ortus, qui ordinem quidem Eccleſiaſticum, at nulla beneficia adſumſit, ſeque totum Theologiae myſticae adplicuit, Romamque deuotionem aliis commendandi gratia conceſſit. Dogmata, quae fouiſſe Pontificia Bulla dicit, 68. erroneas opiniones continent, explicatas libro, quem *Manuductio* ſpiritualis, inſcripſit, quamquam virum eius mens vbique talis fuerit, qualis ipſi tribuebatur, forſan dubitandum ſit. Contemplationi omnia in eodem tribuit, parum aut nihil meditationi. Sectatores non ex ima tantum plebe, ſed et ex praecipua dignitate ſplendentibus viris habuit innumeros, adeo, vt et Cardinales nonnulli dogmatibus eius adhaererent, et viginti millia epiſtolarum ad eum ſcriptarum inuenta fuiſſe dicantur, ipſoque, quo captiuus factus, die 20. imperiales poſtarum Magiſtro pro transferendis literis erant ſoluendi. Praecipuos autem hoſtes ſenſit *Dominicanos et Ieſuitas*, qui *Molinoſmum* haereticum diffamantes, ſectatores eius, quod quieti ſe darent, *Quietiſtas* adpellarunt, nec quieuerunt, vſque ad inquiſitionem *Molinoſius* traheretur, in cuius tamen prima congregatione denuo ſcripta eius fuerunt adprobata. Ieſuitae itaque per Regem *Galliae* Pontifici obiiciebant, quod dum ipſe in ſuo regno funditus

ditus extirpare nitatur haereſin, Pontifex in ſuo palatio eam conniuentia et adſenſu ſuo inualeſcere patiatur. Inde An. 1688. noua in *Molinoſium* et adſeclas inquiſitio ſuſcepta, adeo, vt ipſe Pontifex *Innocentius XI.* de fide rationem reddere clam teneretur; *Molinoſius* autem vinctus manibus cereum tenens ad perpetuos carceres damnaretur, vbi comitanti ſacerdoti haec vltima verba dedit: *Vale, mi Pater, die iudicii nos iterum videbimus, et tunc manifeſtum fiet, a cuius partibus, mea an veſtra, veritas ſteterit.* Quamquam neque ſic *Quietiſmo* finis impoſitus, qui in *Italia* adeo radices egit, vt exterminari adeo facile vix poſſit. Vid. de ea re ſcripre complura, *Burneti* hiſtoria de Quietiſmo, *Schmidii* Quietiſmi reuolutio, *Carpzonii* de religione Quietiſtarum etc. *Regaliarum* porro ius inter *Pontificem Rom. Innocentium X.* et Regem *Galliae Ludouicum XIV.* non parum Rom. curiam exercuit. Scilicet vſurpauit Rex ius illud nominandi non ſolum Epiſcopos alioſue Clericos, ſed et percipiendi reditus, quamdiu vacauerit ſedes. Denegabat hoc ipſi Pontifex in iis regionibus, quae poſt Concilium *Lugdunenſe* coronae *Francicae* accreuerant. Clerus *Gallicanus Pariſiis* Regi ſuo gratificaturus An. 1681. ius illud publico decreto adſertum iuit, contra quod Pontifex grauiſſime conqueſtus, *cogi*, ait, *ſe multis cum lachrymis vſurpare Propheticum illud: Filii matris meae pugnarunt aduerſus me*; at perrexit nihilominus clerus *Gallicanus*, pro Rege ſuo contra Pontificem pugnare, et quatuor publicauit definitiones, quarum prima: *Quod Papa, imo ipſa Eccl. in Regum temporalia nec directe, nec indirecte vllam habeat poteſtatem, quodque Rex deponi, vel ſubditi eius a iuramento fidelitatis, quamcunque demum ob cauſam, abſolui nequeant.* Secunda: *quod Concilium generale ſit ſupra Papam, idque vi doctrinae, quam Concilium Conſtantienſe ſeſſione 4. et 5. confirmauit; ſicut congregatio praeſens declarat, quod doctrina iſthaec ab Eccleſia plenam efficaciam et adprobationem nacta ſit; ex aduerſo autem opinionem eorum, qui pertendunt, id quod in adlatis ſeſſionibus concluſum eſt, eo duntaxat tempore, quo ſchiſmata inualeſcunt, obtineat, plane improbet.* Tertia: *Quod exercitium poteſtatis Pontificiae limitandum et reſtringendum ſit iuxta Canones, quodque Papa nihil facere in praeiudicium antiquarum conſuetudinum, nec non libertatum Eccleſiae Gallicanae valeat.* Quarta: *Quod in rebus quidem fidei Papa praecipuam autoritatem habeat, nihilominus eius deciſiones ſine conſenſu Eccleſiae certae et infallibiles non ſint.* Definitiones illas Rex ſolenniter confirmauit. Ita canente gallo *Petrus* amare fleuit. Perſecutiones, quas hac in cauſa Epiſcopi quidam et alii Clerici, qui a partibus Pontificis ſteterunt, ſufferre tenebantur, exponit *Franc. Piſto*, Tr. de adflictione Eccleſiae Gallicanae. Oppoſuerunt ſe *Gallis* Theologi *Hiſpani*, it. Abbas *San Gallenſis* in *Gallia vindicata.* Scripſerunt autem pro Rege *Petrus de Marca*, Archi-Epiſcopus *Pariſienſis*, libro de Concordia

dia ſacerdotis et imperii, *Burnetus* in hiſtoria iurium Principis, circa beneficia Eccleſiaſtica, et territoria Eccleſiae, *Larroquius* Tr. de Regalia, *Rechenberg*. Hiſtor. Eccleſ. p. 723. ſeq. Vix turbis his aliquantum compoſitis nouae inter Pontificem et *Galliae* Regem *de iure aſyli* in aedibus et circa illas legati Regii *Romae* hoſpitantis inualuerunt, in quibus Pontifex *Marchionem de Lauordin* legatum *Gallicum* ius illud adſerentem, cenſuris notauit, nec ad ſuum conſpectum et adfatum admiſit, adeo, vt Rex reuocare eundem fuerit coactus. Vid. *Abbatis San Gall.* legationem March. Lauardinii Romam, ex parte *Pontificis:* ex *Galli* vero parte autorem de iure aſyli ſiue Franchitiarum in vrbe Roma. Nec minus paucis abhinc annis *Romae* quipiam fanatici *Equites* ſe *Apocalypticos* dicebant, variisque deliriis prodebant, vi externa coërciti. Et quantum hodie *Romanam* curiam Epiſcopi *Cameracenſis* lis exerceat, noto notius eſt. Quae denique noſtrates etiam Theologos animorum per aliquot hactenus annos ſciſſura, *Pietiſmi* nomine, ſcriptis et voce colliſerit, dolendum magis, quam deſcribendum, Deusue potius intime rogandus, vt exulcerato alias hoc tempore, obliteratis omnibus diſſidiorum ac ſchiſmatum nominibus ac ſcriptis, veram ac ſinceram pietatem ore ac opere ſibi decenter praeſtandam inſtillet, ac ad fidei orthodoxiam vnanimi mente profitendam et promouendam excitet, condemnandi autem innoxios, et detrahendi pruritum eximat.

§. 3.

Pro ſopiendis his aliisue Schiſmatibus, componendis religionis diſſidiis, et ſancienda, dummodo eſſet poſſibilis, Eccleſiarum pace, hoc etiam Saeculo habita colloquia, ſed irrito ſemper conatu: *Ratisbonae* enim auſpiciis *Maximiliani* 1601. *Bauariae* Ducis inſtituta religionum collatio inter *Gretſerum*, *Hungerum et Tannerum* Ieſuitas, atque *Aeg. Hunnium*, *Dauidem Rungium*, *Heilbrunnerum* alioſque de norma fidei et controuerſiarum iudice. Seſſione tandem XIV, cum noſtrates Rom. Pontificem pro iudice agnoſcere nollent, ſed ex *Scriptura* hoc probari peterent, imo *Anti-Chriſtum* vocarent, a *Bauaricis* fuit abruptum (1). *Durlaci* colloquium inter *Veturium* 1613.

Ieſuitam et D. *Heilbrünnerum* ſuſceptum, breuique poſt abruptum fuit, quod Ieſuita ſatis inepte poſtularet, vt omnes fidei Articuli, adfirmatiui et negatiui, nulla adhibita conſequentia vel Syllogiſmo ex nudis S. literarum verbis demon-
1631. ſtrarentur. Vlterius *Lipſiae* inter ſe Theologi *Saxonici et Marchiaci* de praecipuis Aug. Conf. articulis collocuti, vbi ex noſtratibus *D. Matthias Hoe*, *Polyc. Lyſerus et Hoepfnerus*, ex *Reformatis* vero *Io. Bergius*, *Io Crocius* et *Theophilus Neuberger* collocutorum partes ſuſtinuerunt, ibidemque de diſſenſu inter orthodoxam et Reformatam Religionem fundamentali, deque modo ſanciendi inter vtramque concordiam fuit quaeſitum (2). Auſpiciis
1645. porro *Polonorum* Regis *Vladiſlai Thorunii* in *Pruſſia* (3) indictus et habitus Theologorum *Pontificiorum*, *Lutheranorum* et *Caluinianorum* conuentus, atque hic denuo de mediis conciliandi adeo diuerſas opiniones, ſed fruſtra, fuit circumſpe-
1661. ctum. Eadem ex cauſa iuſſu *Wilhelmi* Landgravii *Haſſiae* conuenerunt quipiam ex *Rintelenſium* Academia noſtrates Theologi, *Petrus Muſaeus* et *Io. Heinichius*, ex *Marpurgenſi* vero et *Caluino-Reformatis Sebaſt. Curtius* et *Io. Heinius Caſſellis* (4), qui cum de omnibus fidei articulis controuerſis diſpexiſſent, *Syncretiſmum* tandem, ſed cum totius *Lutheranae* Eccleſiae offenſione inierunt, *Rintelenſesque* ſcriptis ſatis acribus a ceteris Academiis impugnati poſt fuerunt (5). *Arminianorum* controuerſia occaſionem etiam dedit habendae in *Belgio* Synodi, quae *Dordraci* (6) coepit, cui praeter indigenas *Belgicos* Theologos, *Germani*

mani etiam ex *Haſſia*, *Marchia* et *Palatinatu*, *Galli*, *Angli*, *Heluetii* interfuerunt, cumque ibidem de *Arminianorum* ageretur doctrina, et hi ſubmittere ſe illis recuſarent, non pauci ex iisdem carceri perpetuo mancipati, alii exilio pulſi, quidam denique ſupplicio etiam vltimo adfecti fuerunt (7).

Ceterum huius Saeculi Theologorum noſtratium fuerunt praecipui: *Dau. Rungius* (8), ob. A. 1604. *Georg. Mylius* (9) 1607. *Polyc. Lyſer.* Witteb. (10) 1610. *Felix Bidembachius* Würtenb. (11). obiit 1612. et *Io. Forſterus* Witteb. (12), 1613. *Lucas Oſiander* Tubingenſis (13), 1604. *Leonh. Hutterus* Witteberg. (14), *Philippus Heilbrunnerus* Palatinus (15), 1616. *Chriſtoph. Heluicus* Gieſſenſis (16), *Albertus Grauerus* Ienenſis (17), *Georgius Weinrich* Lipſienſis (18), 1617. *Io. Georg. Sigwardus* Tubingenſis (19), 1619. *Henricus Ekhardus* Altenb. (20), *Io. Affelmannus* Roſtoch. (21), 1624. *Io. Winckelmannus* Gieſſ. (22), *Balth. Meiſnerus* Wittebergenſis (23), 1626. *Balth. Menzerus* Gieſſenſis (24), *Frid. Balduinus* Wittebergenſis (25), 1627. *Wolfg. Franzius* Witteb. (26), 1628. *Theodorus Thummius* Tubingenſis (27), 1630. *Caſpar Finkius* Coburgenſis (28), *Io. Stumpfius* Byruthinus (29), 1631. *Paulus Tarnouius* Roſtochienſis (30), *Polyc. Lyſerus* Witteb. et Lipſ. (31) 1633. *Io. Gerhardus* Ienenſis (32), 1637. *Io. Himmelius* Ienenſis (33), 1642. *Nicolaus Hunnius* Lubeccenſis (34), 1643. *Matthias Hoë* Dresdenſis (35), 1645. *Io. Schmidius* Argentoratenſis (36), *Iuſtus*

Feuer-

Feuerbornius Gieſſenſis (37), *Conr. Horneius* (38) et *Georgius Calixtus* Helmſtadienſes (39), *Gothofredus Cundiſius* (40), *Io.* et *Io. Tobias Maior* Ienenſes (41), *Io. Georg. Dorſchaeus* (42), *Io. Conradus Danhauer* Argentoratenſes (43) *Io. Hülſemannus* (44), *Hieron. Kromayerus* Lipſienſes (45), *Michaël Siricius* (46) aliique plures, quos vel noſtra obiiſſe memoria, vel hodienum ſupereſſe diuina conſtat gratia (47). Ex *Caluiniano-Reformatis* itidem haud pauci vixerunt ſatis docti; vtpote *Vrbanus Pierius* Bremenſis, 1616. *Daniel Thoſſanus*, 1520. *Dau. Paraeus* Heidelb. 1622. *Phil. Mornaeus* Gallus. *Io. Piſcator* Herbornenſis, et *Abr. Scultetus* Embdanus, 1625. *Rud. Goclenius* Marburgenſis, 1628. *Io. Henricus Alſtedius*, 1638. *Ioſephus Hall* Epiſcopus *Anglicanus* aliique (48). Quemadmodum inter *Pontificios Perronius* Card. 1618. *Robertus Bellarminus* Card. 1620. *Martinus Becanus* Ieſ. *Melchior Cleſelius* Card. 1630. *Iodocus Kedd*, 1657. et Ieſuitae complures (49); *Valerianus* item *Magnus Capuccinus* ſcriptis ſuis in Orthodoxos ſatis virulentis nominis famam meruerunt.

Nouae porro pro augendis literarum incrementis
Academiae hoc quoque Saeculo florere coepe-
1605. runt, vt *Gieſſana* a *Ludouico* Landgrauio *Haſſiae*;
1614. 1616. *Groeningenſis* in *Friſia Occidentali*; *Paderbornen-*
1619. *ſis* a *Theodoro* Epiſcopo, *Rintelenſis* ab *Erneſto*
Comite Schaumburgico; (die 27. Iulii Anni
1623. 1621. introducta;) *Sorana* in *Seelandia* reſtau-
1636. 1655. rata; *Vltraiectina* in *Belgio* ab Ordinibus illius
prouinciae; *Duisburgenſis* in *Cliuia* a *Friderico*
Wilhelmo

Wilhelmo El. Brand. *Kilonienſis* in Holſatia a *Chri-* 1664.
ſtiano Alberto Holſatiae Duce; *Lundinenſis* in 1668.
Scania a *Carolo Suecorum* R. introductae (50). Quibus adde *Gymnaſia* florentiſſima, inter quae haud immerito referendum illuſtre *CHRISTIAN-ERNESTINVM*, a Sereniſſimo ſuo Conditore, *DN. CHRISTIANO ERNESTO M. B.* nomen gerens, et ad nunquam intermorituram famae celebritatem ipſo *Serenitatis Suae* Natali inſti- 1664.
gante ac dirigente DN. CASPARE a LILIEN, in Waitzendorf etc. Praeſide Sacri Conſiſtorii, atque per extera florentiſſima Regna Serenitatis Suae Ductore fidiſſimo in primaria ſuperioris Burggrauiatus Norici vrbe *Baruthina* in *Franconia* conditum (51). Dictis his aliisue Academiis celeberrimi *ICti*, *Melchior Goldaſtus*, obiit 1635. *Georg. Obrechtus*, 1612. *Conr. Rittershuſius* Altorf. 1613. *Marqu. Freherus* Conſil. Palat. 1614. *Simon Vlr. Piſtoris* Conſil. Brand. 1615. *Scipio Gentilis*, 1616. *Dion. Godofredus* Heidelb. 1622. *Io. Goeddaeus* 1632. *Herm. Vulteius* Marp. 1634. *Dom. Arumaeus*, *Caſp. Klokius*, *Bened. Carpzovius*, *Iuſtus Sinold* Cogn. Schüz, *Io. Limnaeus* Conſ. Brandenb. Onoldinus etc. (52). Experientiſſimi *Medici Dan. Sennertus*, *Wernerus* Rolfinccius etc. (53). celebratiſſimi *Hiſtorici: Emanuel Meteranus* Belga, 1612. *Sethus Caluiſius* Lipſ. 1615. *Iac. Aug. Thuanus* Praeſes Parlam. Pariſ. 1617. *Phil. Cluuerius* Belga, Geographus inſignis, 1624. *Gabr. Barthol. Grammondus* Praeſes Parlam. *Toloſani*, 1629. *Io. Micraelius* Stetin. *Io. Heinr. Boeclerus* Argent. *Io. Andr. Boſius* Ienenſis

nenſis (54): ingenioſiſſimi *Mathematici, Renatus des Cartes, Ath. Kircherus, Heuelius, Gerike* aliique (55): ſuauiſſimi *Poëtae, Fridericus Taubmannus* Wonſeeſio-Francus, Prof. Witteb. 1613. *Henr. Schmetius* Heidelberg. 1614. *Martinus Opitius* Germanorum Poëtarum Anteſignanus, 1639. et ſexcenti alii (56). facundiſſimi *Oratores* (57), multi denique literatura varia inſtructiſſimi Viri (58) pariter ac foeminae (59), ſequentibus, ſi quae futura ſunt, Saeculis adhuc celebrandi. Ne de Collegiis eruditorum virorum ad vberiores ſtudiorum fructus capeſſendos et naturae ac linguarum interiora rimanda inſtitutis, *ſocietate frugifera* (60), Collegio *Anglicano*, aliisue dicam, quae vel eruditorum vulgo cognita (61).

(1) Proſtant huius Colloquii acta publica, ex quibus omnis illius ſeries cognoſci poteſt; adde *Korth.* H. E. p. 869.

(2) Finis colloquio hoc intentus obtineri haud potuit, ſed vtriusque partis collocutores poſt aeque ac ante ſcriptis ſe mutuis inſectati fuerunt. Conf. *Kromaier.* in adp. LL. Syncretiſt.

(3) Prolixa recenſio *Colloquii Thorunienſis* extat non modo in *hiſtoria Calouii Syncretiſtica*, ſed et dedit eandem *Hülſemannus* it. Hartknoch in hiſtor. Pruſſ. lib. IV, 6. *Charitatiuum* adpellabatur, ad charitatem mutuam introducendam. At ne vna quidem ſeſſio de ſtabilienda in regno *Poloniae* inter diſſidentes in religione partes fuit habita. *Georg. Calixtus* hic a reliquis Theologis Euangelicis Syncretiſmum fouere primum accuſabatur. Conf. et eundem *de Colloq. Thorun.* it. *Hoornbeck* lib. IV. S. C. *Hieron. a S. Hiacyntho* contra Hülſem.

(4) Vid. ex Reformatis *Spanhemius* in contiou. ſelect. breuis item relatio Colloquii huius, ex qua patet, in articulo *de S. Coena* circa ſpiritualem manducationem vtrosque conſenſiſſe, *Marpurgenſes* orbiculares hoſtias pro vero pane agnouiſſe, *Rintelenſes* fractionem panis, vt ritum vtilem et pium in Eccleſiis, vbi nondum obtinuit, introduci commode poſſe, ſi conſenſus earum impetrari poſſit; eius tamen neceſſitatem non agnoſcebant; Oralem vero perceptionem corporis et ſanguinis Chriſti negatam vel adfirmatam, ipſum ſalutis fundamentum non euertere vtraque pars profeſſa fuit, et vtrinque vſum Sacra-

menti

menti integrum et illibatum manere; *de praedeſtinatione* ſex membris vtriusque partis Theologi diſcordabant, quae tamen non ita comparata eſſe putabant, vt diſſenſum in fundamento fidei inducant. In articulo *de perſona Chriſti* itidem ſepoſitis quibusdam, quae tanti ponderis haud eſſe iudicabant, vt fidei fundamentum euertere poſſint, pars vtraque conſenſit: ſic et in art. *de baptiſmo* duae quaeſtiones indeciſae remanſerunt. Conuenerunt itaque, vt neutra pars alteram propter diſſenſum traducat aut damnet, ſed ſeinuicem pro veris eiusdem Catholicae Eccleſiae membris habeat; quod ex ipſa Colloquii relatione vberius pateſcit.

(5) Vid. Bedenken über dem Caſſel. Colloquio, wie auch über dem Syncretiſmo, der daſelbſten aufgerichtet worden, *Facultatis Theol. Witteberg.* *Calou.* lib. III, 6. hiſt Syncret. et alia. *Petrus* equidem *Muſaeus* mitigare ſententiam poſt conabatur Tr. de Syncret. eiusque ac reliquorum partes *D. Henr. Mart.*, *Ekhard.* tutari praeſumſit, ſed *Chemnitium Ien. Theol.* it. *Teuzelium* expertus fuit aduerſarios.

(6) Proſtant *acta Dordracenae Synodi* contra *Arminianos* habitae, contra quam hi grauiter conqueſti fuerunt, quod a parte aduerſa, quae teſtium et iudicum partes receperant, non ſatis auditi, nec conuicti fuerint damnati. Praecipuus horum fuit *Simon Epiſcopius*, Prof. *Lugd.* cum aliis. *Praeſes* Synodi erat *Io. Bogermannus*, paſtor *Leonard.* et adſidebant non *Belgae* tantum, ſed et ex *Gallia*, *Britannia*, *Palatinatu*, *Haſſia et Heluetia*, reliquisque fere omnibus Eccleſiis Reformatis exciti Theologi. Quae Synodum hanc a Cal. Nou. A. 1618. ad menſem vſque Maium anni ſequentis continuatam fuerint inſecuta, ſupetius n. 46. §. 2. fuere memorata., v. *Ioan. Haleſii* hiſtoria concilii Dordraceni ex anglico latine verſa cum obſeruationibus *Mosheimii* Hamb. 1724.

(7) Accenſeri dictis Synodis et Colloquiis adhuc quaepiam poſſunt: An. 1638. habita fuit Syn. *Glaſquienſis* in *Scotia a Puritanis*, contra nouum *Liturgiarum* librum, quem Archi-Epiſcopus in *Anglia Cantuarienſis* inducere meditabatur, qua liber dictus, Epiſcoporum autoritas, et ceremoniae quinque ab illis introductae reiiciebantur. *Londinenſis* An. 1604. denuo fidem reformatam in *Anglia* confirmat, ſupremam Regi in ſacris Maieſtatem ſtabilit, aduerſarios illius coërcet, S. Coenae trinam quotannis vſurpationem imponit, parentes et pueros nondum ad coenam admiſſos ſuſceptorum honore excludit, et circa crucis in baptiſmo ſignum quaepiam ordinat. Vid. ex *Thuani* lib. 131. *Kortholt.* *Rheinfelſae* An. 1651. ab *Erneſto Haſſiae Landgrauio* inter *Petrum Haberkornium*, Prof. *Gieſſenſem*, et *Valerianum M. Capucinum*, qui *Erneſto* ſacra Pontificia perſuaſerat, inſtitutum, de quo ipſius *Haberkornii* vera et candida actionum illarum Rheinfelſenſium relatio, it. *Valeriani M.* extat. Multa deinceps contra et pro *Valeriano*, item quaedam *Calix-*

Calixtina ad Landgr. *Erneſtum* prodiere. Denique An. 1603. in *Gallia* a reformatis habita Synodus *Vapincenſis* de ſancienda inter *Lutheranos* et *Caluinianos* concordia egit, inque *Io. Piſtatore*, Theol. *Herborn.* dogma reiecit, Chriſti obedientiam actiuam non ingredi noſtram iuſtificationem, ſed Chriſtum tanquam creaturam legi diuinae obedientiam praeſtare fuiſſe obligatum.

(8) *Grypswaldenſis* initio, poſt *Witteberg.* Theologus variis Commentariis in libros Biblicos, aliisque ſcriptis celebris. Vid. *Witte.*

(9) Vulgo **Müller**, al. **Gering** dictus, patria *Auguſtanus*, ibidemque Paſtor primatius, ob Calendarii improbatam innouationem officio deiectus, et cum praeſentiſſimo vitae periculo, quo tamen diuina prouidentia ereptus, vrbe fuit expulſus, inde *Vlmae* aliquandiu haeſit, vſque ab *Auguſto* Sax. Elect. Profeſſor ac Cancellarius *Witteberg.* ac arcis templi Praepoſitus An. 1585. conſtitueretur; ſed cum a Pſeudo-Caluinianis poſt Electoris exceſſum initio elenchus nominalis Caluinianorum, ac poſtmodum quicquam Theologici ſcripti in publicum emittere absque cenſura aulica prohiberetur, atque ita *Concordiae* liber aperte conculcaretur, ipſeque *Mylius*, quod inueſtiendum aliquem ad corpus *Philippi Mel.* adſtringere nollet, ſexcentis de annuo ſtipendio florenis priuatus, *Ienam* An. 1589. conceſſit, ibique Profeſſoris munus obit. A *Chriſtiano II.* vero Electore *Wittebergam* ad Sup. et Prof. munus reuocatus, ad vitae vſque finem ibidem permanſit. Parentationem illi habuit *Leonh. Hutterus.* Scripta eius conſignata vide in *Diario Witteniano.*

(10) Senior hic *Vinedae Würtenb.* natus, Prof. et Super. *Witteberg.* a Crypto Caluinianis dimiſſus *Brunſuigam* venit, ſed poſt *Chriſtiani I.* obitum reuocatus, aulicus tandem Concion. Dresd. factus eſt: ob. 1610. cui itidem *Leonh. Hutterus* parentationis ſolemnis honorem exhibuit. *Witt.* it. *Adami.*

(11) *Guilielmi Bidembachii, Conſil. Würtenb. et Paſt. Stutgardini* F. variis gradibus ad munus *Conſil. Würtenb. Abb. Maulbr. et Sup.* Gener. adſcendit, multis ſcriptis celebratus. *Witte* in centuria renouata Theolog. p. 1. ſeq.

(12) *Aurobacenſis Variſcus*, paſtor *Cizenſ.* poſt *Witteb. Theol. D.* et Prof. denique *Paſt. et Sup. Gen. Isleb.* *Witt.* mem. Theol. Dec. I, 3.

(13) Andreae Oſiandri F. Theologus *Würtenb. Superint.* poſt Conc. Aulicus *Stutgard.* abbas poſt *Adelberg.* denique Paſt. *Eslingenſis.* Notarum in vniuerſa Biblia, Epitomes Hiſt. Eccl. aliorumue ſcriptorum complurium autor. Colloquiis interfuit *Maulbronnenſi* vt Notarius, *Mompelgardenſi et Ratisbon.* Quatuor filios Theologos vidit non incelebres.

(14) Patria *Vlmenſis*, *Witteb.* Theol. Prof. de Eccleſia Chriſti variis ſcriptis optime meritus. Celebrantur ex iis praecipue *Concordia concors, Irenicum, explicatio libri Concordiae*, etc.

(15) *Lauſſa-*

(15) *Lauſſa-Würtenb.* Theol. D. Prof. et Paſtor *Laninganus*, interfuit Colloquio *Ratisbon.* variis itidem ſcriptis nominis celebritatem ſibi parauit. *Witte*, *Melch. Adami.*
(16) Fuit hic Hebraeae L. ac Theol. Prof. *Gieſſenſis*, vir in literatura Graeca et Hebraica, ſtudiis item Hiſtoricis atque aliis inſigniter clarus, cui poſt obitum parentatus fuit *D. Io. Winkelmannus.*
(17) *Marchicus*, initio Rector *Isleb.* poſt Decanus *Mansfeld.* porro Theol. D. et P. *Ienenſ.* demum Superint. Gener. *Vinarienſis*, praelectiones in Aug. Conf. ſcripta Anti-Caluiniana et Anti Photiniana aliaque poſteritati reliquit.
(18) *Sileſius*, Prof. Theol. et Superint. Lipſienſ. variis ſe ſcriptis fecit celebrem, praecipue Comment. in omnes epiſtolas *Pauli.*
(19) In *Irenicum Parei* admonitiones, aliaque opera publicae expoſuit luci. *Witte* in Diario.
(20) *Wetteranus Haſſiacus*, Super. *Wildungenſ.* hinc Concion. Aulicus *Kirchberg.* rurſum Paſtor *Sigenſis* in Comitatu *Schwarzburgico*, Theol. Prof. *Gieſſ.* Super. *Frankenhuſanus*, denique Sup. Gen. *Altenburg.* Faſciculo et Pandectis controuerſiarum cum Caluin. et Pontificiis, nec minus ſcriptis aliis clariſſimus.
(21) *Suſato-Weſtphalus*, Theol. D. et Prof. Roſtoch. aetat. A. 21. Pontificios et Caluinianos impugnauit, atque orthodoxiam ſtrenue defendit.
(22) *Homberga-Haſſus*, Theol. D. et Conc. aul. *Caſſellanus*, poſt P. et Super. *Marpurg.* inde introducta ibidem religione *Caluiniana*, *Gieſſam* in nouiter erectam Academ. conceſſit; ſcriptorum eius Catalogum exhibet *Witte.*
(23) *Dresdenſis*, initio Eth. poſt Theol. Prof. *Witteb.* variis ſcriptis inclutus. Nomen eius peculiaribus orationibus celebrarunt Hoe, *Hoepfnerus*, *Himmelius* et *Er. Schmidius.*
(24) *Haſſus* hic patria, Prof. Theol. *Marpurg.* demum *Gieſſ.* prolixum ex meritis Encomiaſten inuenit *Menonem Hannekenium*, apud *Witt.* it. *Himmelium* in Threnologia.
(25) *Dresdenſis*, Diaconus initio *Friburg.* poſt Super. *Olſnicenſ.* demum Prof. et Antiſtes *Witteberg.* de ſingulis his officiis, atque vniuerſa orthodoxa Eccleſia optime meritus.
(26) *Plauia-Variſcus*, initio *Witteb.* Hiſt. Prof. poſt *Kemberg.* et demum *Witteb.* Praepoſitus, ac Theol. Prof. Hiſtoriam animalium, de ſacrificiis Patriarcharum, interpretatione S. Scripturae alioſque tractatus adprime vtiles concinnauit.
(27) *Wirtenberg.* Diac. initio *Stutgard.* poſt Paſtor et Inſp. *Kirchheimenſis*, turſum *Stutgard.* demum Prof. *Tubing.*
(28) *Gieſſenſis*, ibidem initio in Gymn. poſt Acad. Prof. vltimo Sup. Gener. *Coburg. Keslerus* ipſi poſt fata parentauit.
(29) *Nemmersdorf. Francus*, Rector initio *Byruthinus*, inde Diac. Conſiſt. adſeſſor, denique Super. ac Theol. D. Profocer meus beatiſſimus, tandem a milite Caeſareo abductus, et aegre

 dimiſ-

dimiſſus, beate expirauit, relicta Poſtilla Allegorica, explicatione epiſtolae Iudae, Concionibus in Pſalterium adhuc MSCtis, et aliis.

(30) *Mecklenburgicus*, initio ſcholae *Parchimenſis*, poſt *Roſtoch.* moderator, demum Theol. D. et Prof. ibidem, inſignibus ſcriptis de Trinitate, coniugio, miniſterio et aliis famae aeternitatem impetrauit.

(31) Witteberg. *Polycarpi* F. *Lipſ.* Theol. Prof. et Super. Canon. *Cizenſ.* Decanus *Miſnenſ.* ac Praepoſitus *Wurzenſis.*

(32) Celeberrimus hic et de Eccleſia orthodoxa meritiſſimus Theologus, natus *Quedlinburgi*, medicinae initio ſtudia ſua addixerat, poſt vero memor voti in iuuentute praeſtiti, ad ſacra rediit, variisque in Germaniae Academiis eam ſibi cognitionem parauit, vt D. Theol. Super *Heldburg.* ac Prof. *Coburg.* ſalutaretur; inde Sup. Gener. Coburg. denique Prof. Theol. *Ienenſis* conſtitueretur: obiit 1637. cui celeberrimi Theologi *Iuſtus Feurborn, Glaſſius, Dilherr, Schneider*, nec non diſertiſſimus *Buchnerus* parentati ſunt. Inter ſcripta exaſciata *Loci* ſunt Theologici Continuatio Harmoniae Chemnitio Lyſerianae, Confeſſio Catholica, et quam multa alia.

(33) *Stolpa Pomeranus*, *Durlacenſis*, poſt *Spirenſis* Rector, et Paſtor ibidem primarius, exin Theol. D. et Prof. Ienenſ. grauiter munia haec exornauit.

(34) *Marpurg. Haſſus*, initio Superint. *Eulenburg.* poſt Theol. D. et Prof. *Witteberg.* denique Super. *Lubecenſis*, itidem ingenii foetibus nobiliſſimis relictis nominis ſplendorem auxit.

(35) Nobilis *Auſtriacus Viennenſ. Theologiae* ſtudium natalibus haud duxit inferius. Concionator aulicus *Dresd.* inde Super. *Plauienſis*, Th. D. Paſtor et Director eccleſiarum Germ. in *Bohemia*, denique Concionator aulicus ſupremus Electoralis, et Theologus primarius, ſcriptis ſuis aeternam nominis celebritatem impetrauit.

(36) *Budiſſinus* e *Luſatia*, Theol. D. et Prof. Argent. conuentus ibidem Eccleſiaſtici praeſes, et Capituli *Thomani* Praepoſitus, cui defuncto D. *Sebaſtianus Schmid*, D. *Salzmann*, et *Caſpar a Lilien* parentarunt. ob. 1658.

(37) *Heruordenſis* Weſtphalus, initio Conc. aulicus *Darmſtadinus*, hinc Theol. D. Paſt. et Prof. *Gieſſenſis*. ob. 1656.

(38) *Brunſuicenſis*, Prof. *Helmſtadienſis*, variis controuerſiis cum reliquis Theologis, praecipue in materia de Bonis Operibus (Vid. ſupra n. 39. §. 2.) implicitus. Laudes eius poſt fata decantavit *Chriſtoph. Schraderus.*

(39) *Medenobaea Holſatus*, poſt varias viſitatas Academias, inſtitutasque peregrinationes, *Theol* D. et *P. Helmſtad.* declaratus, magno labore in illuſtri hac prouincia fuit defunctus. Certamina eius doctos haud latent, et quas opiniones peculiares fouerit. (vid. n. 40. §. 2.) Abbas denique coenobii *Regio Lutterani*, obiit 1656. quem poſt funera *Gerh. Titius*, *Balth. Cellarius* et

et *Chriſt. Schraderus* orationibus encomiaſticis decantarunt. In Patrum ſcriptis, ſimul hiſtoria ſacra erat verſatiſſimus, ad Concordiae ſtudium cum heterodoxis pronior, quam ex plurimorum mente par eſſet.

(40) *Radeberga Miſnicus*, paſtor initio *Geringwald.* poſt *Leiſnit. Oſſat.* demum *Mersburg.* Sup. denique Theol. D. et Prof. *Ienenſ.* ob. 1651.

(41) *Ioannes Maior* ortu tenui *Reinſtad. Thuring.* initio Diaconus *Vinarienſis*, poſt *Ienenſ.* Paſt. et Super. it. Theol. D. et Prof. totiusque Acad. Senior, obiit 1654. aet. 90. Filius *Io. Tob. Maior Ienenſis*, poſt varias in extera loca defunctas peregrinationes Theol. D. et in Acad. *Salana* P. innatam ingenii vim ſcriptis oſtendit, maiorem oſtenſurus, ni praepropera eum mors A. 1655. eripuiſſet.

(42) *Argentorat.* et Prof. Theol. ibidem, munus illud ſtrenue exornauit, hinc in *Roſtoch.* Acad. ad Theol Profeſſoris primarii officium vocatus, eo ſe contulit, illique, nec non Conſiliis Principis ſacris, et Conſiſtorii praeſidio, vſque ad annum ſibi emortualem 1659. praefuit.

